



~~B 10~~

con molte note ed aggiunte MS

Marissimo £. 20



937.9
F22d
1838
v.1-3

Geogr. Sarda con la storia.

E-5-30

325

Uno star. sardo ari 40 = metri 4000 : un migl. quad = star. 436,5

FARÆ
JOHANNIS FRANCISCI
SASSARENSIS

DE CHOROGRAPHIA SARDINIÆ
LIBRI DUO

DE REBUS SARDOIS
LIBRI QUATUOR

EX RECENSIONE


VICTORII ANGIUS EX S. P.

R. T. S. A. S. A. L.

Tomus Primus

L. II. CHOROG. CONTINENS. ADDITO LEXICO EJUSDEM

ET ORATIONE DE LAUDIBUS AUCTORIS



CARALI 1838.

EX TYPIS MONTEVERDE

Facta potestate.

937.9
F22d
1838

M. SEXTON
6 Ja 30

MEMORIAE . IMMORTALI
IOSEPHI . VINCENTII
EX . IMPERATORIA . GENTE . LASCARIDVM
COMIT. ALBINTIMILII . EQUIT. ETC. ETC.
IVRIS . PVBLICI . ET . MVLTARVM . LITERARVM . PERITISSIMI
LITERATORVM . ET . ARTIFICVM . MOECENATIS
CAROLO . EMM. SARDINIAE . REGI
PRIMVM . IN . TRIBVS . LEGATIONIBVS
TVM . IN . NEGOTIIS . EXTERN. SVB . SVO . NVMINE . GERENDIS
MINISTRI . PRVDENTISSIMI
MOX . A . VICTORIO . AMED. CAR. EMM. F.
IN . SPLENDIDISSIMVM . MAGNATIVM . ORDINEM
PRO . MAXIMIS . MERITIS . ADLECTI
DEMVM . REGIAE . POTEST. ET . MAIEST. PLENITVDINE
PRO . SE . APVD . SARDOS . CVMVLATI
ATQVE . HIC . PRVDENTIA . IVSTITIA . STVDIO . RERVM . MELIORVM
LARGISSIMA . LIBERALITATE . AD . ANNONAM . LEVANDAM
ET . REGI . ET . POPVLIS . ADEO . PROBATI
VT . PROPTEREA . MARCHIONALI . DIGNITATE . A . REGE . AVGERETVR
ET . PATER . ET . SERVATOR . A . POPVLIS . CONSALVTATVS
ABIENS . LACRIMIS . ABSENS . DESIDERIO
POST . FATA
MEMORIA . ET . AMORE . NON . INTERITVRIS . HONORARETVR

LIBROS . IOH. FRANC. FARAE . SASSARENSIS
DE . SARDINIAE . CHOROGR. ET ANNALIBUS
QVORVM . LECTIONE . VIR. ILLE . EGR. EX . MSS. SOLINIAN. DELECTABATVR
NVPER . AVGVSTINI . F. S. COM. MARCH. EQVIT. ETC.
VIRI . IN . PRIMIS . LITERATI
ET . OMNIGENA . VIRTVTVM . LAVDE . SPECTATISSIMI
AERE . NON . MODICO . OPERA . CL. EQVIT. ALOYSII . CIBRARII . EDITIS
NVNC . DILIGENTISSIME . RECENSITOS
DEDICAT
VICTORIVS . ANGIVS
IN . ANIMI . GRATI . MONVMENTVM
SVI . TOTIVSQUE . GENTIS . SARDOAE
IN . PATREM . ET . FILIVM . PATRE . DIGNVM

549261

Digitized by the Internet Archive
in 2012 with funding from
University of Illinois Urbana-Champaign

http://archive.org/details/faraejohannisfra13fara

LECTORI

VICTORIUS ANGIUS



En tibi chorographiam, et Annales J. F. Farae, qui inter rerum Sardoarum scriptores operis magnitudine et praestantia maximo floruit honore ab extremo seculo XVI. ad vir. egreg. Josephum Mannum. Homo ingeniosissimus a natura, studio doctissimus, postquam satis in rerum divinarum scientia, legum doctrinis, et literarum disciplina versatus esset, ad res patriae illustrandas animum applicuit, et, quae mirabili undique diligentia potuit colligere, probabili ordine disposita sex libris complexus est. Ex quibus unum tantummodo, qui primus erat historiarum, evulgabat, reliquis de eodem argumento, et duobus de insulae sardoae regionibus, populis, et ceteris quae ad eam referuntur, intus positis, quippe qui assidua lucubratione nondum essent omni numero absoluti. Infeliciter tempora defuere, quo minus manum summam iisdem imponeret, primum ab Archipresbyteratu Turritano ad Episcopatum Bosanensem, mox ad melioris vitae aevum translatus; atque infelicius deesse postea visus est, qui rem imperfectam perficeret, aut chirographum, nullis etiam additis aut immutatis, curaret excudendum. Tibi incredibile videbitur, sed verum existimandum, satis fuisse paucissimis nostrae gentis hominibus, qui rerum ad patriam pertinentium potius videri amabant, quam esse studiosi, si mercede tenui sibi amanuensium opera libellos ineditos parassent. Inde conjicies facile quae conditio fuerit eorum exemplaribus. Quum enim archetypum, ut quisque intelliget, plurimis obscuraretur lituris, necessario ex transcribentium oscitantia et inscitia eveniebat, ut plurima irreperent menda; haec in successivis exscriptionibus non modo permanerent, sed novis

continuo aucta opus adeo foedarent; ut si revixisset, ipse se auctor violatus non dignovisset. Tantae corruptioni, quae admirabilem faciat librariorum stupiditatem, et literatorum lippitudinem, pejus accedebat malum in frequentissimo partium defectu. Equidem intellexi quasdam in ipsis libris autographis vacuitates intercessisse, ubi ex non certa cognitione ponere scriptor differebat, quae ponenda essent, quemadmodum contigisse videmus in chorographia (quae tamen, si unum excipias articulum De censu populorum Sardiniae, *omnino intermissum, paucissima verba desiderabant); verum sunt lacunae majusculae non paucis omissis, quae qui exscribebant neglexere, quum dormitantes ab uno in alium paragraphum delaberentur. Hinc mihi in plurimis MSS., quae perquisitio diligentissima obtulit consulenda, duo tantummodo invenisse datum, quae paucioribus mendis essent vitiata, nec nimium frequentibus interstitiis corrupta; unum quod Aragonezius Canonicus Turritanus (anno* 1830.) *legendum exhibuerat; alterum quod manu propria Com. Arnaud Regiam Cancellariam Regentis exscriptum continetur in Sardoa bibliotheca clarissimi Equitis Ludovici Baille. Atque horum si primum vetustate, alterum in reliquis praestat: quod tamen ob aliquot minus recta, quae nullo pacto in Farae scriptis extitisse putem, a chirographo mihi constat non fuisse desumptum. Hujusmodi maculis deturpata, et frequenti continuationis interruptione discissa quum praeclari auctoris scripta vidissem, dolui, et id mihi laboris suscipiendum decrevi, ut ex MSS. collatione, ex auctorum lectione, unde ille materiem hauserat, et ex cognitione, quam rerum hujusmodi adeptus eram, exemplum pararem, quod ab integritate, et rectitudine autographi, fuerit quaecumque, in paucioribus et minoribus deficeret. Improbum quidem laborem aggressus sum; sed non incassum operam, studiumque posui; quandoquidem nisi omnia, plurima emendare, et quae vacabant, pleraque licuit complere. Is ego a natura non sum, ut quod bonum per mea studia nanciscar, unus habere perfruique velim: hinc intelligens me non modo auctoris gloriae, sed et lectorum utilitati, consulturum, si cho-*


rographiam et res sardoas emendatas proferrem in vulgus, facile amicorum voluntati obtemperavi, atque passus sum, ut meo hoc consilio in omnium cognitionem prolato per cl. v. Stanislaum Cabonium in suo libello Ritratti Poetici etc., *strictius ad fidem, quam amicis dederam, praestandam obligarer. Ex eo tempore rursum in opus animum adjeci, ut et alias abstergerem maculas, si liceret, et ipsam auctoris dictionem perpolirem. Brevi extremum hunc laborem defunctus jam cum typographo de mearum lucubrationum evulgatione agebam, quum mihi per literas constitit omnia opera Farae, ex MS. Soliniano Augustae Taurinorum excudi aere non modico praeclarissimi Marchionis* Augustini Lascaris, *et opera cl. equitis Aloysii Cibrarii. Quo nuncio quum simul didicissem MS. illud vel ab ipso autographo exscriptum, vel a J. F. Simonio, qui sub extrema tempora proximi seculi id susceperat evulgandum, in omnibus diligentissime emendatum: propterea dolens me frustra tempus in fastidiosissimo labore collocasse, extemplo ad gratiora animum converti. Venit tandem in manus editio Taurinensis: novi exiguum numerum exemplorum: stupui legens, et statim intellexi nec ab archetypo exscripsisse Solinam, nec, quod mihi maxime fuit admirandum, ipsi et Simonio tantam fuisse in rebus patriae eruditionem, quanta plurimorum laudibus praedicabatur. Iterum ergo visae sunt reviviscere rationes, quibus fueram permotus, ut meas de Fara recensiones in vulgus ederem; et amicorum, qui, quae ego, intellexerant, geminatis hortationibus denuo impellebar, ut et expectationem diuturni desiderii iis explerem, qui egregii auctoris opus exoptabant, et sublatis foeditatibus, repletisque vacuitatibus, integrum, et quantum meis studiis assequi potuissem, emendatum praeberem. Quibus morem gerens, quae abjeceram resumpsi, dedique typographo; et, ut non bene nummatis faverem, hoc volui, ut ejusmodi esset editio, quam sibi quisque posset parare.*

Iam tu poteris, lector, ex comparatione Farae, quod Solinianum et Simonianum appellabo, cum hoc meo certo recognoscere perperam illi adtributam archetypi auctoritatem; et dolebis quod illud docto-

rum par, qui, dum viverent, maxima eruditionis patriae laude florebant, quamvis multum studuisse visi sint, nihilominus Farae chirographum in praelaudati cl. eq. Cibrarii manus transmiserint adeo foedatum, ut magnum egregio viro fuerit opus in immani mendorum numero tollendo; quae si videres, non posses quin duobus praenominatis, nisi ob imperitiam, certe ob incuriam, succenseres. Praeterea disces quantus in hac recensione meus labor, qui minor quidem fuisset, si ipse majoris molis opus debuissem conficere; disces meum studium in emendatione, complendisque, quae vacabant. Chorographiam, quae maxime erat deturpata, leges meliorem; historiam habebis pleniorem, et ab auctoribus, quos Fara consuluit, quotquot invenire licuit, restauratam. Intelliges demum me elocutionem etiam auctoris attigisse, sed in iis tantum, quae auctor non probasset, si quod incoeperat opus potuisset perficere.


Mihi ipse gratulabor de opere studioque diuturno, si inde Farae crescat gloria, et juventuti utilitas; quae res me praesertim impulit, ut ex historia clariss. Eq. Manno, et ex cognitione mea, a medio seculo XVI., ubi constitit Fara, annales proferam in hunc usque diem, et aliquot animadversiones in Chorographiam et historias addam ad calcem operis. Valeas optime lector.

Carali idib. Sept. anni M.D.CCC.XXXVI.



LEXICON

CHOROGRAPH. SARDINIAE



Quae nomina literis majusculis efferuntur ad veterem Chorogr. pertinent — quae minusculis rectis (*carat. tondo*) ad medium et recentius aevum — quae iisdem inclinatis (*carat. corsivo*) oppida notant eversa et deserta.

A

1

Arcelni Garrudi Stoplada[illegible] Stopoplada[illegible] Arculeato nella curat. di Sorraby e Colostrai. Fat. an. 1362.

35

B

C

43

19

D

E

46

F

G

50

40

L

M

55

N

58

O

61

P

Q

R

75

T

63

INDEX

CHOROGRAPHIÆ

LIBER I.

LIBER II.

JOHANNIS FRANCISCI FARÆ

SASSARENSIS

J. U. D. ET ARCHIPRESBYTERI TURRITANI

IN

CHOROGRAPHIAM SARDINIÆ

EX RECENSIONE V. ANGIUS

LIBER I.

I. *De Sardiniae nominibus.*

Varia pro temporum varietate Sardinia sortita est nomina. Prius a Graecis *Ichnos*, mox a Timaeo *Sandaliotis*, a Myrsilo *Ichnusa*, et a Beroso *Cadossene* fuit appellata, ut Plinius, Solinus, Bergomensis, et Annius Viterbiensis tradidere. Fuit autem iis nominibus donata ob formam, quam habet, humani vestigii; ut post Sallustium Nonnius, Isidorus, et A. Gellius scripsere. Unde Claudianus (*De Bello Gildonico*) cecinit *Humanae speciem plantae sinuosa figurat Insula* .... et Silius Italicus (L. *De Bello Punico*) ... *terras Enormes cohibet nudae sub imagine plantae; Inde Ichnusa prius Grais memorata colonis.* His demum nominibus obliteratis, *Sardiniae* nomen, quod hucusque retinet, a SARDO Herculis filio consecuta est, ut referunt Pausanias, et Leonicus, et cecinit idem Silius Italicus (*ibidem*) *Mox Lybici* SARDUS

N. B. In questo parag. e in molti dei seguenti sono assai cose prese da Giovanni Camerte Minoritano nelle sue Enarrationi in C. J. Solini Polyhistora – stampato verso il M.DXIIX con privilegio dell' Imp. Massimiliano. Nelle cose Sarde vene ha pure insinuate non poche quando parla delle colonie.

generoso sanguine fidens Herculis ex sese mutavit nomina terrae. Et Claudianus (*ibidem*) *Insula* Sardiniam *veteres dixere coloni.*

II. *De situ Sardiniae.*

Insignis haec maris Mediterranei insula est in Climate IV. inter IX. et XI. Paralellum sita. Suae longitudinis, principium in Gradu XXX. finis in XXXIII.; suae Latitudinis, principium in Gr. XXXVI., finis in XL., ut Ptolomaeus (L. III. c. 3. *Geogr.*) et alii plures, qui coelo terras metati sunt, tradidere.

Circumluitur ab oriente Tyrrheno mari, eaque parte habet Italiam contra ab urbe Roma ad promontorium Caenis, ejusque insulas adjacentes Asturam scilicet, Palmariam, Pontiam, et Isciam, Pandatariam, Parthenopen, Prochytam, Pytecusam seu Aenariam, Megarin, Capreas, Leucotheam, Leucosiam, et insulas Ithacesias vocitatas ab specula Ulyssis.

Obversam ab eo etiam latere habet Siciliam a Pelori promontorio ad Lyliboeum usque, ejusque insulas adjacentes Liparam, Hierum, Strongylen, Didymen, Eryphusam, seu Ericusam, Phoenicusam, et Evonymon, Hieronneson, Aethusam sive Aegusam, et Bucinnam, quae sunt Aegates Livii, Aegimoriaras, scopulos verius, quam insulas inter Sardiniam et Siciliam, de quibus Virgilius « *Saxa vocant Italii mediis quae in fluctibus aras* ». Ubi Servius, « quae saxa ob hoc Itali vocant *aras,* quod ibi Afri et Romani foedus inierunt ». Sunt etiam insulae Melita, Gaulos seu Gaudos, Cosira, Lopadusa et Galata inter Siciliam et Africam jacentes, ceteraeque insulae et regiones longius orientem versus positae, quas non bene huic lateri respondentes consulto praetereo.

Inde a latere meridionali abluitur mari Africo, et habet Africam, Libycam, et Numidiam contra ab Hermaeo promontorio usque ad Ampsagae fluvii ostium; et insulas interjacentes Aidriam scilicet, Aegrium, Drachontium (*la Gàlita*) parum distans.

Ab occasu vero abluitur mari Sardoo omnium profundissimo. Totum enim, quantumcumque est, inter Oceani fauces et Sardiniam, totum appellatur Mare Sardoum ex Eratosthene, ut

Plinius (L. II. c. 5.) refert; excipitur pelago Siculo, et per Lyliboeum Siciliae promontorium dividitur. Sardinia prospicit ab ea parte Mauritaniam, omnemque Hispaniam a Calpe monte ad Pyrenaeum usque, insulas Baleares Majoricam et Minoricam dictas, et Pityusas, Ebusum scilicet et Ophiusam, Juliamque Caesaream.

Tandem a latere septentrionali mare habet, quod ipsam et Corsicam interluit, ab Antonino Pio *Gallicum*, a Plinio (L. II. c. 6.) *Taphron* appellatum; et respicit Narbonensem Galliam, Liguriam et Thusciam, earumque insulas adjacentes Agatam, Oglasam, Aetaliam sive Ilvam, Caprariam, Urgonem, Planariam, Aegilium, Oranum, Planariam, et Corsicam omnium vicinissimam.

III. *Distantia Sardiniae a terris circumjacentibus.*

Distat Sardinia, a Corsica M. P. IX.; ab Italia, ubi minus M. P. CXX. ut ex Plinio (L. II. c. 6.), ubi magis M. P. CLXXX., ut ex Ptolomaei tabulis; a Sicilia M. P. CXX. ut idem Plinius est author, licet Thomas Facellus Ptolomaei tabulas secutus asserat M. P. CCXXX. abesse; ab Africa ex recentiorum geographorum sententia M. P. CXXX., quamvis Antoninus Pius CL., Ptolomaeus CLX., Plinius CC., et Strabo CCC. distare non recte scripserint; a Mauritania, ubi minus M. P. CCC.; a Gadibus, ex recentiorum sententia P. M. MCL., licet Ptolomaeus MCCC., et Plinius MCCCC. abesse asserant; ab Hispania, ubi minus, M. P. CCCL.; totidem a Majorica; a Gallia M. P. CCC. Tandem a Liguria M. P. CCXL. Unde constat Sardiniam veluti in umbilico maris Mediterranei divina providentia positam, tamquam portum omnium navium, quae ultro citroque in Orientem et Occidentem, in Austrum et Boream velificant, earumque perfugium ac solatium a longa navigatione et tempestate: quare Claudianus (*De Bello Gildonico*) ... *Poenos Italosve petenti Opportuna situ.*

Hac ejus opportunitate plurimi homines circumstantium nationum in eam commigrarunt: ex Italia Vetulonienses, Siculesii,

Romani, Pisani, Genuenses; ex Graecia Athenienses, Locrenses, et alii plures; ex Thracia Scythae, nunc Thraces dicti; ex Asia Trojani, Lydii, Phryges, Milesii, Cares, et Phocaeenses: ex ejus insulis Lesbii, Rhodii, et Cyprii: ex Syria Phoenices: ex Africa Aegiptii, Cartaginenses, et Libyes: ex Hispania Andalusii, Navarrenses, Valentini, Aragonenses, et Cathalani: ex Narbonensi provincia Galli: ex Corsica Cyrnaei. Nec non et opportunissima est bellis; hinc fuit veluti arx eorum, qui Mediterraneum mare hucusque obtinuere, ad defendendum, oppugnandumve propinquas regiones; atque semper eam potentissimi quique sibi vindicare omnibus viribus atque opibus studuerunt, Tyrrheni in primis et Graeci, Carthaginenses et Romani; mox Vandali, Gothi, Longobardi, Saraceni; tandem Pisani, Genuenses et Aragonenses, qui, ut de aliis sileam, innumeras pugnas ingentesque clades pro ea edidere, ut in libris historiarum scripsimus.

Est haec insula *naturalis*, ut scribit Baldus (in rubr. ff. *de rerum divis.*), et nulli adjacet, ut contra Bartholum in tractatu de Insulis alias demonstravi (L. II. *Varior.* c. 6.), habetque multas adjacentes insulas, de quibus nunc dicendum.

IV. *Insulae Sardiniae adjacentes.*

Insulae Sardiniam circumjacentes, quae, veluti ejus partes, majorem insignioremque reddunt, sunt plures; nam

In Aquilonari latere hoc ordine adjacent sequentes

Herculis insula, a Ptolomaeo, Plinio, et Martiano Capella, memorata, nomen sumpsit ab antiquiore Hercule Thebano, qui in Sardiniam, ut alias scripsi, venit. Illud deinde, adveniente in insulam Aenea, ut refert Pausanias, amisit, nomenque novum Aenaria ab eo accepit, unde litera *S* interposita corrupta *Asenariae* appellatio, qua hodie dignoscitur. Jacet contra promontorium Gorditanum, nunc dictum *del Falcone* ad M. P. IV. longa magis, quam lata, atque ad Aquilonem procurrens.

Patet in circuitu M. P. XXX. habetque solum montuosum et sylvestre, cui *Campus-Petrus*, et aliae junguntur planities culturae satis idoneae. Est aliquot irrigua fontibus, et venatione, aucupio, et piscatione valde nobilis. Sylvae abundant apris cervis et muphlonibus, plurimis avium generibus, et maxime perdicibus, et generosis falconibus, quos Petrus Aragoniae Rex maximo habebat in pretio. Mare circumfluum habet pisces omnis generis, testudines mirae magnitudinis, et coraliorum copiam uberrimam. Inde Sassarenses, sub quorum ditione, ex ejusdem Petri Regis concessione, existit, multa coria, carnes, pisces, ac coralia in urbem quotannis congerunt, quando tuti a piratis illuc accedere possunt. Damis et leporibus, quibus tellus sardoa abundat, haec caret; vulpes, et lupos non gignit, nec ullum maleficum animal. Plura olim in ea fuere oppida et castella; quae postea, ingruentibus bellis, tantum cepere detrimenti, ut antiquae habitationis nihil hodie supersit, nisi sacellum S. Andreae dicatum, turris et moenia Castellatii semiruta, et satis exiguae reliquiae Villaeregalis et nonnullorum oppidorum. Populo deserta a piratis solum frequentatur, quum plures habeat ad orientem stationes, seu portus, quos appellant, Spalmatoris, S. Mariae Tercenalis, Scombri, Trabuccati, et Olivae.

Alia, quae *insula Herculis* a Plinio et a Martiano eadem ratione nuncupatur, fuit a Ptolomaeo *Diabates* appellata a duobus, iisdemque angustis fretis, quibus a Sardinia et Aenaria dirimitur; quae tamen *Plana* nunc dicitur ab ejus planitie vepribus et dumetis vestita. Distat a Gorditano promontorio M. P. pelago tam exiguae profunditatis interfuso, ut ex multorum sententia coeno et lapidum mole Sardiniae possit conjungi. Ad Aenariam angustius quidem, sed profundius est mare. Habet portum Paleam, et turrim a Sassarensibus summa impensa, et multis initis praeliis cum Saracenis, anno 1528. conditam.

Platamonis scopulus subaquaneus Sursae oppido obiicitur.

Canis-mali scopulus jacet contra speculam Aquilonis.

Nymphaea insula parva, a Ptolomaeo memorata, contra Frisani sinum posita, parvum efficit portum.

Ilva, insula parva, ex eodem Ptolomaeo, juxta Castrum-Genuense eminet.

Fossae insula, ex Plinio (L. III. c. 7.), et Martiano (L. VI. *de Sardinia*), hodie *insula-rubra* dicta, non procul a Capite Musmonariae sedet rupibus rubro colore perfusis.

Phintonus, ut a Ptolomaeo, vel *Phintonis*, ut a Plinio, vel *Pintonus*, ut a Martiano appellatur, insula est in freto Gallico Sardiniae adjacens contra promontorium Errebantium, *Testam* ex figura vulgo dictum.

Cunicularíae septem parvae insulae, ex Plinio et Martiano, Sardiniae adjacent; quarum duae Porrìta et Capizzòla vulgo dictae contra Portum-Pullum; tres, quae Spargia, Assiria, et major reliquis a S. Maria Magdalena appellantur, contra Puntam-Sardam; reliquae, quibus nomen Porcaria, et a S. Stephano, contra Schifi peninsulam jacent; quae cum multis scopulis portum efficiunt tutissimum, et cujusvis classis capacem.

In Orientali latere Sardiniae adjacent infrascriptae insulae.

Mortorii insulae nobiles victoria Genuensium et clade Saracenorum, quorum ossa grandi cumulo congesta in ea cernuntur, jacet contra Marinellam cum insulis Tartargia et Altàra, multisque scopulis.

Fìgheris insula, parva et fastigiosa contra portum Fìgheris ad promontorium Rotargii sita.

Hermaea insula a Ptolomaeo, *Buccina* a Damaso, hodie vulgo *Tabularia* dicta, S. Pontiani Pontificis exilio et morte clara, referente eodem Damaso, non procul a portu Terrae-novae eminet immani dorso, et oblonga jacet, patens in circuitu M. P. XII., aspera, elatisque montibus adeo fastigiosa, ut adnavigantibus ex Italia prima omnium sit conspicua. In qua sunt aliquot commodae stationes.

Salzàis, seu *Molàra insula* forma quasi rotunda sita est prope Tabulariam, hac minor quidem, sed amoenior, septem habens valleculas, arbores malorum-aureorum, sacella, aliasque antiquae habitationis reliquias. Quam circumstant multi scopuli, quos enumerare brevitatis causa supersedeo.

Posàtae insula, in qua oppidum Gurguràis Galtellinensis Episcopatus interiit.

Aquilanae insulae tres, seu verius petrae dicendae, contra caput Cominum et Noracem Aquilae jacent.

Agugliastrae insula parva contra templum S. Mariae Navarrensi dicatum adnavigantibus praebet stationem.

Chirrae insula parva non procul a Capite-ferrato posita contra Castrum Chirrae.

In Meridionali Sardiniae latere sunt infrascriptae insulae.

Heras-lutra, ex Plinio et Martiano Capella, quae lutris abundare dicitur, nunc *Serpentaria* appellata, contra promontorium Columbarium cum tribus parvis scopulis jacet circumscripta M. P. IV. Cui sunt vicinae aliae tres insulae *Serpentariae* etiam dictae, scilicet insula *S. Stephani*, cujus ora percurritur M. P. insula *Piscatelli* D., insula *Petrae-ligatae* CCC.

Collòdae insula, *Delli-cavoli* vulgo dicta, contra Caput-Carbonariae cum duabus parvis insulis, *Coltellatiis* dictis, adjacet contenta intra M. P. V., in qua plures stabulantur cuniculi, et valida sedet arx.

Gàlata insula parva, ex Martiano, adjacet Caralitano promontorio, et *Petra-ligata* vulgo dicitur.

Ficària insula a Plinio, Ptolomaeo, et Martiano, in stagno piscoso Caralitano M. P. ab ostio jacet, vinetis, viridariis, et agro frumenti culturae idoneo, insignis; in qua cuniculorum maxima copia. Eam circumcurrit linea V. M. P.

Suta scopulus contra ostium fluminis Pulae.

Balàrides parvae insulae, ex Plinio et Martiano, contra Caput Pulae et Coltellatium jacentes, Coltellatiae nunc appellantur, in quarum majore, dimetienda, M. P., est templum D. Michaeli sacrum.

Judaei scopulus non procul a salinis Chiae, in cujus circuitu sunt P. CCC.

Torella insula parva contra Malfatànum, sylvosa et scopulosa. Comprehenditur P. D.

Rubra insula, circumeunda M. P. IV., distans a Sardiniae M. contra lingulam Franciris agri, tres habet stationes cum puteo aquae dulcis, et portum cum Sardinia facit *Bythiam* a Ptolomaeo appellatum. Memoratur haec insula ab Hieronymo Zurita.

Tegularis insula parva contra Chersonesum, vulgo Caput Tegulare dictum.

Tauri et *Vaccae* insulae parvae, contra portum Sulcitanum cum alio parvo scopulo sitae.

Plumbea seu *Molybòdes* a Ptolomaeo, *Enòsis* a Plinio, vulgo nunc insula S. Antiochi dicta, habet in circuitu M. P. XXX., adeo proxima littori, et agro provinciae Sulcitanae, cui per pontem lapideum jungitur, ut pede sicco trajici possit. Solum habet pabulis culturae et venationibus idoneum, venisque plumbi et argenti *molibdenis* dictis insigne, et puteos aquae dulcis. Stagnum, et mare, quo circumlavatur, piscibus abundat, et hoc thynnorum captura est nobile. Denique cernuntur habitationis monumenta praeclarissima, nec non priscae structurae templum S. Antiocho ibi sepulto sacrum, antiquae arcis turres, et moenia semidiruta, ponsque ingentibus saxis extructus, et parvae casae. Silet nunc haec insula deserta, piratis, qui illam frequenter adeunt, praebens stationes Milis, Salis, Fulminis, Mercurii, et sinum Caudae-equi omnium capacissimum. Est in ea montis Sarbi specula, quae esset turri munienda.

Francorum insula parva illi adjacens, insulam S. Petri prospicit, tota fere plana, in qua turris speculatoria constructa prodesset.

Hieraconnesus, hoc est accipitrum insula, ex Ptolomaeo, nunc S. Petri appellata ab ejus templo in ea constructo, habet in ambitu M. P. XXII. et cum propinqua insula S. Petri et Sardiniae latere portum efficit, quo classis innumerabilis posset contineri. Solum habet montuosum et asperum, pinis sylvestribus abundans, mare pisculentum, in quo etiam thynnorum piscatio est copiosa: fuitque olim habitata, ut sacellum in ea conditum, et alia antiqua monumenta docent; sed nunc tantum capris, porcis sylvestribus, atque cuniculis mirae magnitudinis affluit; ejusque portus ingens *Spalmatoris* dictus est

satis in tempestatibus tutus, et a piratis frequentatus. Prope hanc insulam sunt Sardiniam versus

Planaria insula circuitus M. P.

Murium insula, quae potius dicatur scopulus.

Ad latus Occidentale sunt infrascriptae insulae.

In primis novem sequentes brevissimi circumgressus;

Duae insulae parvae contra portum Canelles.

Tres insulae parvae contra Conesam.

Alia contra Caput-Dadi.

Alia contra Caput-Neapolis;

Duae ad Caput-Fraschae.

Femur-muliebre, insula, quam circummetiaris M. P. IV., aspera et deserta, contra Corrigam turrem in litore Arborensi, stationem piratis praebet.

Malum-ventris insula circuitus M. P. VIII. contra Caput-magnum amoenior, et commodam praebens piratis stationem.

Porrus, scopulo, quam insulae propior, juxta Caput-album contra salinas Oristagni.

Columbariae quatuor parvae insulae contra Fiscellam.

Bosae insula circuitus D. P. ad ostium Themi fluvii, turrem habet satis munitam, et tutam praebet navibus stationem.

Insula-Marrargii, seu scopulus potius, juxta Hermaeum promontorium, vulgo *Marrargium* dictum.

Insula-Rubra, seu potius scopulus, contra speculam Montem-Mandronem dictam.

Insula parva, seu potius scopulus, contra Pollerim.

Magdalenae-insula, cujus circuitio paucioribus, quam M. P. perficiatur, nomen habuit a fano S. Mariae Magdalenae dicato. Abest ab urbe Algario P. M. D.

Foràda, vulgo *Foradàda* a foramine, quod habet maximum contra stationem Serelli et Malae-quietis, dicta, non procul a S. Therami-promontorio aspera surgit.

Planaria, dicta etiam *Cala-longa*, circuitus M. P. II., quae videatur Sardiniae cohaerere, et optimam habet stationem.

Porri scopulus contra Montem-Porrum.

Femoris-muliebris scopulus contra Navis statione.

Insulae parvulae, seu scopuli, juxta Caput-album non procul a Gorditano promontorio, unde auspicati sumus.

De insulis adjacentibus dictum satis, nunc de totius insulae magnitudine dicamus.

V. *De insulae Sardiniae magnitudine, et circuitu.*

Est haec insula magnitudine praeclara, ut Pausanias et Leonicus; quin eam inter omnes maximam testantur Victor Uticensis, et antiquus Bias philosophus Prienensis, ut refert Herodotus. Equidem major est Creta, Euboea, Cypro, Cyrno, et Lesbo, aliisque multis, et par magnitudine Siciliae, teste Diodoro Siculo (L. VI.). Atque, ut refert Strabo, litoralis Sardiniae ora continet in circuitu M. Stadiorum IV. hoc est DM. P., vel ut scribit Plinius DLXVM. P. Nempe.

Ab Oriente patet . . .	M. P. CLXXXVIII.
Ab Occidente	CLXXV.
A Meridie	LXXVII.
A Septentrione	CXXV.
Vel ut tradit Ptolomaeus patet in circuitu . . . DCXXXVII. M. P.	nempe
Ab Oriente	CCXXXVII.
Ab Occidente	CLXXXIII.
A Meridie	CXX . . .
A Septentrione	C. . . . .
Quorum milliaria non congruunt cum nostris: nam mihi certum est totam illius litoralem oram in circuitu continere	M. P. DCLXIII.

Septentrionalis lateris descriptio et mensura litoris . . .		M. P. CXXXIV.	
A promontorio Gorditano, ubi est specula Montis-Falconis valida turri munienda,			
ad Casaracii stagnum piscosum Passus	6000.	M. P.	VI.
ad turrim Salinarum Sassaris »	500.	P.	D.

ad stagnum-putidum . . .	Passus	3000.	M.	P.	III.
ad ostium stagni Pili . .	»	1800.		P.	MDCCC.
ad ostium Fluminis-sancti. .	»	2600.		P.	II. MDC.
ad stationem Corbàrae-magnae .	»	1000.	M.	P.	
ad stationem Corbàrae - parvae, inter quas turris speculatoria valde prodesset . . .	»	500.		P.	D.
ad stationem Pertùsi . .	»	500.		P.	D.
ad Januarii stagnum . .	»	500.		P.	D.
ad ostium Fluminis-turritani .	»	2000.	M.	P.	II.
ad turrem Portus, ubi jacet urbs *Turris Libysonis* a Plinio et Ptolomaeo memorata, et est tutissimus portus, et triremium capax	»	500.		P.	D.
ad Balagàis rupem, unde corpora ss. mm. Gavini, Propti, et Januarii projecta in mare fuerunt; atque ubi turri exaedificata fieri possent excubiae ad Scandellum, aliasque quatuor stationes . . .	»	1000.	M.	P.	
ad speculam Aquae-currentis .	»	2000.	M.	P.	II.
ad stagnum piscosum Platamònis	»	1000.	M.	P.	
ad ostium Silis fluminis Sursani, ubi interiit *Tibula* a Ptolomaeo et Antonino Pio in Itinerario memorata . .	»	7000.	M.	P.	VII.
ad ostium fluminis Petrae-foci .	»	3000.	M.	P.	III.
ad montem Aquilonis, vulgo dictum *Di-tramontana*, ubi esset construenda turris speculatoria super proximis stationibus	»	2000.	M.	P.	II.
ad ostium Balnei fluminis . .	»	4500.		P.	IIII.M.D.
ad Frisàni fluvii ostium, ubi ruinae excisae urbis Frisani conspiciuntur . . .	»	300.		P.	CCC.
ad Castrum Aragonense, olim Genuense dictum . . .	»	500.		P.	D.

ad stationem Augustinam . .	Passus	1000. M. P.	
ad rupem Montis-Foeni, speculam propinquarum stationum Bitargiae, et Scalae-fratris turri muniendum	»	3000. M. P.	III.
ad ostium fluminis Cocinae, ubi templum S. Petri et exiguae ruinae *Juliolae*, urbis antiquae a Ptolomaeo memoratae, supersunt	»	3000. M. P.	III.
ad Caput-Musmonariae sub insula-rubra, ubi satis prodesset turris speculatoria ad hanc, et propinquam stationem Serraniae	»	7000. M. P.	VII.
ad ostium fluminis *Vineolae*, Urbis antiquae memoratae ab Antonino	»	15000. M. P.	XV.
ad Portum-Sardum juxta stagnum *Aùsta* dictum . . .	»	2000. M. P.	II.
ad promontorium-rubrum, ubi est turris speculatoria antiqua .	»	2000. M. P.	II.
ad Vallaltae stationem . .	»	4000. M. P.	IV.
ad promontorium, Errebantium a Ptolomaeo dictum, vulgo *La Testa*, ubi interiit *Plubium*, urbs antiqua ab eodem memorata, extantque monumenta non spernenda, ad portum S. Reparatae, duasque proximas stationes, ubi prodesset turris speculatoria, si construeretur.	»	7000. M. P.	VII.
ad portum et ostium fluminis *Longònis-sardi* oppidi illic prostrati, ubi puteus aquae dulcis est, et prodesset turris speculatoria	»	4000. M. P.	IV.
ad stationem Capitis-Falconis, portum absconditum dictam .	»	2000. M. P.	II.

ad Marmoratam stationem . .	Passus	1000. M. P.	
ad Portum-puteum, cujus antiqua monumenta adhuc cernuntur	»	7000. M. P.	VII.
ad peninsulam, caput Sanctae Mariae dictam, penes quam sunt stagna Caffrèdae et Barisònis, turrisque speculatoria desideratur	»	3000. M. P.	III.
ad ostium fluminis-magni Isclae dicti	»	2000. M. P.	II.
ad promontorium Equorum .	»	1300. P.	M. CCC.
ad Portum-Pulli, tutissimum et multarum triremium capacem, et ostium fluvii quem dicunt *Altùram Cathalanorum* .	»	2000. M. P.	II.
ad Caput-Sardum . . .	»	3500.	
ad portum medii Schifi dictum .	»	2000. M. P.	II.
ad caput Ursi, promontorium Arcti a Ptolomaeo appellatum	»	4000. M. P.	IV
ad portum Salinarum, cui nomen a parvis salinis ibi existentibus	»	2000. M. P.	II.
ad portum et ostium fluminis *Arzaghènae*, in cujus monte, qui dicitur Petrosus, turris esset construenda	»	6000. M. P.	VI.
ad Arenae-albae stationem .	»	3000. M. P.	III.
ad Intestini-Ursi stationem .	»	3000. M. P.	III.
ad stationem Portum-Cervorum vulgo dictum juxta speculam Muri-albati, quae turri esset munienda	»	2000. M. P.	II.
ad promontorium Molae, Columbarium a Ptolomaeo appellatum, ubi est finis lateris septentrionalis, quod licet adnavigantes opportunis, ut vidimus, stationibus accipiat; tamen praeva-			

lidi et incerti ventorum flatus ex proximis montium jugis irruentes, parum tutos et periculi plenos faciunt accessus, ut refert Pausanias. (L. X.), unde Claudianus (*De Bello Gildon.*) . . . *Qua respicit Arcton Immitis, scopulosa, procax, subitisque sonora Fluctibus; insanos infamat navita montes* . . Passus 2000. M. P. II.

Lateris Summa Pass. 134000. M. P. CXXXIV.

Orientalis lateris descriptio, et mensura litoris . . . P. CXCVII. M. DCCC.

A promontorio Molae in Columbario				
ad portum Molae . . .	Passus	2000.	M. P.	II.
ad promontorium Claudum .	»	5000.	M. P.	V.
ad Littarream stationem . .	»	2000.	M. P.	II.
ad Vulpis stationem . . .	»	2000.	M. P.	II.
ad Isclam Rubram dictam. .	»	2000.	M. P.	II.
ad portum Congianum tutissimum et capacem . . .	»	3000.	M. P.	III.
ad Portus-rotundi stationem .	»	2000.	M. P.	II.
ad portum Marinellae . .	»	3000.	M. P.	III.
ad stationem Portus-Fenugiarii .	»	2000.	M. P.	II.
ad portum Venturae. . .	»	1000.	M. P.	
ad Rutargium promontorium, peninsulam venatione insignem Caput-Figheris dictam, ubi est portus hujus nominis et esset constituenda turris speculatoria	»	7000.	M. P.	VII.
ad ostium portus Olbiani . .	»	12000.	M. P.	XII.
ad Olbiam, quae postea Phausania, tandem Terranova est				

dicta, ubi est turris speculatoria non procul a portu .	Passus	3000.	M. P. III.
ad ostium fluminis Pratojani .	»	2500.	P. II. M. D.
ad portum Vitelli . . .	»	4000.	M. P. IV.
ad caput Cerasi, ubi turris speculatoria esset construenda .	»	5000.	M. P. V.
ad portus Istani stationem .	»	2500.	P. II. M. D.
ad portum s. Pauli, stationem tutissimam, et multarum navium capacem . . .	»	2000.	M. P. II.
ad portus Gregorii stationem .	»	2000.	M. P. II.
ad Coacaddi peninsulam, seu promontorium, in quo turris speculatoria esset construenda .	»	4500.	P. IV. M. D.
ad portum Ciabattinum . .	»	2000.	M. P. II.
ad portum, seu ostium stagni Offidè, oppidi nunc prostrati .	»	1500.	P. I. M. D.
ad ostium fluminis Baddiuni, prope antiquam urbem *Feroniam* a Ptolomaeo memoratam, quae jacet	»	2000.	M. P. II.
ad stationem portus-occulti .	»	2000.	M. P. II.
ad caput Noracis, seu Musmonariae, ubi turris speculatoria valde prodesset . . .	»	1500.	P. M. D.
ad stationem parvam S. Annae .	»	2000.	M. P. II.
ad speculam promontorii-longi	»	1000.	M. P.
ad oppidum Posàtae, ubi est flumen Cedrisemna a Ptolomaeo memoratum, et insignis arx rupibus praecisis . . .	»	4000.	M. P. IV.
ad ostium fluminis Siniscolae .	»	1500.	P. M. D.
ad portum S. Luciae . .	»	1000.	M. P.
ad caput Comìnum, ubi turris speculatoria esset construenda	»	6500.	P. VI. M. D.
ad promontorium Noracis Aquilani	»	300.	P. CCC.
ad stationem Junìperi . .	»	2000.	M. P. II.
ad promontorium-nigrum . .	»	7000.	M. P. VII.

ad ostium fluminis Urisèis .	Passus	5000. M. P.	V.
ad stationem Osallae . .	»	6000. M. P.	VI.
ad stationem Lunae . . .	»	2500.	P. II. M. D.
ad portum Sisinis . . .	»	1500.	P. M. D.
ad speculam et promontorium Capitis-Monti-Sancti, quod ab oriente navigantibus primus omnium se praebet conspiciendum	»	6000. M. P.	VI.
ad turrem S. Mariae Navarresae	»	7000. M. P.	VII.
ad ostium stagni et fluminis Tortolini, ubi est portus seu statio Agugliastri . . .	»	3500.	P. III. M. D.
ad turrem speculatoriam promontorii Arbatassi . . .	»	1500.	P. M. D.
ad caput, seu promontorium-nigrum Sabillonis . . .	»	8000. M. P.	VIII.
ad caput Ferreum, et speculam .	»	13000. M. P.	XIII.
ad ostium fluminis Chirrae prope castrum ejusdem nominis.	»	14000. M. P.	XIV.
ad promontorium-rubrum. .	»	3000. M. P.	III.
ad ostium fluminis Dosae, Soepri a Ptolomaeo dicti, quod tribus constat ostiis . . .	»	4000. M. P.	IV.
ad promontorium Salinarum, ubi esset condenda turris speculatoria	»	5000. M. P.	V.
ad *Portum Sypicium*, a Ptolomaeo memoratum juxta pisculentum Sàrrabi stagnum .	»	2000. M. P.	II.
ad Caput-ferratum, ubi esset valde utilis turris speculatoria, si conderetur	»	4000. M. P.	IV.
ad *vicum Susalei* a Ptolomaeo memoratum, soloque jamdiu prostratum	»	5000. M. P.	. V.
ad caput Portus-Piras, ubi esset turris speculatoria condenda,			

et non procul sedet excelsus mons Septem-fratrum, qui adnavigantibus ex Sicilia primus omnium fit conspicuus . .	Passus	6000.	M. P.	VI.
Hic est finis orientalis lateris, quod licet praedictos portus stationesque praebeat; tamen inconstantes rapidaeque ventorum procellae, a montium verticibus saepius in mare devolutae, periculosos et ancipites faciunt accessus, ut testatum reliquid Pausanias L. X.				

Summa Lateris orientalis Pass. 197800.M.P.CXCVIIDCCC.

Meridionalis lateris descriptio, et mensura litoris . .	P. CXXXIX. M. CCL.			
A capite Portus Piras, ubi est optima statio				
ad caput Serpentarium, seu Columbarium, ubi esset construenda turris speculatoria ad stationem Columbariam . .	Passus	2500.		P. II. M. D.
ad caput Carbonarium, ubi est turris speculatoria portus Junci	»	5000.	M. P.	V.
ad turrem speculatoriam stationis Catharinae . . .	»	1000.	M. P.	
ad turrem speculatoriam Arcem veterem dictam . . .	»	1000.	M. P.	
ad ostium fluminis Carbonariae	»	2000.	M. P.	II.
ad caput Bovis, ubi est turris speculatoria	»	3000.	M. P.	III.
ad caput Vaccae, seu montem Foeniculi, ubi est turris speculatoria	»	4000.	M. P.	IV.

ad ostium fluminis Vergereti .	Passus	3000.	M. P. III.
ad turrem speculatoriam Guardiae, seu stationem Reginae .	»	1500.	P. M. D.
ad turrem speculatoriam Nuragiannae dictam . . .	»	2500.	P. II. M. D.
ad turrem speculatoriam litoris ejusdem Foguìu fluminis S. Andreae, seu Pedis-altaris dictum	»	3000.	M. P. III.
ad turrem speculatoriam Carcangiòli appellatam . . .	»	2200.	P. II. M. CC.
ad turrem speculatoriam oppidi Quarti, seu ostii fluminis, dictam	»	2200.	P. II. M. CC.
ad caput S. Eliae, ubi est prima turris speculatoria, S. Eliae dicta	»	2200.	P. II. M. CC.
ad turrem speculatoriam stationis-muscarum in eodem capite.	»	400.	P. CCCC.
ad *Caralim*, ad quam est portus, seu sinus cujusvis classis capacissimus et satis profundus, a Capite S. Eliae ad Caput Pulae.	»	3000.	M. P. III.
ad ostium stagni Caralitani, seu illius cymbam . . .	»	1000.	M. P.
ad ostium antiquum ipsius stagni, nunc coeno et lapidum mole clausum, ubi excisi pontis adhuc vestigia cernuntur.	»	5000.	M. P. V.
ad turrem speculatoriam *su Loi*, seu S. Magdalenae dictam, ubi litus *Proseches* a Ptolomaeo memoratum incipit . .	»	2500.	P. II. M. D.
ad ostium fluminis *su Loi* .	»	1000.	M. P.
ad Tempadoris stationem . .	»	1000.	M. P.
ad turrem speculatoriam loci fluminis-vini, seu Antigoris dictam	»	2000.	M. P. II.
ad stationem Portus-calcis. .	»	1000.	M. P.
ad stationem Sarròcae . .	»	500.	P. D.

ad Portus-morboni stationem .	Passus	500.	P. D.
ad promontorium Cunicularium a Ptolomaeo appellatum, ubi est speculatoria turris Savorrae, et desinit litus Proseches . .	»	1000.	M. P.
ad speculam Columbi . .	»	500.	P. D.
ad caput Petrae-salis . .	»	2000.	M. P. II.
ad ostium fluminis Pulae in litore Forcatissi magnam aquae optimae copiam in mare volventis contra non procul positam insulam S. Macarii, inter quae est portus plurimis et maximis navigiis . . .	»	2000.	M. P. II.
ad stationem S. Victoriae, antiquum portum Norae ad orientem	»	1500.	P. M. D.
ad caput Pulae, aliter Coltellatium, ubi super rupibus praecisis turris speculatoria natura loci satis tuta construi posset, et jacet urbs antiqua *Norae*, cujus theatrum, moenia, aquaeductus, et plurima edificia semidiruta conspiciuntur . .	»	1000.	M. P.
ad stationem occidentalem Norae, ubi parvum stagnum, et ostium Rièrae fluminis decurrentis juxta Castrum antiquum Pulae	»	500.	P. D.
ad stationes Astiae, vel Petrae-foci, ubi turris speculatoria construi posset	»	2500.	P. II. M. D.
ad ostium fluminis Chiae . .	»	4500.	P. IV. M. D.
ad Chiae speculam magistram turre muniendam . . .	»	250.	P. CCL.
ad Cannarum stationes duas turri speculatoria excubandas .	»	2000.	M. P. II.

ad caput Spartiventi. . .	Passus	1000.	M. P.	
ad portum Malfatàni, *portum Herculis* a Ptolomaeo dictum multarum triremium capacem, cui ad sagittae jactum vicina est specula Canis-nigri . .	»	5000.	M. P.	V.
ad Piccinìni stationem . .	»	3000.	M. P.	III.
ad Budelli stationem . .	»	2000.	M. P.	II.
ad portum *Bithiam* a Ptolomaeo appellatum, inter insulam Rubram et Sardiniam existentem, quarumcumque navium et triremium capacem, in quo lingula est, quae duas efficit stationes, piratis satis commodas, nisi arce ibi condita propellantur	»	1500.	P.	M. D.
ad caput *Tegulare*, a Ptolomaeo *Chersonesum* dictum, quod instar peninsulae jacet duas hinc inde piratis praebens stationes.	»	3000.	M. P.	III.
ad caput Plumbeum, et illius stationem, turre speculatoria protegendam	»	5000.	M. P.	V.
ad Pini stationem, ita vulgo dictam a pinetis, quibus ea plaga a capite Plumbeo ad Suculiam stationem scatet . .	»	6000.	M. P.	VI.
ad Suculiae stationem, ubi turris speculatoria satis esset commoda	»	6000.	M. P.	VI.
ad flumen Palmae, et portum Sulcitanum, a Ptolomaeo *Deboten* appellatum, inter Sardiniam et insulam S. Antiochi apertum, cujusvis classis capacissimum	»	4000.	M. P.	IV.
ad pontem insulae S. Antiochi, quae *Plumbea* aut *Molybodes*				

a Ptolomaeo, *Enosis* a Plinio et Martiano est nominata .	Passus	4000. M. P.	IV.
ad portum Corongii Ajini multarum navium capacem et tutissimum, si in propinqua rupe turris extrueretur . . .	»	5000. M. P.	V.
ad Alghae fluviolum, ubi *Pupuli* urbem interisse nonnulli referunt	»	1000. M. P.	
ad portum Canelles, a Zurita memoratum, ejusque stationem Scusi dictam, quibus propinqua erat urbs *Metalla* ab Antonino Pio relata, in quarum ora effossa arena aquae dulces scaturiunt . . .	»	8000. M. P.	VIII.
ad Connesae sinum, portum Villae Ecclesiarum juxta propinquam speculam montis S. Johannis, qui primus omnium adnavigantibus ab Hispania apparet	»	10000. M. P.	X.
ad promontorium *Pachiam* a Ptolomaeo, Monterai, seu Caput Dati vulgo appellatum, ubi est specula et finis lateris meridionalis; quod planiori solo et ratibus clemens est, ut cecinit Claudianus *de Bello Gildonico*	»	5000. M. P.	V.

Summa lateris . Pass. 139250.

Occidentalis lateris descriptio et mensura litoris . .	Passus	CXCII. M. CCCC.	
A Pachia promontorio			
ad caput Magistri . . .	»	2000. M. P.	II.
ad stationem domesticam . .	»	2000. M· P.	II.
ad ostium fluminis-majoris seu portum *Neapolis* a Zurita memoratum in IV. lapide a templo S. Nicolai prostratae urbis *Neapolis* existens . . .	»	2000 M. P.	II.
ad Caput Neapolis, seu speculam a Sardis Montem Arae, a Navigantibus montem Plumbeum dictum, quibus in hac ora primus omnium apparet, ubi a Ptolomaeo *Sardo-patoris Fanum* collocatur. . .	»	2000. M. P.	II.
ad *Osaeam* urbem a Ptolomaeo memoratam non procul a specula Sarbazài excisam . .	»	15000. M. P.	XV.
ad caput Fraschae . . .	»	8000. M. P.	VIII.
ad ostium Marcellini stagni, ubi est turris speculatoria, et portus capacissimus . . .	»	6000. M. P.	VI.
ad ostium stagni Sassi . .	»	12000. M. P.	XII.
ad ostium stagni S. Justae .	»	4000. M. P.	IV.
ad ostium fluminis Oristagni *Thorsi* a Ptolomaeo dicti, et per pontem magnum illius urbis delabentis	»	2000. M. P.	II.
ad turrem satis munitam sinus Arborensis	»	1000. M. P.	
ad stagnum Marepontis . .	»	1000. M. P.	
ad stagnum Mistrae . .	»	1000. M. P.	
ad promontorium S. Marci, ubi interiit antiqua urbs *Tharra* a Ptolomaeo memorata, et tan-			

tum superest templum D. Johanni sacrum cum aliis non paucis ruinis, et turre speculatoria, hac nostra aetate condita.	Passus	5000.	M. P.	V.
ad turrem antiquam Corrigiae nunc aliquantulum destructam.	»	4500.	P.	IV. M. D.
ad turrem speculatoriam Capitis-magni, seu Salinarum . .	»	12000.	M. P.	XII.
ad stationem Capitis-albi, quae est juxta salinas Oristagni, ubi est turris speculatoria .	»	3000.	M. P.	III.
ad stationem Embarcatorii contra stagnum Maris-vermae .	»	3000.	M. P.	III.
ad stationem Putei, ubi est turris speculatoria . . .	»	4000.	M. P.	IV.
ad Archittum, portum *Coracoden* a Ptolomaeo dictum, cui vicina jacet prostrata urbs antiqua *Corni* a Livio, Ptolomaeo, et Antonino memorata.	»	200.	P.	CC.
ad turrem speculatoriam s. Catharinae juxta Pittinùris prostratum oppidum: ibi sub excisa spelunca est navigiorum optima statio	»	1000.	M. P.	
ad stationem fluminis-vitae .	»	2500.	P.	II. M. D.
ad promontorium Nigrum, ubi est turris speculatoria . .	»	1500.	P.	M. D.
ad ostium fluminis Foghedòlia, ubi est turris speculatoria. .	»	2000.	M. P.	II.
ad Isclae rubrae turrem speculatoriam, ubi sunt duae parvae stationes	»	2000.	M. P.	II.
ad caput Columbarium . .	»	2000.	M. P.	II.
ad ostium Fisuli seu Fiscellae Fluminis	»	4000.	M. P.	IV.
ad ostium fluminis Bosae *Themi* a Ptolomaeo nuncupati, olim				

triremium capacissimi, nunc mole lapidum praeclusi, habens ex adverso insulam cum turre, quae tutam praebet navibus stationem . . .	»	1500.	P. M. D.
ad linguam-argentinam, ubi est turris speculatoria vicinarum stationum scilicet Mauri, Caraportiti, Codulèrae, Roconèsae	»	5000. M. P.	V.
ad promontorium *Hermeum* a Ptolomaeo appellatum, quod Marrargium vulgo appellant, primumque conspiciunt ad navigantes a Balearibus . .	»	5000. M. P.	V.
Est in hoc promontorio turris speculatoria stationum Mongettae, Foeniculi, Postae, Marrargii, S. Mariae Speluncae, Manàghi, et Bovis.			
ad speculam Montis-mandronis .	»	5000. M. P.	V.
ad speculam Diaboli . .	»	5000. M. P.	V.
ad portum Pòlleris, ubi est turris speculatoria stationis illius, et Hominis-mortui. . .	»	4000. M. P.	IV.
ad stationem Calae-bonae, illiusque fluvii ostium . .	»	4000. M. P.	IV.
ad Algarii urbem . . .	»	4000. M. P.	IV.
ad stagnum pisculentum, in cujus ostio est insignis fons aque dulcis	»	3700.	P.IIIMDCC.
ad turrem Capitis-triremis, Algariensis sinus et navium in eo existentium tutelam . .	»	5000. M. P.	V.
ad turrem speculatoriam Capitis Lilii, ubi est ostium portus Comitis.	»	2500.	P. II. M. D.
Portus Comitis, *Nimphaeus* a Ptolomaeo appellatus tutissimus			

est, et cujusvis magnae classis capacissimus, in longitudine M. P. VI., in latitudine quandoque M. P. III. Ibi sunt stationes Massae, S. Ambenis, Fratris, Tamaricis, et Portuspavonis cum arce illi propinqua, nuper condita, et duobus fontibus Dragonaria, et Stamparogia, aquas dulces perenniter et copiose propinantibus.

A capite Lilii				
ad promontorium S. Therami, Caput-Venationis etiam dictum, ubi est specus cum sacello illi Divo dicato, et stationes Genuensium, et Mortuorum .	Passus	3000.	M. P.	III.
ad turrem Pinnarum, seu magistram, quae speculatoria est .	»	3000.	M. P.	III.
ad speculam Leonum . .	»	2000.	M. P.	II.
ad turrem sinus Porticioli. .	»	3000.	M. P.	III.
ad fontem Bantini-Salis ex rupe litoris scaturientem . .	»	2000.	M. P.	II.
ad Gaginae turrem speculatoriam stationis Vini, et aliarum .	»	2000.	M. P.	II.
ad stationem Montis-Girati, ubi est arx Sassarensium coralia in eo mari piscantium, et non procul turris antiqua speculatoria .	»	3000.	M. P.	III.
ad Argentariae promontorium, ubi erant argenti fodinae, turrisque speculatoria valde prodesset	»	3000.	M. P.	III.
ad stationem S. Nicolai . .	»	1000.	M. P.	
ad stationem Palmae . .	»	1000.	M. P.	
ad promontorium Nigrum, ubi est insignis lapidicina Petraenigrae	»	3500.		P. III. M. D.

ad ostium fluminis, piratarum stationem	Passus	2500.	P. II. M. D.
ad Montem-porri . . .	»	5000. M. P.	V.
ad Femur-muliebre . . .	»	3000. M. P.	III.
ad promontorium Falconis, olim *Gorditanum* appellatum, ubi est finis occidentalis lateris, et principium septentrionalis, unde auspicati sumus . .	»	6000. M. P.	VI.

Summa lateris Pass. 192400.

De longitudine et latitudine Sardiniae.

Patet haec insula latior a septentrionibus ad meridiem, hoc est ab Errebantio promontorio regionis Gallurae, *Testa* vulgo appellato ad Chersonesum regionis Caralitanae, *Caput Tegulare* nuncupatam. Nam eo tractu procurrit ex Pausaniae sententia (L. X.) CXX. super M. Stadiis, idest M. P. CXL.: ex Strabonis mensura CCXX.; sed ex Paulli Orosii (L. 1 c. 2.), et Ptolomaei descriptione, quam sequor, in M. P. CCXXX. protenditur.

Est autem angustior ab ortu in occasum, qua excurrit CDL. Stadiis, vel LVI. M. CCL. P., ut inquit Pausanias; vel XCVIII. ut vult Strabo; vel CLXXX., ut scriptum reliquit Orosius. Quae mensurarum diversitas est a locorum diversitate, unde dimensiones variae sunt institutae; quandoquidem ea pars, quae Corsicam respicit, et Caput Logudori atque Galluram continet, aliquanto spatiosior est, ut inquit Pomponius Mela (L. II.), quum a promontorio Argentario lateris occidentalis ad promont. Comìnum lateris orientalis sit distantia M. P. CLXXX. ab Orosio relata; ea vero pars, quae meridiem respicit, et regionem Caralitanam continet, angustior contrahitur in M. P. XCVIII. ex Strabonis mensura; quae valet a promontorio Pachiae ad Ca-

put-Ferratum Sed omnium angustissima est pars insulae media, quae Arborensem regionem complectitur; cum ab ostio Thorsi, vel Thyrsi, ad Uriseis portum intersint, ex dicta Pausaniae sententia, LVI. M. CCL. P. Atque ita eorum sententiae concordari possunt.

De natura, et bonitate soli.

Ea pars Sardiniae, quae a Gallura ad Sàrrabum usque spectat Corsicam et Italiam, aspera est, ut inquit Strabo (*L. de situ Orbis*), et in montes consurgit invios, extremisque oris contiguos, ut auctor est Pausanias, quem sequitur Leonicus. Interius etiam in media ferme insulae regione a Monteferro ad Posatam, montes sunt alii alios continenter excipientes; tamen mitiores et humiliores, quos L. Florus, *Insanos*, Ptolomaeus *Maenomenos* appellavit, quod est insalubres: id enim *Maenomenon*, teste Plinio, (L. XXI. c. 45.) significat. Nam inter eos turbidus, et omnino pestilens, intercluditur aer, Pausania et Leonico referentibus; quod tamen hodie verum non esse suo loco demonstrabitur. Praeter hos alii in Capite Logudori circumspersi sunt montes; sed plerique amoeni, et ascensu faciliores sunt, humanisque necessitatibus utiliores; sed inter omnes praealti conspiciuntur montes Arcti, Arcis, Argentarii, Argenti, Benetuttis, Boruttae, Caralitanus, Columbarius, Conèsae, Cornu-bovis, Cunicularius, Doliae, Errebantius, Ferratus, s. Gavini, Gorditanus, Guspinenses, Hermaeus, Jarae, Javensis, s. Johannis, S. Leonardi, Leonis, Limbarae, Marganais, Marrargius, S. Michaelis, Olianensis, Olitae, Orunensis, Osuli, Pachiae, S. Patris, Pattàdae, Pèlai, Posatae, Sàrrabi, Sassi, Tonarae Tufudesi, et Vineae de Manza. Quae vero pars Africam Hispaniamque prospicit planior est. Nam ab Urbe Caralis àd Aristanim et Bosam usque effusissimos M. P. C. habet campos, vulgo Campitanos dictos, Unde Claudianus cecinit *quae pars vicinior Afris Plana solo.*

Preterea in regione Logudori, et aliis partibus insulae, sunt multa campestria loca; sed insigniores planities sunt Aristanis, seu Arboreae, Bosae, Caralis, Cièris-regalis, Cocìnae, Gociàni,

Campi-Javensis, et *Isclarum* Lazzari, Melae, Martis, Nurrae, Agugliastri, Oskeris, Othieris, Pratojani, Saltus-majoris, Sarcidani, Uriseis: estque ubique optimum solum, ut inquit Pomponius Mela, et terra pulla, pinguis et feracissima, ut mox dicetur.

De fertilitate insulae sardoae, et mirabili frugum feracitate.

Tradit Aristoteles (L. *de admirabil.*) Sardiniam fertilissimam esse, et omnium rerum copiosissimam; eamque omnium fructuum genere excellere testantur Polybius (L. I. *histor.*) et Leonicus (L. I. c. 1.) Strabo quoque asserit (L. V.) agrum habere rebus omnibus felicem, et praecipue tritico, quo abundare insulam Appianus Alex. asserit (L. II. *belli civilis*), et Claudianus dum cecinit, (*De Bello Gildonico*) *Insula, Sardiniam veteres dixere coloni — Dives ager frugum.* Item Silius Italicus (L. XII.) *Cetera propensae Cereris nutrita favore*, et Horatius Flaccus (L. I. Carm. Od. 31.) *Quid dedicatum poscit Apollinem — Vates? quid orat de patera novum — Fundens liquorem? Non opimas — Sardiniae segetes feracis.* Lucanus tandem de Sardinia atque Sicilia sic cecinit (L. III.) *Utraque frugiferis est insula nobilis arvis — Nec plus hesperiam longinquis messibus ullae — Nec Romana magis complerunt horrea terrae. — Ubere vix glebae superat cessantibus austris — Cum medium nubes Borea cogente sub axem — Effusis magnum Lybiae tulit imbribus annum.*

Tanta frugum foecunditas provenit in Sardinia et Sicilia, ut referunt Astrologi, et qui eos sequuntur Geographi, ex bonitate soli, ex eoque etiam, quod subjacet, ut dixi, IV. Climati, quod caeli clementia sex reliquis antecellit. Hinc frugibus semper abundat, plurimumque subsidii in bello Carthaginiensibus et Romanis Sardinia semper dedit, ut refert Polybius. Nam, ut cetera omittam, eam vim frumenti transmiserunt Sardi anno A. C. N. 204. ut cum horrea, quae Romae habebantur, eam recipere non possent, nova fuerint aedificata, et completa; et sequenti biennio Sardiniae commeatus tantam annonae

vilitatem effecerant, ut mercator pro vectura nautis frumentum reliquerit..!! quod T. Livius (L. XXIX. et XXX.) refert. Et Plutarchus in vita Pompeii tradit Sardiniam saepe annonae angustiam levasse; propterea annonae pignus a L. Floro (L. IV. c. 2.) fuit appellata.

Hac etiam tempestaste a mercatoribus multae quotannis naves tritico oneratae in Hispaniam et Italiam deducuntur, et commeatus regiis classibus suppeditantur. Quod si Sardi magis agriculturae intenti essent, majorique industria arva colerent, eorumque labores vili et injusta annali frugum licitatione, et exactione, non depascerentur in dies; et qui *Vassalli* dicuntur, seu potius *Vexati*, a Baronibus inexplebili siti, atque inexhausta avaritia non expilarentur, sed regiis privilegiis in agricolatione ipsa foverentur: tantam tritici, aliarumque rerum affluentiam sibi in sua compararent terra, ut Sardinia ipsa in foecunditate nemini cederet. Fit ex hoc sardonico tritico similago candidissima, et *globuli* laudatissimi. Abundat etiam hordeo: siliginis autem, farris, secalis, irionis, robi, panici, milii, zeae, oryzae, et sesamae, sementibus nulla cura; lina fiunt affatim; at cannabis parvus est usus. Fabae, ciceris, lentis, et phaseolorum multa affluentia; sed lupini ad agros opimandos, aliave legumina, ad alimentorum usum, non seruntur. Hortensia cujusque generis et olera coluntur: inter quae praesertim laudantur caepae ascaloniae, et quae in Sassaritanis vallibus veniunt capitatae, ac melopepones, qui sunt gratissimi optimique saporis.

De Arboribus.

Quamvis Cartaginienses jusserint olim omnes arbores victui idoneas ex insula extirpari, ut testatum reliquit Aristoteles (Lib. de *Admirab.*), et refert Volaterranus; nihilominus hodie Sardinia ubique habet viridaria nemorosa malorum aureorum, limonum non unius modi, et citrorum, arboribus instructa, et multorum diversorumque fructuum speciebus referta: in quibus praecipua sunt, mala cotonea, persica, armeniaca, punica, et vernacula *latina* dicta, quae quum et sapore et odore italicis

appianis et *camosis* hispalensibus non cedant, magnitudine excellant. Multae etiam, et quaeque multiplex, pirorum species proferuntur; sed praecipuae sunt *camosina* et . . . Laudatur prunus, et ficus multiplex, nux juglans, avellana, amygdala, mesphilum, sorbus, et morus frequentissima, praesertim in agro Sassarensi. Hic a paucis retro annis coeperunt bombyces enutriri, qui miro, et fere inexplicabili opere sericum vellus confecerunt probatissimum; ingentemque facerent copiam, si serici artificii magistri plures adessent.

Sunt praeterea vineta multa per insulam, et vites triferae, quas ob id, ut refert Plinius (L. XVI. c. 50.) *insanas* dixerunt, quae scilicet ter in anno florent, sed primas tantum maturant uvas. Vinorum optimorum magna colligitur copia albi et nigri coloris, quae ab odore et sapore valde commendantur, et multorum annorum vetustatem integerrima ferunt.

Oleum terra non ferebat ob incolarum incuriam; qui ex Liguria, et Balearibus emebant; aut utebantur animalium pinguedine, et lentisci oleo ad concinnandas lampades, quum olei olivini abundantissima esse potuisset. Siquidem profert passim in sylvis oleastros, ex quorum baccis Olianenses magnam olei copiam exprimunt. A paucis abhinc annis coeperunt sardi plantare oleas, quae satis feliciter cultoris compensaverunt laborem, ut propterea in dies plura fiant oliveta praesertim in Capite Logudori.

Castaneae, ut inquit Plinius (L. XV. c. 25.) Sardibus provenere; quas habet optimas Sardinia, praesertim in montibus Gallurae, Gerreis, et Aritzi.

Provenit etiam sponte in multis locis insulae sylvestris pirus, prunus, malus, et cerasus: extantque plura opaca nemora, et sylvae proceris arboribus ad domorum tigna, utensilia, et ad navium fabricam, in quibus frequentissima occurrit pinus, cupressus, juniperus, sabina, laurus, fraxinus, ulmus, taxus, larix, salix, abies, populus, arbutus, fagus. At quercus, ilex, suber, cerrus, adeo nemorosae proveniunt, praesertim in vastissimis sylvis Gallurae; ut glandibus innumerabiles porcorum greges quotannis saginentur.

Palma domestica rara in aliquibus viridariis cernitur; quae tamen fructum non profert, sed sterilis consenescit. At sylve-

stris seu humilis *chamaephinis* a Theophrasto (L. II. c. 8.) appellata copiosissima venit in agris Algariensi, Nurrano, Sursano, et Sulcitano, cubiti altitudinem vix excedens; cujus pars tenerrima, cum medulla radici proxima, ori gratissima, in secundis editur mensis; rami praebent satis ad fiscorum, sportarum, restium, et scoparum usum: quorum fabrica et commercio ditantur Sursani, et Semorenses. Lentisco et myrto tota fere insula virescit, et redolet genistis, quae frequentissimae in Logudori solo proveniunt, ut mensibus Maio, et Junio, speciosis et fulgentibus floribus vestiti colles procul aurei videantur, et jucundum spectaculum praebeant viatoribus.

De Herbis.

Nobilium herbarum et medicarum ferax est Sardinia, sponteque profert Asplenum . . . . . . Smilacem ab hispanis *salsam parillam* dictam; et Peucedanum, quod primum inventum fuisse in Sardinia refert Textor in *Officina*, verbo *Inventores*. Sardum laudat, et ceteris praefert Dioscorides (L. III. c. 90.) qui refert caulem emittere tenuem et gracilentum, foeniculo similem, comam habere statim a terra foliosam, spissamque, flore luteo, radice nigra, crassa, firma, gravi odore, succosa; illud ex oleo et rosaceo illitum prodesse lethargicis, phreneticis, vertiginosis, comitialibus, longis capitis doloribus, resolutis, ischiadicis, convulsis, in universum omnibus nervorum vitiis prodesse ex oleo et aceto illitum; ex olfactu recreare vulvae strangulatus; aurium doloribus convenienter ex rosaceo instillari; cavernis dentium inditum dolorem mitigare; contra tussim efficacissime ex ovo assumi; suspiriis, torminibus, et inflationibus subvenire; ventrem leniter emollire; potum facere ad vessicae cruciatus, et renum distensiones; difficiles partus mire adjuvare; vulvam aperire; radicem ad eadem utilem esse, sed inefficacius ejus decoctum bibi; farinam sordida ulcera purgare; veteres cicatrices obducere; et squammas ossium detrahere. De eo etiam Galenus L. VIII. *Simpl. Medic.*; et Matthiolus (ad Dioscoridem); qui legitimum peucedanum difficile cognitu esse scribit; et quum illud ex Sardinia habere, et certius decernere quamma-

xime cupiat, ipsius peucedani iconem, ut tanto viro satisfacerem, et publice utilitati consulerem, hic ad vivum delineatum edere volui; quod omnibus Sardiniae seplasiariis est notissimum, et in monte Uruselli, aliisque Sardiniae locis passim invenitur.

Praeterea abundat Sardinia croco optimo, sinapi erratico, et absinthio maritimo, a Latinis *Sardonico* vocato, ut testatur Volaterranus (L. XXVI. Comment. cap. *Hortensia*), quod prodest stomacho, pecudes valde saginat, et efficit, ut apes ejus flore pastae mel amarum in Sardinia, teste Dioscoride (L. II. c. 75.) gignant; quum alias ex thymo, ceterisque floribus, mella praedulcia et probatissima ibidem conficiant: est enim absinthium vehementer amarum; unde Virgilius cecinit Bucol. Ecgl. 7. *Immo ego sardois videar tibi amarior herbis.* Nascitur in Sardinia et Chrytmum, foeniculum marinum dictum, praesertim in scopulis, et rupibus litoris turritani. Proveniunt asparagi dulces, et gustui grati, cappares praestantissimae; tuberaque numerosa a rusticis effodiuntur candidae et pullae pulpae; radixque glycirhizae, et rubia radice inficiendis tingendisque lanis aptissima. Isatis sylvestris passim reperitur: sativam a fullonibus et infectoribus lanarum expetitam coeperunt Sassarenses magno cum proventu colere. Kali planta in terris litoralibus insula abundat, cujus cinere utuntur fabri vitrarii ad vitrum conficiendum.

De Sardoa herba, et risus Sardonici adagio.

Stirpium lethalium expers est Sardinia; et omnibus venenatis et noxiis herbis caret, teste Pausania in *Phocaicis* (L. X.), uno dumtaxat Melisophillo, quod Hyginus *Apiastrum* appellavit, teste Plinio (L. X. c. 11.); Dioscorides (L. II. c. 171.) *Ranunculum*; Sallustius, Servius (In comment. ad Virg. Ecgl. 7.) et Solinus Polyhist. (c. 9.) *Sardoam herbam*; Graeci, ut refert Plinius (L. XXVI. c. 13.) *Batrachion*; Latini *herbam Strumeam*; et Mauritani *Apium-risum*, teste Matthiolo ad Dioscor. (L. VI. c. 14.), et *herbam risus* Coelio referente (L. XXIX. c. 13.) Constat coriandri foliis latioribus, subalbidis, pinguibus, lanuginosis, pluribus foliorum

Ex Joan. Cam.
Cer, uno dumtaxat apia-
stro, quod Higinus Meli-
sophilon, quod in confes-
sionem est esse in Sar-
dinia venenatum. Hanc
herbam Sallustius Sardo-
am vocat. In Sardinia in-
venit quaedam herba nasci-
tur, quae Sardoa dicitur
apiastro similis. Haec vero
hominum e rictus contrahit
et quasi ridentes perimit

incisuris, acerrimo gustu, flore luteo, interdum purpureo, caule gracili, altiore cubito, radice alba, exigua et amara multis capillamentis, hellebori modo, fibrata, ut Plinius (L. XXV. c. 13.) et Dioscorides (L. II. c. 171.) referunt. Nascitur circa fontes, riguosque illorum tractus; ipsis tamen aquis veneni naturam non communicat, ut scribunt Solinus c.10., Pausanias L. X. et alii. Folia, flores, et caules recentes, illitu exulcerant, et crustas non sine dolore gignunt; lepras excoriant; ungues leprosos divellunt; stigmata discutiunt; acrochordonas, et myrmecia detrahunt; quin et alopecias juvant, pauco tempore admota; nam si diutius inhaereant, non modo ipsa cutis excoriatur, sed et in crustam uritur. Ejus radix arefacta sternutationibus est remedium; dentium dolores juvat; ipsos tamen frangit. Calida et sicca valde est cum radix, tum universa herba, ut scriptum reliquere Galenus L. VII. *Simpl. Medic.* Plinius dicto superius loco, et Dioscorides. Eam comedentes perpetuo risu emoriuntur, ut auctor est Pausanias (L. X.). Namque hujusmodi herba (ex Solino c. 9.) nervos vescentibus contrhait, rictuque ita diducit ora, ut qui mortem oppetunt, veluti ridentium facie intereant; quod et Sallustius (L. VI. c. 14.) testatur, qui hujus venenatae herbae meminit. Addit Dioscorides hanc herbam adimere mentem vescentibus, et quadam nervorum distensione labia in rictum contrahere, ut risus speciem miseri praebeant. Idque hac nostra aetate morte duorum Nulvensium, qui eam comederunt, comprobatum fuit. Quare Plinius (L. XX. c. 11.), inconfessa damnatione, esse venenatam in Sardinia tradit; et Strabo (***De situ orbis***) refert ex hac ipsa herba venenum ab hispanis confici, quod, urgente fato, citra dolorem perimat edentem. Propterea *herbam sceleratam* eam Apuleius dixit, si ejus tamen est *de Plantis* Commentarium.

Ejus curationem tradit Dioscorides (L. VI. c. 14.) dicendo quod post vomitum peculiariter convenit aqua mulsa, et lac liberalius; fitque postea irrigatio, perunctioque a pinguibus medicamentis totum corpus calefacientibus; atque in calidam aquam oleumque infirmi descendant. Sed tunc multum perfricare, et inungere, et in summa curam omnem quae convulsioni nervorum adhibetur, exequi oportet. Aptius (L. XIII.)

Solinus c. 10. herba Sardonica in defluviis fontanis provenit largius [illegible]. Ex Jo: Camerte in Solini Polyhistora

Ex Jo: Mamerte. Contra hujus herbae venenum remedia Dioscorides exprimit libro VI. c. 20.

praefert castorum in pulverem contritum aut per se, aut e dulcis vini potu; et inquit adjuvari infirmos vino dulci, potentique, adeo large epoto, ut inde ebrii facti diutius dormiant; item melissophilli succo ex aceto sumpto; is enim, ut idem ait, Sardonicae herbae verum est et singulare antidotum. Matthiolus item tradit balnea, et laconica prodesse, si parentur medicamentorum decoctis, quibus insit vis excalefaciens, et quae propria virtute nervos tum roborent, tum juvent; cujusmodi sunt Stoccas, Hyssopum, Salvia, Ruta, Vettonica, Chamaepithys, Amaracus, Origanon, Calamintha, Pulegium, Dictamnus, Anthemis, Saturcia, Acoron syriacum, et celticum, Asarum, Rosmarinus, et id genus alia. Ad haec praestat inungere occipitium, cervicem, et universam spinalem medullam, susino oleo, aut e castoreo, aut e terrestribus lumbricis, aut ex Costo, aut ex Hyperico, aut Vulpino, aut unguento Agrippino, aut denique aliis his similibus.

Ex hujusmodi herba adagium de *Sardonici risus* omine infausto, ut inquit Pausanias, et Dioscorides, in vulgus manavit; quo uti possumus in eum, qui, ut ait Virgilius « *Spem* « *vultu simulat*, *premit altum corde dolorem* » id est hilaritatem praesefert aspectu, ridet, et simulat; intrinsecus autem tristi afficitur dolore. Quod inter graecos primus usurpavit Homerus, ut idem refert Pausanias; inter latinos C. Gracchus, si vera refert Sabellicus (L. VI.): eoque scite usus est Cicero (L. VII. Epist. ad fam. 25. ad Gallum) ita scribens « *Ri*- « *deamus risum sardonicum* » et ab omnibus hodie celebratur, teste Polidoro Virgilio (L. XII. *Adagior.*) et Coelio Rhodigino (L. XX. c. 19.)

De Animalibus.

Nullus in Sardinia reperitur lupus, ursus, aut leo, ut refert Pausanias; nullumque gignitur animal noxium praeter vulpem, quae illius est magnitudinis, cujus invenitur in Italia, occiditque arietem, caprum, et tenellum vitulum. Sed insula fere ubique abundat apris, cervis, damis, et alio quodam animali, quod Pausanias dicto L. X. *capram*, Plinius (in L.

XXVIII. c. 42. 2.) *ophion*, quod definit animal cervo minus, et pilo demum simile; ubi ex graecorum opinione putat Sardiniam id tantum ferre solitam, et suo tempore interisse; in L. VIII. c. 49. *Musmonem* vocaverat, iterum ophion vocaturus sub finem L. XXX. c. 42. Musmonem etiam vocavit Strabo L. *de situ orbis*; vulgus *muflonem* vocitat. Habet corium et pilos cervinos, non caprinos, ut quidam asseruere, et cornua instar arietis, non longa, sed retro circum aures reflexa, magnitudinem retinens mediocris cervi; quod solum herbis vescitur, habitatque in montibus superioribus cursu praeditum velocissimo. Ejus carnes bonae sunt ad vescendum. Hoc animal in Corsica, Hispania, et Germania reperiri quidam asserunt, quum tamen certum sit esse Sardiniae peculiare, nec alibi inveniri. Ex hoc genere e ovibus alia animalis species generatur, quod veteres, teste Plinio (L. VIII. c. 75. 2.), vocaverunt *Umbrum*. Affluit insula cuniculis, leporibus, herinaceis, viverris, et martibus, quorum pelles summo habentur in pretio: atque ita venatione est nobilis. Multi rustici ex sola vivunt venatione, praesertim qui in montibus habitant. Habent enim sardos et corsos canes, qui molossis, teste Volaterrano, non cedunt, et fortissimos equos, quorum copia tanta est, ut vili emantur pretio; et quamvis non sint sic proceri, ut hispanici et italici; robore tamen et agilitate non sunt illis deteriores, animumque habent generosum et audacem, gressumque irrequietum. Sunt praeterea in Sardinia muli et asini breves quidem; at utiles, et labores maximos perferentes: boves etiam albi, gilvi, rubri, et nigri coloris, agriculturae et laboribus idonei, qui mites adeo sunt, ut etiam clitellati ferant maxima onera: oves quoque innumerae hirti, tamen velleris; et milleni greges porcorum, atque caprarum. Quare Sardinia abundat carnibus, et mercatores multa ex ea coria in Hispaniam et Italiam abducunt, sicut et miram lanarum et casei copiam.

Praestat etiam Sardinia aucupio perdicum, coturnicum, turturum, sturnorum, merularum, palumborum, et aliarum avium; fitque ingens captura turdorum in Caralitano praesertim agro.

Extant aquilae, vultures, et accipitrum varia genera in deliciis regum, teste Zurita, habitorum, gallina, grus, et aqua-

ticae aves multarum specierum, praesertim quam dicunt *flammengam*, a flammeo colore, quae alibi, ut creditur, non reperitur, et quae a Plinio (L. XXX. c. 52. 1.) *Gromphena* appellatur, avis hujus insulae peculiaris, grui similis, quam ignotam etiam sardis existimat!!

Praeterea a Dioscoride (L. II. c. 9.) laudantur Sardonicae cochleae, ubi etiam quae pomatiae, idest operculares appellantur.

Tradunt insuper Pausanias (X. c. 9.) et Solinus Polyhist. in Sardinia serpentem nullum infensum et veneniferum gigni; et refert Thomas Facellus (*De rebus siculis* L. I. c. 1. in fine) serpentem dirum Africae animal Sardoa terra necari; unde Silius Italicus cecinit; *Serpentum tellus pura, ac viduata veneno*. Nihilominus Sardoi cavent a vipera, quae venenata est etiam in Sardinia: ceteri serpentes innoxii sunt.

Sed quod aliis locis serpens, hoc, Solino teste, Sardis bestiola, quam *Solpungam* quidam, alii *Solifugam* aut *Solfugam*, et plerique *Solipungam* nominant, ut recte animadvertit Hermolaus Barbarus L. III. qui hunc Lucani versum citat « *Qui calcare tuas metuat Solipuga latebras* ». Affert insuper locum Plinii (L. XXIX. c. 29.) ubi habet « *Solipugas Cicero* « *appellat*, *Solfugas Boetica* ». et Fest. Pompejum, qui scripsit « *Solipunga*, *genus bestiolae*, *quod fit acrius*, *concitatiusque fervore solis*, *unde nomen traxit* ». Atque experientia nunc nobis constat, quod non nocet, nec apparet, nisi aestivo tempore. *Solfuga*, *inquit Solinus*, *ita est dicta*, *quod solem fugiat*. Qualis autem sit ista bestiola dubitant scriptores. Nam Solinus (c. 9.) dixit esse animal perexiguum, simileque araneis forma: Plinius putat formicarum genus venenatum. Sed ad concordiam reducuntur ex eo, quod earumdem duplex sit in Sardinia species: una formicae similis, quae arbores annosas frequentat; altera similis araneae; ambae tamen ejusdem coloris subrubei, duabus fasciis nigris maculatae. Has non novit Italia, teste Plinio (L. VIII. c. 43.), sed regio citra Cynamulgos Aethiopas, quae a scorpionibus et Solipugis gente sublata, jacuit deserta. Habent vim nocendi maximam; sed contra earum venenum fontes calidi et salubres Sardiniae, teste Solino, prosunt. Earum plures vidi, a quibus recte cavent rustici.

Ex enarrationibus Joannis Camertis Minoritani in c. 9. Solini Polyhistora

De nomine hujus bestiolae disputat Hermolaus c. 29. octavi Plinii: Quidam enim Solpugam, alii Solifugam nonnulli Solpugam: plures Salpugam media producta nominant. Citat versus Lucani ex nono Pharsaliae = Qui calcare tuas metuat Salpuga latebras, Et tibi dant [illegible] Stygiae jus in sua fila sorores. Citat insuper locum Plinii ex c. 4. in XXIX natur. hist. circa finem. Est inquit et formicarum genus venenatum. Non egnovere in Italia. Solpugas Cicero appellat, Salfugas Boetica. Haec Plinius. Festus Pompejus Solipungam appellat = Solipunga inquit genus bestiolae maleficae, quod fit acrius contractiusque fervore solis unde etiam nomen traxit.

Solino c. X. – Sardinia est quidem absque serpentibus, sed quod aliis locis serpens est hoc solifuga agris sardis; animal perexiguum, simileque aranei formae solifuga dicta, quod solem fugiat. In metallis argentariis plurima est. Nam solum id argenti dives est

De metallis, et aliis fossilibus, lapidibus, gemmis etc.

Est Sardinia tota metallifera. Aurum namque haberi in regione Loci-aurei vulgo creditur; quod tamen certo non scio. At argenti ditissimam esse testantur Solinus (~~Lib.~~ Polyhist. c. 10.) et Architemius, qui cecinit « *India ebore, argento Sardinia, Attica melle* ». Idque plane constat ex quorundam fluviorum ramentis, montibus, et locis eo nomine insignitis, et ex multis antiquis argentariis fodinis, praesertim arborensibus, quarum meminit Augustinus Justinianus (L. II. *histor. gen.*), et Villecclesianis, in quibus ingens effossio olim fiebat a Pisanis, et specus plures excavati in hunc usque diem cernuntur; fieretque etiam hodie, si fossorum copia et praesidum cura adesset. Ferunt et inveniri ferrum in montibus Kelemules, regionis Capitis-Aquarum, et in regione Osuli: aurichalcum in agro Bosano, molybdaeum lapidem in solo Villecclesiano, et in insula S. Antiochi, propterea *Molybodes*, a Ptolomaeo appellata. Chrysites, argyritis, et lapis spumae candidae nitentisque, quem alii stibium, alii alabastrum, alii carbasum appellant; pyrites, marchisita, minium, hydrargirium, chrysocolla, pigmenta sil et coeruleum, sandaracha cum arsenico facile haberi possent in his argenti metallis, ubi, teste Plinio, reperiuntur. Alumen quoque in Sardinia reperitur; salnitrum in Caralitano et Sassaritano agro; ochra fossilis aureo colore in plumbi fodinis, et, ut ferunt, in Algariensi et Cossaynis agro; terra Lemnia in Villecclesiano, quae a quibusdam seplasiariis cum *bolo armenio*, nec perperam eadem est existimata, ad Porticiolum, et passim creta sarda, cujus usus in dealbandis vestibus a Plinio commendatur (L. XXXV. c. 57.) (XVIII.) nam Sarda, inquit, quae affertur de Sardinia, candidis tantum assumitur, inutilis versicoloribus, et est vilissima omnium Cimoliae generum. Atque in ablutione hic ordo: primum abluitur vestis sarda, deinde sulphure suffitur, mox desquamatur cimolia, quae est coloris veri: rubrica item fabrilis, et terra cretica vehementer alba; gypsum, quod de lapide coquitur, argilla, calx, arena etiam alba, ac figulis expetita.

c. 10. In metallis argentariis plurima est Sardinia. Nam solum illud argenti dives est.

Lapidicinae plures sunt in Sardinia, nigrae in litore Nurrano; lapidis rubri in agro Bosano, et ad montem Castri-Auriensis; viridis apud Fortrajanum, et albi ad instar marmoris in Sassarensi, et Caralitano agro. Silex etiam, et cos aquaria, lapis molaris, olearius, et frumentarius caeditur, ophitesque *granitum* a sculptoribus dictus, in Testa regionis Gallurae; cyaneus lapis in agro Villecclesiano gignitur; sarda gemma, in Sardibus primum, ut refert Plinius (L. XXXVIII. c. 31.) reperta, in Sardinia abundat, et optimae notae dignoscitur, atque alia mellei coloris in agro Caralitano, quae annulo argenteo digito alligata ad emicraniae dolorem multum prodest. Plures tandem lapides speciem crystalli, adamantis, et berilli habentes, passim inveniuntur; et coraliorum magna copia quotannis e proximo mari extrahitur, ut mox dicemus.

De Aquis et Animalibus aquaticis.

Sardinia non terrae tantum, verum etiam aquarum commodis maxime praestat, maria in primis habet pisculentissima, in quibus capiuntur morenae nobiles, Siculis non inferiores, auratae, sermones, et mulli, qui sunt in honore mensarum; conger etiam, polypus, sepia, loligo, mugil, cephalus, chelones, salpa, acus et alii vulgares pisces, ubique affluunt. Thynnorum etiam, et xiphiarum, fit copiosa captura, praesertim in Sulcitano freto; unde ingentiori copia extraherentur, si tutus a piratarum insidiis esset accessus. Arietes quoque marini, circa sardoum et cyrnaeum mare, oberrantes visuntur, ut inquit Aelianus (L. XV. c. 2.); mas frontem alba vitta regum modo redimitus aspicitur; foemina vero cirros ex imo collo pendentes habet, et ad modum gallinacei quasdam barbae appendiculas possidet; cui est tanta ambitio, ut hos alteri pulchriores possidenti eripiat rapacissima bellua, quae in homines et navigia involat spiritu gravi et vehementi, quo sane instrumento ad praedas utitur ceterorum piscium, praesertim vitulorum marinorum, quos proflatu haud aliter, quam jaculo expugnat, ut etiam refert Volaterranus L. XXV. Capitur et locusta praegrandis, cancer, pagrus, et echneis; gignuntur-

que ostreae, conchae, cammari, mitulus, et pinnae, muricesque nobiles, et purpurae, quas adesse in Sardinia testatur Lazarus Baysius, et constat ex proverbio graeco *Bamma sardiniacon.*

Est ex Sardiniae mari coralium probatissimum, nigrum et rubrum, quod antiphaten vocant. Nascitur sub aquis, ubi cum radice ad petras ramosus herbascit; extractum vero durescit in lapidem pretiosum. Cujus ingens copia est in freto Bosano, Algariensi, et Sassarensi ad Montem-Giratum, et Asinariam. Singulis annis de mense Aprilis, Maii, Junii, Julii, et Augusti, mari non exagitato a tempestatibus, avellitur retibus a numerosa cymbarum multitudine, non parvo sardorum quaestu, qui per omnem Europam celebri mercimonio coralia diffundunt. Extrahitur etiam inter Sardiniam et Corsicam, et in Caralitano sinu ad Carbonariam, aliisque in locis; attamen nec plurimum, nec satis rubens et ramosum.

De Fontibus.

Emicant aquae benigne in Sardinia, passim in plurimis locis, alibi calidae, alibi frigidae, alibi tepidae. Effervescunt enim ad Fortrajanum, oppidum regionis Partis-Baricati; in agro Sardarano, regionis Montis-regalis; ad Aquas-calidas regionis Partis-Hippis; ad radices montis Castri Auriensis in regione Cocinae, et in valle Comitatus Gociani non procul a Benetutti, ubi ferunt centum prope esse fontes hujusmodi calidos et salubres, qui teste Julio Solino in Polyhist. c. 10. medelas afferunt, et solidant ossa fracta, aut abolent a solfugis insertum venenum, aut etiam ocularias dissipant aegritudines: incolae tamen illis parum utuntur, quo factum est, ut antiquae thermae ibi conditae conciderint. Sunt, ut ipse fabulatur Solinus, iidem fontes qui oculis medentur, et coarguendis valent furibus: nam quisquis sacramento raptum negat, et lumina illis aquis madefacit, si non pejeret, cernit clarius; si perfidia abnuit, detegitur facinus coecitate, et captus oculis admissum tenebris fatetur: unde ~~Aemius in Dionis Panegyr.~~ Rhemnius in Dionysii Periegesi « *Sardinia postquam pelago circumflua tellus — Fontibus*

(1) Cl. Salmasio nelle sue Plinianae exercitationes in C. J. Solini Polyhistora a quel di Solinus "fontes calidi et salubres effervescunt aliquot in locis" dice "hoc de Sicilia omnes [illegible] scripsere non de Sardinia" cita poi Strabone e Diodoro, di poi "Silius Italicus de Sicilia: Hic et Paeonios aeterno sulphure fontes; poi conchiude così "Fontes igitur Paeonii et medicati in Sicilia non in Sardinia. Et unde tales in Sardinia insalubri et pestilenti aere adeo famosa? ita quidem ut illius insulae nomen de mera pestilentia vulgo usurpatum sit; hinc illa "in medio Tibure Sardinia est" Nugatur Solinus quum Sardiniae adjudicat quod Siciliae est: utrum aliud agens, an hoc ipsum agens ac de industria mentiens non disputo.

« *e liquidis praebet miracula mundo — Quod sanant aegro-*
« *tos, pandunt damnantque nefando — Perjuros furto, quos*
« *tacto lumine coecat — Amnis . . . etc.* » Sed hujusmodi fontium in Sardinia nulla nunc extat notitia, licet plurimos similes, permirae naturae, fontes reperiri tradat Plinius (L. XXX. Cap. II.); in Sicilia Hermolaus (In Castigatione Plinii); juxta Thianam Philostratus in sec. vol. Vitae Apollonii, et in Æthiopia Diodorus Sicul. (L. III. 4) Aquam autem medicam esse in Olianae agro regionis Agugliastri, et in antro D. Luxorio sacro, regionis Montis-Leonis, ejus die festo stillantem multi tradidere. Vidi etiam in varias formas aquam lapidescere in vastissimo antro Domus-novae regionis Sigerri, et totam insulam fontibus quamplurimis aquae dulcis abundare, et infrascripta flumina habere praecipua.

De Fluviis.

Turritanum flumen notissimum, a Ptolomaeo praetermissum, oritur ex duobus fontibus parum ab oppido Villae-nova Monti-sancti semotis, et regionem Meiloci prius, mox Curatoriam de Coros percurrens, nomen Tamaricis et Petrae-Albae, sibi mutuat. Itirim oppidum ad sinistram, Usinim ad dextram relinquit, pontemque S. Georgii praeterfluens, Sassarensem agrum, neglecto priori nomine, percurrit, et per Fluminariae regionem multis ambagibus labitur, et juxta urbem Turrium, ubi est pons maximus ad fauces piscosus, pelago se exonerat.

Influunt in illud; flumen ex septem fontibus Tiesiensis, et Bessudensis agri, quod ex regione Capitis-aquarum, et agro Ticsis inter Banarin, et Itirin, in Curatoriam de-Coros dilapsum, in flumen Tamaricis, non procul ab Ecclesia S. Maria de Cea, infunditur.

Flumen aliud, quod ex fontibus hinc Bangii (oppidi excisi), illinc Paludis (alterius oppidi prostrati), et aquis Jussaei agri in Curat. de Coros auctum, per loca deserta, et flexuosa in laevam Tamaricis ad pontem S. Georgii funditur.

Màscaris, qui ex agro oppidi Salvènnori in regione Plovàcae profluens ad dexteran Bedam, ad laevam Saccàrgiam

Ex Joan. Camerte
In Sicilia quoque Stephanus esse fontem tradit Palycenum vocatum quod juxta Palicos fratres sit. In eum inquit tabella mittitur a juratis, quae si vera dixere fluitat, sin falsum mergitur, ipsique continuo flammantur. Fontem ipsum decem fistulis aquam rejicere in altitudinem [illegible] senum. Fore inundatum iri loca circum omnia, sed protinus coire denuo in seipsum. Haec antea retulit Hermolaus. Libuit hoc loco Philostrati verba exscribere 2do vol. Vitae Apollonii = Est inquit juxta Thianam aqua ovi (ut perhibent) sacrata, quam indigenae [illegible] vocant. Fons ejus frigidus sane scatet, ebullit autem non secus atque igne calefactus lebes. Hanc qui jurando fidem servantibus viris aspectu placidam et gustu dulcem esse perhibent; perjuris vero et infidis palam adversatur. Epota namque oculos pedes ac manus pejerantis invadit pustulis ac vomicis totum corpus inquinans. Nec illinc discedendi facultas datur, sed ibidem permanentes coram aqua ipsa suam deplorant calamitatem palam quod pejerarunt profitentes. Similem fontem in Aethiopia esse scribit Diodorus in 3.

Irrigarent hujus generis fontes hac tempestate utinam terram omnem ut terrore saltem poenae a tot mendaciis ac perjuriis homines abstinerent. Nam ut vulgo jactatur eo in loco ubi verum dicitur herbam nunquam vel rarissime provenire. Quam vero hodie [illegible] Veritas odium parit = et Juvenalis altera // Fronti nulla fides = Et idem alibi // Ca[illegible] sus hic multis cognitus et jam tritus et e medio fortunae ductus acervo. Ex Sardois his aquis non ineleganter sumunt adagium // Fu[illegible]

et Codrongiànum, et non multo post Cargièghen et Muros relinquit, multisque fontibus et fluviolo ex agro Florinensi auctum per Campum Melae impiger excurrit, pontem cognominem subintrat, pluresque deinde valles longo tractu perlustrans ad pontem S. Georgii in Tamaricum se effundit.

Bùnnaris, qui ex montibus agri Osulensis oriundus per Sassarensem regionem molas plures frumentarias circumvolvens excurrit, et ad pontem Scalae-Cochleae Màscari additur.

Flumen Octavae, ex fonte Aquae-clarae Vallis S. Martini prope Sassarim oriens, juxta hanc urbem labens crescit a fluentissimo Urusellis fonte, et, molas frumentarias multas convolvens, insignia viridaria irrigat, et hortensia copiosissima nutrit, omnium toto Sardiniae regno laudatissima. Inde Erìstolam pertransiens non procul ab Octava (oppido exciso) alio augetur fluvio, qui ex Barcae fontibus in agro Sassaritano ad Capròlum decurrit; unde rivulo Achètae agri Osulensis auctior factus in Loculentum et Oriòlam dilabitur molas frumentarias circumagens, et viridaria irrigans, usque ad Octavam, unde cum alio confluens flumen Turritanum petit.

Fluviolus, qui oriens ex fontibus Vallis et Monasterii S. Michaelis de Plaiano in stagnum Platamonis decurrit.

Sila, seu flumen Vallis-Coco, quod III. ab Osulo lapide Plovacam versus oritur, et vallem-Presbyteri decurrens augetur alio fluvio; qui ex fontibus agri Nulvensis prosiliens, mox suscipit incrementum aquis montium S. Michaelis De Eris et Cuilis, et in Romandiae regionem tendit, ubi in mare volvitur IV. a Sursa lapide.

Flumen Petrafòci, aliter Vallis Isprèdighae, quod oritur in solo Nulvensi, et Mannònis nomine per agrum Osulensem serpit, et monte Eris ad sinistram, agro Cerici ad dextram relictis in sylvosam vallem Bois labitur, multisque fontibus auctum inter Tramontani, et Rosmarini montes mare ingreditur.

Flumen Bagni oritur in regione Cèrici non procul a norace Corvi, unde in mare descendit.

Flumen Frisàni ex agro Nulvensi, et regione Cèrici per vastissimam Vallem-Inferni delabens, Abbatiam Cèrici ad sinistram, et Castrum Aragonense relinquit, juxta quod mari exhauritur. ad dextram

Thermus, seu flumen Cocìnae, multorum fluviorum capax, oritur ex jugibus fontibus regionis Montis-acuti VII. ab Othieri lapide, et Bùtulis oppidum, pontesque Othieris, et Castrae transcurrens inter regiones Anglonis et Gallurae, relicto ad sinistram Perfyga oppido, progreditur ad castrum Auriense, ad cujus radices aquis thermalibus scaturientibus ebullit; hinc Cocinae regionem transit, et si imbribus excrescat more Nili superfunditur, armenta et pecora in mare juxta S. Petri templum deferens.

Influunt in ipsum: fluvius, qui oritur in regione Capitis-aquarum I. ab Javae lapide ex abundantissimo fonte juxta antiquum pontem tribus fornicibus constructum, et statim per Campum-Javensem lento et placido tramite incedit. Inde in Toralbensem agrum, et regionem Oppiae excurrit, ubi non procul a Todorachis oppido alio augetur fluviolo, qui Malis dicitur, et oritur in radicibus montis Pèlai ex duobus fontibus. Huic ad pontem Othieris progredienti additur

Fluvius, qui oritur ex fonte Populi ad radices Montis-sancti, et decurrens inter Ardaram et Plovacam, non procul a Bisarchii civitate recipit fluviolum, qui ex Pèntuma ad radices ejusdem Montis-sancti exortus per agrum Tolae et Bisarchiensem properat ad pontem Othieris.

Flumen, quod inter oppida Oskeris et Berchillae in regione Montis-acuti ex utriusque montibus decurrit, et ad Balasei montem flumine Coriano augetur, et cum eo IV. a Castro Montis-acuti lap. in Thermum labitur.

Flumen aliud ex monte Ledda et Magolla decurrit per regionem Anglonis inter oppida Martis et Nulvis, et non longe a Perfyga antequam Thermo infundatur, recipit.

Flumen aliud ortum ex Sancti Leonardi rupibus *Sasso* vulgo dictis.

Fluvius Silani ex valle cognomine in agro Nulvensi ortus regionem Anglonis juxta Ecclesiam S. Petri *ab Imaginibus* alluit, et I. a Perfyga lapide, Thermo accedit.

Flumen Vineolae oritur ex montibus Agii, et multis fontibus auctum in mare devolvitur.

Fluvius Vallis Galerae, ortus ex fontibus ad B. Virginis Bonae-viae, mare petit ad Longonem sardum.

Flumen Isclae oritur in Curatoria de Geminis ex fluviolis decurrentibus inter oppida Templi, Nuches, et Calaniani, et transactis montibus in planitiem pervenit, et in mare infertur.

Flumen Altùrae Cathalanorum ex fontibus Montis-Cani, et Surrài ad portum Pulli descendit.

Flumen aliud oritur ex Limbarae monte excelso et excurrens inter oppida Templi et Nuches ad Arsaquènam, ubi in mare se effundit.

Flumen Sialae ex loco regionis oppidi Montis, vulgo *Quaranta-bòes* dicto, ad Castrum Pedresum fluit, ubi alio augetur fluvio S. Simeonis dicto, qui ex Limbara per vallem Trabis descendit ad Sialam; unde simul dilabuntur in flumen Prati-Oggiani, quod ex montibus Alahae et Orgaris et Orruaventurae defluens ad oppida excisa Orfilis et Lorrai, planitiem Prati-Oggiani petit, ac in mare labitur non longe ab ostio portus Terraenovae.

Fluvius Baddiùnis oritur ex fontibus Montis-nigelli, et II. lapide a stagno Offudeae in mare labitur.

Cedrisemna IV. a Bithi-magno lap. ortum ex Valle Ribae fluit per regionem Encontratae de Bithi non procul ab oppido Gorafais et Onanini, et in regione Baroniae de Posata alio augetur fluvio, qui ex montibus ipsius Bithis-magni oriundus, juxta oppidum Lodehe argenteas volvens arenas, inde cum eodem per M. P. X. uno alveo fluit ad radicem usque montis Castri-Fabae, nunc Posatae dicti, ubi mare ingreditur.

Flumen Siniscolae provenit II. ab Onanino lap. et non procul a Siniscolae oppido in regione Posatae in mare labitur.

Flumen *Cedrinum* a Ptolomaeo nuncupatum originem ducit ex montibus Orgosuli regionis Encontratae de Nùgoro, et II. a Mamojata lap. augetur rivulo aquarum ex duobus fontibus agri Mamojatensis regionis Barbariae Ollolàis; inde regionem Nùgori transgreditur ad Uriseis regionem, ubi non procul a Sarpei oppido incrementum suscipit alio flumine, quod ex montibus Nugori et Orunis emanat, unoque alveo mare petunt Galtellini et Uriseis oppidis ad dexteram, Sarpei et Onifai ad sinistram relictis. In quod influit aliud.

Flumen ortum ab ostio vasti antri regionis Olianae ex mirabili fonte, qui eam vim aquarum evomit, ut statim amnem

faciat decurrentem ad majorem alveum non procul a Sarpei oppido.

. . . .
. . . .
. . . .

Flumen aliud oritur ex fontibus montis Alùssarae, et prope castrum Chirrae mare ingreditur.

Dosa, a Ptolomaeo Soeprus dictus oritur ex montibus Cornubovis et Januae-Argenti, ex ea parte, qua regionem Agugliastri spectant, et fluit in regione Barbariae Belvini juxta oppidum Cadònis. Inde decurrens inter regionem Barbariae Sebùis (in qua relinquit ad sinistram oppida Sàdalis et Sterzìlis), et regionem Curatoriae Seurgus, in qua Tulum, Nurrim, et Orrolim ad dexteram, Scalaplanum vero ad sinistram relinquit, properat ad regionem Encontratae Gerreis juxta oppida Ballai, et Villae-saltus, ubi recipit fluvium ex montibus Foghesi, seu Petrae-foci, cum quo in regionem Encontratae Sàrrabi prope S. Viti et Muraverae oppida labens, tribus magnis ostiis IV. M. P. ab invicem distantibus in mare se exonerat. Influunt in Dosam.

Flumen, quod oritur ex montibus Barbariae Seùli, qua Agugliastri regio patet, et VIII. ab ortu lap. juxta Ussàssain ejusdem regionis oppidum fluit: deinde ad XL. lap. cum Dosa jungitur.

Flumen aliud ex ejusdem regionis montibus ad Gennasèin (oppidum excisum Barbariae Seùli); et non procul a Seùlo, Sadali, et Sterzili oppidis, ejusdem regionis, labitur, Dosam post XXV. lapidem ingrediens.

Flumen Carbonariae oritur ex montibus proximis, et I. ab Arce vetere Cap. mari recipitur.

Flumen Chiaremeae ex montibus Ollae defluit juxta oppidum excisum Chiaremeae, et ad Vegeretum mari illabitur.

Flumen Quarti ex montibus Ollae per regionem Campitani Caralis non procul a Mara-Calagonis, et Quarto decurrit, et mare ingreditur.

Flumen Caralis oritur ex Badepiscopi agro. Decurrit per regionem Gerrèis juxta oppidum Sìsinis, et per regionem Curatoriae Trecentae juxta oppidum Arìgis, ubi incrementum suscipit ab alio flumine, quod oritur et ex Genamella agro oppidi S.

Basilii, et ex regione Gerrèis, quocum viam regiam petens, in regionem Doliae volvitur. Atque hic recipit Orròlis fluvium ex fontibus agri cognominis, et montium Piani-Fargèris: unde versus oppidum Ussanae decurrit, ubi augetur Bonarbae fluvio, qui ex montibus Ollae oriens per regionem Curatoriae Seurgus et Trecentae non procul a Donigallae oppido defluit; mox Samatzaim trangressus sub Ussanae oppidum superiori conjungitur; atque uno alveo juxta Monasterium labuntur in regionem Curatoriae-Decimi non procul ab oppido S. Sperati, et pontem magnum XIII. fornicum inter Decimum-magnum et Decimum-Puteum praetereuntes, in stagnum maximum Caralis non procul ab oppido Asseminis se devolvunt. Influit in hoc.

Flumen quod oritur in Sarcitano ex fonte Vitae, et in regionem Partis-Valentiae inter Isilim et Nuragum defluit non procul ab oppidis Gesturis, Barùminis, Piatearum, et Marae-Arbareis, inde per regionem Curatoriae Nuraminis excurrens juxta oppidum Furtèis pontem antiquum subtermeat, Nuragique ad dexteram, Samassi ad sinistram relictis regionem Partis-Ippis, pontemque Villesorris ingreditur, et flumen superius petit. Influit in hoc.

Flumen Lenis, quod ex montibus Villae-Cidri regionis Curatoriae Ippis juxta oppida Samassis, Serrentis, et Serrae-magnae decurrit, et fluvium superiorem dextrorsum ingreditur.

Badarena oritur ex montibus oppidi Domus-novae regionis Sigerri in vastissimi antri ostio, ubi fons maximus tantam aquarum evomit copiam, ut statim amnem efficiat, qui in regionem Decimi juxta Siliquam defluens Utam ad dexteram relinquit, et in Stagnum Caralitanum dilabitur. Huic additur

Flumen Sigerri ortum ex agro Capitis-aquarum regionis Sigerri, et decurrens inter Villam-massargiam, et Villecciesiam ad Siliquam in Curatoriam Decimi pervenit, et per eam incedit juxta Castrum Jojosae-guardiae, et S. Johannis templum; inde Utae oppidum ad sinistram reliquens in superioris alveo recipitur.

Fluvius Cioffae, vel Anciofla dictus oritur ex montibus Capitis-terrae, et non procul a turre Su-Loi mare petit.

Flumen Norae oritur ex Monte sancto divi Michaelis et ex Monte Petrae-stèrritae in Curatoria cognomine, unde per angustas longasque valles inter excelsos montes decurrens

castrum et oppidum Pulae relinquens ad dexteram in mare se effundit.

Flumen Rièrae oritur ex Monte-sancto, et castrum et oppidum Palae ad sinistram relinquens, stagnum petit.

Flumen, quod dicunt Foghe-salis, oritur ad radices Montis-sancti, et non procul a statione Ostiae mare ingreditur.

Flumen Chiae oritur ex montibus Domus-de-Maria, et juxta oppidum excisum Chiae mare petit.

Flumen Teuladae oritur ex Monte S. Marci, cui sub oppido exciso Teuladae adjungitur fluvius, qui provenit a Curatoria Sulcis; paullo post mare ingrediuntur.

Flumen Palmae oritur ex fontibus Nugis, Perdagii, et Santàdis, quorum aquae ad Trataliam uno alveo recipiuntur, et nomen sumunt fluminis Palmae, obliterata antiqua appellatione *Debotes,* quae legitur apud Ptolomaeum, et in sinum Sulcitanum devolvitur.

Flumen Alghae dictum oritur ex . . . . . . et per regionem Sigerri excurrens juxta portum Corongii mare ingreditur.

Flumen-majus, vulgo *flumini majori* oritur ex . . . . et IV. lapide a templo S. Nicolai prostratae urbis Neapolis decurrens mare ingreditur.

Flumen-magnum juxta Bonorchilem proveniens ex montibus . . . . ad laevam oppidi Uris versus S. Petrum Terralbensem decurrens mare ingreditur.

Flumen aliud oritur ex montibus Guspinis et regionis Montis-regalis, et inter oppida Gonnos et Fanadigae decurrens versus Papilionem deflectit, et mare petit.

Fluvius Sacer a Ptolomaeo appellatus oritur ex fonte Oradellis et versus Caput-Fraschae decurrens mare petit.

Flumen Morgongioris originem ducit in regione Partis-Montium ex rupibus Morgongioris oppidi, et per eam regionem defluens, oppida Pompi, Masullas, et Mogori, ad dexteram deserit, ad sinistram non procul a Sersela recipit fluvium, qui ex Parte-Usellis ortus oppidum Gonnos Tramatzae interluit, simulque uno alveo juxta Urim decurrunt, et in stagnum Saxi, seu Marcellini exonerantur.

Flumen aliud ex montibus Arcis procedens regionem Campitani Simagis juxta oppidum Palmae decurrit, et subingressum S. Justae pontem stagnum influit.

Flumen Oristagni Thyrsus a Ptolomaeo, Thorsus a Pausanía et Leonico, sumit initium ex fontibus Buddusonis, agri Encontratae Montis-Acuti, et excurrit regionem Gociàni, Benetuttim ad sinistram, castrum Gociani et alia montana oppida ad dexteram relinquens: inde vallem inter montes Maenomenos regionis Macumelis, et fines regionis Doris scindens, Bolothanam ad dexteram, Ottanam ad sinistram relinquit. Mox in Partis-Cieris regionem labitur juxta Zuuris et Tadasunis oppida; unde in partem-Baricati juxta Fortrajanum et Villam-novam Truschelli defluit, ex qua in Campitanum progrediens, Oleastrum, S. Hierum, Simagim et Sillinum ad sinistram, Cerfallinum, Solorussam et alia oppida ad dexteram relinquit. Tandem duobus alveis, quorum primo urbem Oristagni lambit, et ad stagnum defluit, altero et majore Pontem-magnum subtermeat, et in mare altero a Turre-magna lapide se exonerat,

Affluunt in Thyrsum; Nordolis, qui ex cognomine saltu Oranis agros Univèris et Ottanae excurrit, et multis auctus aquis demum XX. ab origine lapide non procul a Seduli oppido in Thyrsi alveum sinistrorsum se effundit.

Flumen aliud oritur ex montibus Barbariae Ollolais, ex in regionem Partis-Baricati excurrens juxta Neonellis, Ullae, et Busachis oppida, ad laevam Thyrso jungitur.

Màssaris oritur ex montibus Cornubovis non procul a Dèsuli oppido regionis Mandrelisàis, ipsamque, et Belvìnum, Meànam et Atzàram ad Samughèum usque decurrit, Sarcidànum inde petens in partem-Valentiam inter Làconum et Gennonim supra Ruìnam et Mogorellam profluit. Postea Partem Baricàti ingressus Allaim et Fortrajanum alluit, ubi pons excisus antiquae et sumptuosae structurae cernitur, et in Thyrsum sinistrorsum delabitur IV. sub Busachi lap.

Flumen aliud proveniens ex agro Curatoriae Aùstis dilabitur in regionem Mandrelisàis inter Ortuèris, Sòrgoni, et Sammughèi oppida, et II. a Sammughèo lap. Màssaris flumen ingreditur.

Flumen Petrae-fittae oritur ex Orgòsuli agro a fontibus Cadelvizos, Sorbolais, et Cornu-bovis, et in Barbariam Ollolàis decurrens Fonnim et Lodìnem ad dexteram, Dèsulum regionis Mandrelisàis ad sinistram relinquit. Inde Gùsana flumine

ex montibus Fonnis oriundo X. ab ipsis montibus lap. incrementum suscipit, et inter Gavòis, Ovoddae, Tetis, et Olzàis oppida excurrit in regionem Curatoriae Aùstis, ubi II. a Teti lap. alio augetur fluvio Badelàsi dicto, qui ex montibus Dèsuli et Fonnis profluens inter Thianae et Aùstis oppida incedit, et in Partem Baricàti ruit, ubi non procul a Fortrajàno jungitur Màssari, et simul in Thyrsum ex laeva parte influunt IV. a Busàchi lap.

Flumen aliud oritur ex Ghìrgini in agro Mogorellae et regione Partis-Valentiae, et in Campitanum arboreense progressum, juxta oppida Villae urbanae et Siae-magnae decurrit et Thyrso ad laevam miscetur.

Confluunt in Thyrsum ad oram dexteram

Flumen, quod procedit ab agris Bolòthanae et Silàni, et non procul a Seduli oppido Thyrsum ad dexteram ingreditur.

Flumen aliud ortum ex fonte ad radices excelsi montis S. Patris, non procul a Bortigàlis oppido, Agrum Sèduli ingreditur atque Thyrso ad dexteram miscetur IV. lapide a Busachi.

Flumen aliud ortum ex Septem-fontibus S. Leonardi regionis Montis-ferri, quod defluit in regionem Partis Cièris inter pauli-Làtini et Aquae-sanctae oppida, et non procul a Guilartia aliud flumen recipit, quocum ad dexteram Thyrsum ingreditur.

Flumen Tramatiae originem habet in montibus S. Luxorii regionis Montis-ferri, conflatis ex eorum aquis duobus fluviis Badolìa et Badesia regionem Campitani de Milis sejunctim excurrentibus usque ad S. Hierum, post quod contra Celleiànum uno alveo recepti tendunt in stagnum Marepòntis.

Flumen Vitae ex vicinis Maenòmenis montibus oriens planitiem juxta Noràcem decurrit, mareque petit.

Flumen Badilitae ex montibus Scani oppidi regionis Montisferri scatens per Planariam Bosae discurrit, et ad Foghedòliae sinum in mare se effundit.

Flumen Fìsulae, seu Fiscèllae ex ejusdem oppidi Scani agro progrediens versus Tresnuràghen, ad scopulos Columbarios mari illabitur.

Fluvius Bosae, Themus a Ptolomaeo nominatus, originem ducit ex fontibus Vallis Archiverii regionis Capitis-aquarum,

ex quibus primum exilis et macer, sed paullo post multis aquis auctus pontem Bòinum petit. Relictis deinde ad dexteram Puteo-majore et Pàtria, ad sinistram oppidis Planàriae ad pontem Sannam decurrit, et prius antiquum templum cathedrale S. Petri, urbemque excisam antiquae Bosae ex parte laeva, deinde ex dextera Bosam novam lambit, et ad II. M. P. navigabile, mari illabitur. Influit in hoc.

Flumen Campi-Bovini ex monte Cuco regionis Villae-novae emergens ad radices Montis-Leonis non procul a Romàna defluit in pontem Pàtriae, parvosque amnes recipiens in flumen Bosae se effundit.

Fluvius Pòllinis ex Barretèris loco per vallem Azetràtae decurrit in mare.

Fluvius Calae-bonae ex valle Salondrae oriens ad Calambònam devolvitur in mare.

Flumen Montis-furcàti oritur ex radicibus montis Cuilis regionis Villaenovae Montis Leonis, et per agrum Algariensem excurrens fluvio Surighèlli ex valle Rubra augetur, et pontem Serrae non procul ab Algario subtermeat, stagnumque piscosum ingreditur. Influit in hoc.

Flumen Ungiae ex valle Boÿlis oriens, et fontibus Myrti, Inferni, et Rupis auctum prope Algarium pontem cognominem ingreditur, et cum superiori ad stagnum procedit.

Fluvius Cantarèlli ex fontibus Abbatiae oriens, et per pontem Spillitae, non procul ab Ulmèti oppido, lentus et exilis ad aedes S. Gavini decurrens multis augetur fontibus et stagnum petit.

Fluvius S. Michaelis ex diversis fontibus Nurrae oriens agrum Algariensem inter Montem-petrosum excurrit et S. Michaelis oppidum excisum; deinde a stagno ebibitur.

Fluvius ex fontibus Falcònis et Sojànae (prostrati oppidi) proveniens mare non procul a promontorio Nigro ingreditur.

Fluvius Sanctus ex Oleastrello per Artiminum et Esse, oppidum desertum, decurrens juxta oppidum excisum Sancti, a quo nomen sumpsit, labitur, ejusque fontibus auctus mare ingreditur VII. a Turritano flumine lap., unde auspicati sumus.

Quae omnia flumina transvadari praesertim aestivo tempore plurimis in locis possunt, habentque anguillas et salares;

ex quibus quaedam et mugiles, et auratas, aliosque pisces fluviales abunde suppeditant.

De Stagnis et Salinis.

Habet et pisculentissima stagna Sardiniae insule, ut inquit Solin. Polyhist. (L. V. c. 9.) et quidem multa. Sed praecipua sunt infrascripta, nempe

Stagna, Algariense, Bàracis, Januàrii, et Scarìnzae regionis Nurrae:
Platamònis regionis Romandìae:
Villae-majoris, Terrae-novae, et Offudèae regionis Gallurae:
Urisèis, quae *Aquae Lesitanae* a Ptolomaeo appellantur:
Tortolìni in regione Agugliastri:
Sàrrabi in regione cognomine:
Càralis; duo ad orientem Urbis, unum, quod omnium maximum, ad occidentem;
Palmae in regione Sulcitana;
Sabàzi in regione Montis-regalis, quae *Aquae Neapolitanae* a Ptolomaeo dicuntur;
Saxi et Marcellini in Terralbensi agro:
Paludis-Fici, Paludis-majoris, et S. Justae in regione Campitani Simàgis, quae *Aquae Hypsitanae* a Ptolomaeo dictae sunt:
Marepontis, et Mistras in regione Campitani de Milis: ex quibus fit ingens captura piscium et anguillarum praepinguium, quarum magna pars per totam Sardiniam defertur et absumitur; plurima vero muriatica, et in doliis asservata celebri quaestu in Italiam et Hispaniam mittitur.

Salinas habet magnas non uno tantum, sed pluribus in locis regionis Caralitanae, Turritanae, Arborensis, et Gallurensis. Quare sal vili venumdatur pretio, et quibusdam ex privilegio gratis datur, quantum illis satis sit; et multa navigia onerantur, et in Italiam mittuntur. Sunt majores salinae prope Caralim, quae candidiorem salem gignunt; at magis valet ad

condimentum, qui extrahitur ex Sassaritanis; in quibus paratur hoc modo. Ingrediuntur hiberno tempore aquae maris in hujusmodi stagna, quae salinae vocantur, ubi postea aestivo tempore ob solis fervorem coagulantur in solidissimum sal, unde hoc mensibus Julio et Augusto vel totum extrahitur, vel ejus pars, quando vel totum extrahere non sit necesse, vel stagnum non sit exsiccatum: nam aliquando et quibusdam in salinis in oris tantum aquae in salem exarescunt. Saepe ex Algariensibus et Terranovanis nihil extrahitur.

Putei aquae salsae Sàssari et aliis multis Sardiniae locis sunt, ex quibus muries haberi posset: puteis vero aquae dulcis et cisternis nonnisi Carali et quibusdam aliis in castellis super locis montanis utuntur. Quare Solinus Polyhist. (loco cit.) non recte dixit Sardiniam opem plurimam de imbrido coelo habere, hibernasque pluvias in aestivam penuriam reservari, quum in tota insula, magna sit, ut vidimus, aquarum copia tam fontium, quam fluminum, et stagnorum, ex quorum multis *Intemperies*, quae vulgo dicitur, *aëris*, ut nunc dicemus, cassatur.

De aëris intemperie.

Sardinia inquit Pomponius Mela (L. VIII. c. 5.) soli, quam caeli, melioris, atque ut foecunda ita pene pestilens. Quare M. Cicero Q. Fratrem monet *quamquam hyems esset, meminisse cum debere in Sardinia esse;* et alibi ad M. Fabium Gallum (ep. 24. L. 1. epist. ad famil.) scribit « *Tigellium* « *sua patria pestilentiorem* »: Cornelius Nepos (L. de Viris Illustr. c. 65.) inquit C. Gracchum pestilentis Sardiniae quaesturam sortitum: et Val. Martialis Sardiniam Tiburi, tamquam saluberrimo loco pestilentissimum opponit, dicens « *Nullo fata* « *loco possis excludere; quum mors Venerit, in medio Ti-* « *bure Sardinia est* »: Florus etiam (L. II. c. 6.): tandem Livius (L. IV.) et Claudianus . . . . Sardiniae montes *Insanos* appellant, quos Ptolomaeus *Maenòmenos*, quod idem sonat, teste Plinio (L. XII. c. 13.), appellavit. Sed multi intelligunt *pestilentem* Sardiniam a Cicerone, et ab aliis

esse dictam propter Solpungam, et Sardoniam herbam, ut refert Coelius Rhodiginus (XII. c. 16.) Et certum est insulam raro peste laborare, nec ubique locorum morbosam esse, ut testatur Strabo (L. I. Geogr.). Nam montes omnes, omnique tempore salubres sunt, quidquid dicant Florus, Livius, et Ptolomaeus; et planities non omnes sunt infestae, sed illae, et quidem numero exiguae, quae nimis foecundae, palustres sunt, aut salem habent concretum; quae tamen nonnisi aestivo tempore, ut Strabo (L. V.), et experientia docet. Nam mense Julii, increbrescente solis ardore, consurgunt ibi vapores crassi aërem corrumpentes, teterque odor gignitur, qui delicatis et inassuetis perniciosus est. Aliis autem, qui a pueritia sunt assueti illi aëri, quique labori vacant, atque soliti sunt aestivis etiam solibus terram peragrare, non nocet ullo modo; immo in illis locis et robusti vivunt, et grandaevi senescunt, ut in regionibus, ubi saluberrimo aëre homines fruuntur. Hujusmodi vapores et infectus aër non ventis, sed imbribus, pelluntur mense Octobris vel Novembris; nam praegravis auster ibi flare solet; ut inquit Pausanias (L. X.) et cecinit Silius Italicus « *pallidaque intus — Arva coquit nimium Cancro fumantibus austris* ». Boreae vero salutares et refrigerantes aestatis tempore flatus montium arcentur objectu, quos ad illud latus altissimos insulam habere, et Pausaniae compertum (L. X.), et Claudiano, qui haec cecinit « .... *Quae* (pars) *respicit Arcton — Immitis, scopulosa, procax, subitisque sonora — Fluctibus: insanos infamat navita montes. — Hinc hominum pecudumque lues; hinc pestifer aër — Saevit, et exclusis regnant aquilonibus austri* ». Corsicae quoque insula quae M. P. IX. dumtaxat a Sardinia distat, excelsis se undique montibus attollens Favonio et Aquiloni obtenditur, quominus eorum in hanc terram flatus pervadant, ut idem Pausanias refert. Quare nobiles et laboribus insueti, quique luxui corporis vacare solent, et saluti consulere, se domi, fervente aestate, continent, et nunquam nisi hiberno vernoque tempore ex civitate ad sua castra et oppida egrediuntur, terramque circumeunt: quemadmodum et illi qui Romae degunt non audent aestate urbe egredi; et Neapolim petere, ne in morbum incidant. Quod si aestatis tempore co-

guntur transire per Sardiniam fugiunt hujusmodi loca infesta, et quaerunt montana, ubi aër salubrior, ut dixi; atque ita diu vivunt, fitque populosa insula, ut mox dicemus.

De incolarum frequentia.

. . . .
. . . .
. . . .

De natura et moribus sardorum.

Sardi natura sua sunt ingeniosi, atque, ex sententia Aristotelis, melancholici, litterisque dediti; unde viros plures scientia illustres Sardinia tulit, quos in historiis retuli; multique in dies, et in Italia et in Hispania, medicinae et Juris prudentiae student, Sassari vero et Càrali Grammaticae, Rhetoricae, Philosophiae, et Theologiae cum doctissimis viris sardis has artes et scientias publice profitentibus. Quare Sardinia doctissimos habet Theologos, et Verbi Dei praecones, Philosophos, Medicos, et Jurisperitio insignes; quidquid alii rerum Sardoarum nescii imperitorum scriptis aut verbis, in contrarium temere blaterent.

Militia praesertim sunt insignes, et erga Reges fide incorrupta, ut latissimo historiarum testimonio, usuque quotidiano, cognoscimus. Sunt robusti, optimi equites, et venationibus assueti. Utebantur olim pelta et pugione, mùsmonumque pellibus, thoracis modo, se muniebant, ut refert Strabo (L. V.). Maxime vero utuntur balistis, sclopetis, et occulto laqueo, quo hostem, medio certamine, minus ad tales insidias cautum, subito jactu implicitum perimunt: et quando piratae turcae aut afri ad haec litora appellunt praedam abacturi, facile a sardis capiuntur, vel in fugam vertuntur. Labori etiam sunt dediti; atque ita olim plectebantur ignavi otioque dediti, ut testatur Alexander Sardus (c. 22. L. I. *De moribus gentium*) et Aelianus (L. IV. c. 1. *Variar histor.*); et parentes

senio confecti, tamquam ii qui otiose vitam degerent fustibus lethaliter caedebantur a filiis, et contumulabantur: turpe siquidem putabant multo senio confectos inutiliter superesse, ut refert etiam Coelius Rhodiginus L. XXX. c. 26. Agriculturae tamen fuerunt montani populi parum dediti, qui olim in planitiem populabundi saepe descendebant, ut diriperent quae suo labore et industria campestres sibi paraverant, Strabone referente; at hodie incusatur aliqua et horumce colonorum negligentia, qui, ob soli foecunditatem et copiam frugum, parum accurate colunt et segniter serunt. Desideratur ideo in rusticis major industria, et superiorum favor. Rei pecuariae sunt deditissimi: quare fit ut vili pretio emantur carnes, sicut et triticum; omnesque pane triticeo et carnibus vescantur, rusticis quibusdam et pastoribus demptis, qui, ut antiqui Ilienses, Jolaenses, et Balari consueverant, sola vivunt aqua et carne pecorum et armentorum, quorum sunt voracissimi: aliqui enim reperiuntur, qui uno prandio vel coena medium arietem, vel porcum dimidiatum, deglutiant; quum tamen gens reliqua frugalitatem hispanorum aemulentur.

Panno vilissimo *Foresi* vulgo dicto vestitur magna pars servorum, et eorum qui in villis et oppidis habitant. Illorum foeminae in vestitu valde honestae sunt, omnem excludentes pompam. At urbani viri et foemine, divitiis abundantes, abutuntur vestibus in magnam superbiam. Olim sardi vestiebantur caprarum pellibus, veterum graecorum more, ut inquit Alexander Sardus (L. I. c. 19. *De morib. gent.*): nam et Hercules, a quo originem duxerunt, pelle vestiebatur. Illis tamen utebantur, hyeme villis introrsum conversis, aestate vero aversis, ut inquit Nymphodorus, quem refert Volaterranus, eamque, *tùnicam sardonicam,* nominat Coelius (L. XVI. c. 10.), et *sardorum mastrucam* vocat Cicero, et D. Hyeronimus (L. adv. Lucif.); unde sardi *mastrucati* dicti sunt a Cicerone, et *pelliti* a Sabellico post Livium (L. XXIII. et XXIX.) qui alibi refert anno A. C. N. CCIV. fuisse a Sardis romano exercitui data XII. M. tunicarum, et M. CC. togae.

Sardinia habebat etiam foeminas *Bitras* vocatas, quas narrat Solinus Polyhist. (L. VI. c. 4.) geminas in oculis pupillas habere et in visu perimere, si forte quempiam iratae

aspicerent: fanaticas etiam et maleficas, pluresque praeficas in funeris luctu advocari seu conduci solitas, quae cantu et funebri carmine defunctorum laudes non sine miseratione referebant, et modum plangendi ceteris foeminis circumstantibus dabant. Hae ad crebras regressiones simul respondentes alto cum gemitu comas et ora lacerabant, capita et pectora suis percutiebant palmis. Ita olim fere ubique; nunc Praesulum et Inquisitorum haereticae pravitatis zelo punitae hujusmodi artem exercere formidant. Parentalia, quae olim apud Norenses sardos, teste Cicerone in Orat. *pro Scauro*, fiebant, adhuc fieri multis in locis videmus.

Ceterum Sardi sunt sui commodi, quam pubblici amantiores, et in prosperis conterraneorum successibus saepe contabescunt; advenas autem amant, et humaniter excipiunt. Coloris sunt albi et rubicundi ad aquilonem; subfusci ad meridiem. Loquuntur lingua propria Sardoa cum rhitmice, tum soluta oratione, presertim in Capite Logudori, ubi purior, copiosior et splendidior est: Et quum Hispani plures, Tarraconenses, Cathalani, et Itali migraverint in eam, et commerciorum causa quotidie adventent; hinc loquuntur etiam variis linguis hispanicis, et italica, quibus omnibus solent concionatores loqui apud unum eumdemque populum, seu auditorium. Caralitani et Algarienses communiter majorum suorum lingua cathalana utuntur; alii genuinam retinent sardorum linguam, quae in *oratione dominica* hujusmodi est.

Pater noster, qui es in caelis, sanctificetur nomen
Babu nostru, qui istas insos Kelos, santificadu-siat su nomen

tuum; adveniat regnum tuum; fiat voluntas tua
tuu; bengiat a nois su regnu tuu; fettasi sa voluntade tua

sicut in caelo et in terra. Panem nostrum quotidianum
comente in Kelu et in terra. Su pane nostru de ogni die

da nobis hodie; et dimitte nobis debita nostra,
da no lu hoe; et perdona nos sos debitos nostros,

sicut et nos dimittimus debitoribus nostris; et ne
gasi comente nois perdonamus sos debitores nostros; et non

nos	*inducas*	*in tentationem*	*sed libera nos*	*a malo.*
nos	lasses ruere	in tentatione	ma libera nos	dae male.

De dignitatibus et Magistratibus sardorum.

Multae sunt in Sardinia dignitates, multique magistratus. Sed dignitates omnium supremae fuerunt olim quatuor regum, nempe Turritani, Gallurensis, Arboreensis, Caralitani, qui *Judices* dicebantur, et quatuor praeerant regnis, in quae tota Sardinia erat divisa. Nunc unus est Rex Aragoniae et Sardiniae, unusque Prorex, qui in ea omnem fere Regis habet auctoritatem, et solus hispanus hunc Magistratum gerere solet, cui a Rege unus Assessor J. U. D., quem *Regentem* appellant, et quatuor alii Consiliarii, J. U. D., assignantur, quorum consilio omnia disponit, appellaturque ejus tribunal *Regia Audientia.* Olim hoc magistratu juxta privilegium regni nullus poterat fungi, nisi per triennium; deinde alius succedebat in ejus locum: nunc autem in eo officio multis temporibus quis persistit, ut Regi placet; eoque absente, vel mortuo, remanet Praeses eamdem habens potestatem. Hi residere solent partim Càrali, partim Sàssari; nisi aliud imminentis belli periculum suadeat; quapropter Càrali pro majore anni parte eos residere Africa, et vicinus Turca, hac tempestate coegit; sicut et olim Barbaracinorum metus Praesidem romanum in montibus residere fecit. L. 2 ff. *In Sardinia* Cod. *de officio Praef. Praetor. Africae.*

Quum Sardinia a Regibus Aragoniae in duas sit divisa partes, nempe in *Caput* Sassaris, et *Caput* Caralis, suum unaquaeque habet gubernatorem; nec refert hispanus, an sardus fit. Praesente Prorege nullam, absente omnem auctoritatem hic in suo *Capite* habet. Sed licet provocare ab eo ad Proregem. Committit Rex hoc gubernationis officium cui velit, quique idoneus ad id gerendum videatur.

Est et alius in civitatibus Magistratus Regius, qui ab incolis Vicarius Regius appellatur, et praesente etiam Prorege, vel Gubernatore, sua non privatur jurisdictione, cum in causis capitalibus et poenis infligendis, tum in aliis controversiis. Fun-

guntur officio Càrali et Algario per unum annum, Sàssari vero per biennium; idque et propter insolentiam quorumdam, qui huic praefuerunt officio; nec non ut reliqui cives eodem potiri queant. Nam olim ad quinquennium, postea ad triennium, haec auctoritas retinebatur. Concedit Rex hanc functionem unis civitatibus; habentque singuli, qui huic officio praesunt, Assessorem J. U. peritum; sub quibus sunt ceteri magistratus minores, quos brevitatis causa missos facio.

Sunt praeterea in Sardinia Archiepiscopatus tres, Turritanus seu Sassaritanus, Caralitanus, et Arboreensis; et Episcopatus sexdecim. Horum octo sunt Archiepiscopatui Turritano suffraganei, nempe Ottanen. seu Algarien., Emporien., Bosanen., qui suos habent Episcopos; Plovacen., et Sorren. Turritano uniti; Castren. et Bisarchien. Algariensi additi; Phausianen. nunc Civitaten. dictus, Emporiensi conjunctus. Quatuor suffraganeos habet Archiepiscopatus Caralitanus, sibique unitos Sulcitanen. Suellen. Dolien. et Galtellinen. Tres tandem sunt Archiepiscopatui Arboreensi suffraganei, nempe S. Justae ilii unitus, Usellen., qui Episcopum habet, et Terralben. Usellensi unitus. Miriensis Episcopatus temporibus D. Gregorii erat in Sardinia, ut ex illius ep. ad Petrum Notarium in Sardinia constat; qui hodie suppressus est, et nullum habet Episcopum, nec dignitates, aut Canonicos, cum tamen in aliis sint plures dignitates, Canonici, Plebani, Rectores.

Ab ipsis Episcopis et Archiepiscopis appellatur ad Judicem Gravaminum, et Appellationum, qui anno 1460. fuit a Pio II. creatus.

Sunt quoque in Sardinia Inquisitores Generales contra haereticos, apostatas, et maleficos juxta canonicas sanctiones, mores, et instructiones Supremi Inquisitoris Hispaniarum, quem illi Superiorem agnoscunt; eorumque vigilantia, prudentia, justitia factum, ut fides catholica pura inviolataque jampridem apud sardos sit custodita, et gens a cunctis haeresibus quieverit libera.

Habent praeterea Sardi Bullae Cruciatae Commissarium, Abbates, Priores, et aliorum Ordinum regularium Provinciales, quos etiam brevitati consulens recensere supersedeo.

Fuit etiam dignitas Principatus in Sardinia, teste Nauclero

in Chorogr. (vol. III.) et Abbate Vespergiensi, Pigna (L. I. e seq.) et Panvinio (L. XII. et XIII. hist. de *Regno Italico*). et nunc habet etiam Marchionatum Oristagni, et Comitatus Goeiàni, Chirrae, Villessorris, Làconis, et Sèduli, qui suos retinent Comites; Galtellini etiam, Montis-Leonis, et montis-regalis, qui habere desierunt. Vicecomitatum habet unum, scilicet Sallùris, et quamplures barones, equites, et milites, qui sua habent privilegia et constitutiones, *Capitula, brachii militaris* dictas in generali conventu Sardorum quolibet decennio congregari solito, editas, quibus, et aliis legibus lingua sarda in uno volumine *Carta de logu* vulgo appellato a Judicibus Arboreae compilatis de consilio proborum hominum, judicatur in omnibus causis rerum, et rusticarum personarum, in suis regionibus, civitatibus, castris, villis. At in aliquibus urbibus utuntur jure communi.

Sunt in civitatibus quinque consules, qui sorte quotannis ex singularum hominibus eliguntur, et per civitatem officii insigna portant, habentque reip. administrationem, in qua nec Rex Aragoniae, nec Prorex se intromittit, sed soli remp. administrant, ejusque redditus dispensant, et debent distribuere pro sua prudentia, utentes civium consilio, et publicam cuncti respicientes utilitatem. Habent etiam in quibusdam casibus leges condendi potestatem, possuntque poenas statuere, multaque habent privilegia et immunitates, quas olim obtinuerunt a Regibus Aragoniae. At hodie, quando non solliciti sunt de rep., sed magis privatum considerant commodum, ut ubique fere fieri solet, omnia ruunt in pejus. Urbes autem quae hujusmodi consules habent sunt Algaria, Bosa, Caralis, Emporia, Sassaris, et Villa Ecclesiae; non autem aliae Sardiniae regiones, civitates, castella, et oppida, de quibus, eorumque situ in sequenti Libro dicemus.

IN

SARDINIAE CHOROGRAPHIAM

LIBER II.

EX RECENSIONE V. ANGIUS.

De Turritana Urbe et Dioecesi.

Sardiniae insula, in quatuor dividitur partes, Turritanam, Arboreensem, Caralitanam, et Gallurensem, ut scripsit Christophorus Landinus in *Comm. ad cantic. Inferni* Dantis Alighierii, Sigonius (L. VIII. hist. *de regno Italiae*), et Volaterranus (L. V. cap. *Res Pisanorum*).

Turritana, omnium maxima, nomen sumpsit a Turrium urbe amplissima; et a felici illius soli amoenitate et fertilitate Loci-Aurei, vulgo *Logudoro*, cognomen est consecuta.

Fuit prius Judicatus; mox regnum; et primam insulae partem continet, quae ad Circium et Favonium vergit, eoque latere mari abluitur et flumine Cocìnae, Maenomenisque montibus terminatur.

Octo complectitur Dioeceses, nempe Turritanam, Plovacen, Sorren. Emporien. Algarien. Bisarchien. Castren. et Bosanen.

In Turritana fuit Turrium civitas vetustissima et primaria in loco quarumper edito juxta fauces fluminis Turritani, et portum, ubi insignis est turris Sassarensium praesidio, et duce munita. Creditur a Vetuloniis Turrenis primis Sardiniae accolis condita turritis aedibus; et propterea *Turrium*, *Turrìta*, et *Turrènà* civitas fuit dicta. Thusci enim urbes turritis aedibus condere solebant, ut inquit Marsilius (L. I. *de Origine*

Ital. et Turren.) et Dionysius Alicarnasseus (L. I.); deinde Augusta civitas ab Hercule facta Turris Libysonis, teste Plin. L. II. *Natur. hist.* cap. 7. et Ptolomaeo L. III. *Geogr.* cognomen est consecuta. *Libyson* enim civitatem Herculis augustam significat, Annio ad Berosum L. VII. Antiquit., et Tarafa De *Reg. hisp.* cap. *Hercules*, referentibus. Deducta postea ad eam romanorum colonia, ut inquit Plin. L. III. c. 7. Onuphrius L. *Imper. Rom.*, et Sigonius L. III. *de antiquo jure Italiae*, fuit multis et amplissimis aedificiis exornata, perenni dapsilique fonte decorata, qui ex Aqua-clara Vallis S. Martini deducebatur XII. M. P. aquaeductu opere arcuato affabre elaborato, cujus reliquiae adhuc cernuntur. Hic residebat Praeses Sardiniae, cujus magnificae aedes, fornicibus testudinatis exaedificatae, in hunc usque diem conspiciuntur semirutae; fuitque postea sedes Archiepiscopi Turritani in maximo ejusdem urbis templo a Comita Judice magnificentissima fabrica extructo, columnis marmoreis teretibus et striatis suffulto, tegulisque plumbeis tecto, quod ss. mm. Gavino Romano, Protho, et Januario, Sardis Turritanis dicatum, frequentia hominum, et religione celeberrimum, extat adhuc integrum multisque aedificiis a Sassarensibus cinctum. Urbs vero ipsa jacet Genuensium bello et piratarum incursionibus destructa, et a populo, qui cum Praesule et omnibus opibus Sassarim migravit deserta, herbis rubis et virgultis obsita, atque hinc nulla re integra, et antiquorum aedificiorum majestate fere ad nihilum diminuta.

De Urbe Sassaris.

Sassaris urbs omnium Logudori urbium maxima, et praeclarissima, quae etiam *regalis civitas* a Marco Guaxa in Chron. nominatur, fuit XII. M. P. a Turribus interius in loco amoenissimo, et totius insulae saluberrimo, condita a Taràtibus, ut creditur, qui teste Strabone (L. V. de *Situ Orbis*) hic juxta Sossinates consederunt, et propterea lingua sarda *Tatari*, T et R corrupte transpositis, etiam hodie vocatur.

Hujus prima fundamenta jacta fuerunt in loco *Funtana de bidda* vulgo dicto; destructâque urbe Turrium cum circum-

viciuis oppidis, adaucta est orientem versus in eam urbis formam, qua nunc cernitur, et a Potestatibus ipsius ex statuto Urbis moenibus et fossa circumscepta. Quatuor patent portae; Castelli scilicet, quae Eurum prospicit, olim Porta Capitis-Urbis dicta, Uceris ad Africum sita; S. Antonii, olim nuncupata S. Blasii Circio objecta, et Uruselli, etiam Macelli appellata, ad Aquilonem sita, ubi est propugnaculum Macelli dictum.

Praeterea anno circiter 1331. a Guillelmo Cervellòno Pro-Rege et Raimundo Montpavòne Gubernatore fuit insigni arce munita, quadrangulari forma et quadrato lapide constructa cum quatuor turribus in angulis, et altera in porta, per quam ex Castro est exitus in civitatem, ubi sunt quatuor portae, in quatuor murorum ordinibus, et propugnaculum concameratum affabre ab Antonio Pontio anno 1503. elaboratum. Habet arx ipsa ad pomoeria ameonos hortos, intus puteos et cisternam, praeterea portamque falsam dictam, longam et flexuosam per trium murorum vallationem, qua extra urbem datur egressio. In ea residebat olim Dux regius cum militum praesidio, nunc habitatio est Inquisitorum Apostolicorum totius Sardiniae, et sunt carceres S. Officii.

Fuit tota civitas in quinque divisa Regiones, seu Parochias a Dorgotorio Archiep. turritano anno 1288. et in illis haec praecipua sunt aedificia.

Templum maximum S. Nicolai parochiale quod anno 1434. fuit Archiepiscopalis sede Turritana decoratum, et anno 1580. populi expensis in ampliorem formam, qua hodie cernitur, redactum, insignique testudine et sacellis multis ornatum.

Templum S. Catharinae parochiale.

—— S. Sixti parochiale.

—— S. Donati parochiale.

—— S. Apollinaris parochiale.

—— Jesu Mariae, Collegium PP. Societatis Jesu anno 1580. magnifice construi coeptum.

—— S. Mariae ad Bethlehem, olim Abbatia Cassinensium, nunc insigne Monasterium Franciscanorum Conventualium extra muros.

—— S. Petri de Sirchi, olim Abbatia Monialium Ordinis S. Benedicti a Mariani Judicis Matre conditum, et deinde a

Martino V. Ecclesiae Turritanae unitum. Nunc amplissimum est Monasterium Franciscanorum de Observantia extra muros.

Templum S. Augustini extra muros, Agustinorum Monasterium.

—— S. Antonii extra muros, Prioratus.

—— S. Leonardi extra muros, Prioratus.

—— S. . . . . . de Subaleo, Prioratus Ordinis S. Benedicti, Ecclesiae cathedrali unitum.

—— S. Clarae, monasterium monialium Ordinis Minorum.

—— S. Elisabeth, monasterium monialium Ordinis . . . . nunc desertum.

—— Annunciationis Beatae Mariae Virginis, hospitale infirmorum.

—— S. Mariae Magdalenae, hospitale infirmorum.

—— S. Lazari, hospitale leprosorum extra muros.

—— S. Sepulchri, olim domus Canonicorum Regularium, nunc sodalitatis, vulgo Confraternitatis *Orationis*, alias *De la Morte* dictae.


—— S. Crucis, domus Sodalitii, vulgo Confraternitatis *Gonfalonis*, seu *disciplinatorum* dicti. Habet et sacella, quinque in urbe, quindecim extra muros. Habet Senaculum, domum Civitatis vocant, Domum Archiepiscopalem, et Regiam, ubi Gubernator Logudori habitat; scholas publicas, balnea, licet nunc inutilia, ubi foeminae diebus Lunae, Martis, et Mercurii; mares reliquis diebus olim lavabantur; ludum pilae; carceres, forum olitorium rerumque venalium, triticarium, boarium, et piscarium; tabernam salis; panis, et mercium omnium exterarum, *Majorlam* dictam. Habet vicos amplissimos, areas et plateas plures, puteum publicum (*funtana de bidda*). Praeter hunc sunt alii plures putei in urbe aquam salsam manantes, ex qua muries fieri posset; extra vero in circuitu, neque ultra III. M. P. numerantur quadringenti perennes fontes, dulcem et salubrem fundentes aquam, qua laudatissima hortensia, et nemorosa viridaria malorum aureorum, citrorum, limonum, et aliorum omnium fructuum fertilia irrigantur, pluresque frumentariae molae versantur. Inter quos primatum tenet *Uruselli* fons publicus juxta Macelli portam, duodecim canalibus aquam populo largiter propinans, quae clara, tenuis, levis, pura et omnium saporum expers, gustuque jucunda, celeriter

sine ulla ventriculi molestia praecordia pertransit, quaeque aestate frigida, hyeme autem calida, emanat, nec non et igni admota cito calefit, remota ocyissime frigescit. Extat etiam juxta Portam-Castelli fons regius Putealis gelidas praebens aquas, aestate jucundas: et fons publicus *Conciae* dictus ad Portam-Uceris, fonsque parvus putealis ad Portam S. Antonii uberes suppeditans aquas. Ager perlate patet vini, olei, lini et tritici feracissimus, et pecore abundans, qui aucupio et venatu multas et varias hominibus voluptates praebet. Mare est propinquum et piscosum, optimisque refertum coraliis: flumina vero anguillarum et trutarum foecunda.

De Sassaris Dioecesi.

Amplissima est haec Dioecesis a finibus Emporiensis ultra flumen Sursanum Aquilonem versus incipiens, ubi est.

ROMANDIA, maritima regio, quae solum habet aliquantulum arenosum et siccum, frumenti tamen feracissimum, si assiduis adjuvatur imbribus, palmas sylvestres proferens, tubera, et mala persica, et vina optima.



Stagnum piscosum, quod Platamonis vocant continetur in ea. Supersunt duo oppida, Sursa et Sènnaris III. a mari VI. M. P. a Sassari distantia — Interiere quatuor, *Gennon, Uruspa, Gèritus*, et *Tàniga*, cum antiqua urbe TIBULAE a Ptolomaeo tab. 7. memorata, a latinisque condita, qui nomen Romandiae sedes in ea collocando, dedere. Hinc orientem versus sequitur.



OSULI regio, quae ad fines Dioeceseon Emporiensis, et Plovacensis, extenditur, fluviolis irrigua, multisque aspera collibus et montibus, inter quos sublimiores exsurgunt, Tufudesus, et mons Osuli, ex quorum summitate magna pars Sardiniae, ejusque maris, circumspicitur. Extat in vertice montis OSULI CASTRUM arte et natura satis munitum, ejusque amplissimum et populosum suburbium VI. M. P. a Sassari, totidem a Sursa, distans, cujus coloni agriculturae incumbentes pluribus, quam sexcentis boum jugis, ipsius regionis pinguissimos agros colunt. Interiere reliqua oppida, *Tonsae, Felisquentìni, Gutòi, Utalis, Sassalis, Buàlis, Scalae* cum Monasterio S. Mariae, prioratu


aliter Vill. fr. et Ericis

ordinis Camaldulensium, et *Villafranca Éricis*, ubi Ericinum, urbs antiqua a Ptolomaeo memorata. Ad oram maritimam deinde revertenti post Romandiam se offert



Fluminariae curatoria, quae usque ad flumen *Santum* protenditur, Tamarici et Octavae fluviis, a quibus venit hoc nomen, irrigata, culturae idonea, et foecunda. In qua Coracensii Ciliciae populi suas sedes collocarunt, Ptolomaeo referente, et quatuordecim jacent excisa oppida, *Septem-palmi*, *Hertis*, *Lentis*, *Lèquili*, *Sancti*, *Ardi*, *Querqui*, *Herlae*, *Domus-novae*, *Murùssae*, *Taverrae*, *Octavae*, *Eristolae*, *Nonnòis*, arx et oppidum *Curchense*, Monasterium Ardi, et insignis Abbatia S. Michaelis de Plano Ordinis Vallisumbrosae, olim ab Eugenio IV. Turritanae, deinde Emporiensi Ecclesiae unita, nunc sanctae Inquisitionis Officio donata. Interius in agro Sassarensi interiere duo oppida, *Sirchis*, ubi est Monasterium S. Petri; et *Quiterònis*, ubi periit monasterium Sanctae Juliae, in quo Theodora Abbatissa claruit. Post Fluminariam est.

Ag. Sarradi V. Fara all'anno 1434.



Nurra, regio maritima, quae usque ad fines Algariensis agri excurrit, et ad boream et Occidentem mari terminatur, solum habens inaquosum cum paucis puteis, stagnis, et lacunis; herbidum tamen, et pascuis satis idoneum, multisque taurorum armentis, ovium et caprarum gregibus frequentatum, glandiferis sylvis, et venatione aprorum, cervorum, damarum, et mùsmonum nobile, nec non et salinis, in quibus effusum mare aestivis solibus totum abiit in salem. Est populo deserta, et jacent excisa, Tilium urbs antiqua a Ptolomaeo, et Nure ab Antonino Pio memorata cum aliis duodecim oppidis; *Issi*, *Longi*, *Ussi*, *Biòris*, *Sojànae*, *Occòae*, *Gilitis*, *Vialossi*, *Esquilis*, *Duonuràgis*, *Nurchis*, *et Bàracis* telluris hiatu et aquarum inundatione absorptae; Castrum-Essolae et Castrum-Pisanum in edito et ascensu difficili monte conditum, naturaque ipsa munitum, in quo purus erumpit fons. Hinc introgredienti se offert.

Essa, Longo-Essa, e Issi Fara all'an. 1357



Coros Curatoria, quae regio, inter Sassarensem Algariensem et Bosanensem agrum protensa, sativos habet et feraces colles, valleculasque pingues, et pascuis prata idonea, in quibus, et fontes plurimi ex vivo saxo erumpunt, et excurrunt flumina

anguillis et trutis affluentia, Màscaris, Petralbae, et Uris. Supersunt oppida *Ulmeti*, *Uris*, *Itiris*, *Ossis*, et *Ussinis* VI. M. P. a Sassari distantis: at jacet solo prostrata urbs Gurulis-vetus a Ptolomaeo dicta, et sexdecim oppida, *Coros*; seu *Corax dicti*, *Canneti*, *Manstòles*, *Vindiguinòris*, *Noàlis*, *Sartis*, *Tissis*, *Bangii*, *Palùdis*, *Turtànae*, *Lodàis*, *Oltazoris*, *Turrìguis*, *Liessis*, *Noracis-Longi*, et *Junchi* cum praeclara Abbatia S. Mariae de Paludibus Ordinis Cisterciensium, quae ab Eugenio IV. Ecclesiae Turritanae unita fuit anno 1452.

Fara agg. Mauritij an. 1357.

† avrebbe dovuto dire seu Coraxij, unde populi Coracensii qui hanc regionem incoluisse dicuntur N. B. Giorgetti appellazione a Figulina, e Briai a Coros.

De Civitate, et Dioecesi Plovacae.

Post Turritanam Dioecesim sequitur interius Plovacensis, cui Plovaca, civitas mediterranea XII. M. P. a Sassari distans, nomen dedit; quae licet parva sit, et moenibus destituta, tamen fuit episcopali sede, et templo maximo S. Petri decorata, in quos. Hilari caput, et aliud cujusdam unius ex XII. M. Virginibus cum spina Dominicae-Coronae, multisque sanctorum reliquiis asservantur.

Anno 1502. ab Alexandro VI. Ecclesiae Turritanae fuit unita: nam parvos habebat reditus, parvamque Dioecesin, unica tantum contentam regione, quae dicebatur

Figulina; in qua extant oppida *Gargièghes*, *Muri*, et *Codrongiàni*, ubi est insignis ecclesia S. Pauli, olim prioratus ordinis Camaldulensium; et praeterea oppida *Florinae*, *Bedae*, et *Salvennori*, ubi est antiquae structurae templum a Mariano Judice conditum, et Divo Michaeli sacrum, Abbatia Vallis-umbrosae intervallo tantum II. M. P. a Plovaca distans, nunc a Monachis deserta, et semiruta. Interiere oppida *Figulinae*†, *Noagrae*, *Musellàni*, *Senae*, *Briàis*, *Biguegnae*, *Sebòdes*, *Dulnòsae*, et *Saccàrgiae*, ubi templum SS. Trinitatis anno 1116. a Judice Constantino quadratis lapidibus albis et nigris fuit conditum, cum insigni Abbatia Ordinis Camaldulensium, quae etiam nunc deserta, et deformata jacet. Hujus regionis solum, transgresso Campo Melae, collinum est et montanum, tritico et pecore abundans, venatione etiam insigne, et pluribus irriguum fluviis.

Salvennero restò totalmente spopolato nel 1755 dice il cosm... rettor di Ploaghe, ed esser morto l'ultimo Salvennorese a Ploaghe l'anno 1827. In quell'anno fu trasferita a Ploaghe la pisside e tutti gli altri arredi parrocchiali.

† cum castro sui nominis posito in jugo proximi collis



De Civitate, et Dioecesi Sorrae.

Sorrensis Dioecesis post Plovacensem ad Austrum proficiscenti se offert; cui nomen indidit Sorra, civitas antiqua in planitie montis Sorrani XXV. M. P. a Sassari, condita, et ab Aragonensibus insigni propugnaculo, teste Zurita, munita. Haec episcopali titulo decorata unitam habuit ab Eugenio VI. ecclesiam Bosanensem; frustra tamen, atque absque effectu. Nam ingruentibus bellis, civitas ipsa, et propugnaculum, adeo interiere, ut nihil aliud jam supersit, nisi templum Cathedrale D. Petro dicatum, magnis et quadratis lapidibus albis et nigris venuste compactum, columnis fultum, et testudinatum. Quare anno 1502. fuit ab Alexandro VI. Ecclesiae Turritanensi haec Dioecesis unita. In qua prima post Plovacensem agrum occurrit

Meilocus, vetus Curatoria, montibus aspera, sed pabulo, frugum ubertate, et aquarum copia, nobilis, in qua excelsus *Mons-sanctus* exsurgit, ad cujus radices est oppidum *Villaenovae*, in vertice sacella duo S. Eliae, et S. Henoch dicata, et plura monumenta antiqui Castelli. Consurgit et mons *Pelaus* ad jactum sagittae, in cujus pendice, hinc sedent oppida *Silighi* et *Bànnaris*, inde *Bunnànnarum*, *Toralba* et *Burùta*, ubi est ingens et horridum specus, et ad altam rupem, fontemque ex eadem scaturientem, sacellum S. Antonii de Taylo. Inde ad laevam est

Oppiae regio, Meilòci etiam nomine appellata, *Malis* flumine irrigua, et terrae fecunditatae non infelix. Habet oppida *Mores*, *Laquèsos*, *Todoràquis*, et Ardarae (quae Bisarchiensis est Dioecesis). Cetera quae fuere, *Salis*, *Cajòla*, *Corcètum*, *Bìtiris*, *Càstilis*, et *Nièllus*, omnino interiere; et cum iis insigne Castrum Capulae, cujus saepe meminit Zurita, in vertice Montis-Pelai prostratum jacet. Huic est contermina

Costavallis regio, pascuo et sativo, solo venatuque nobilis, ubi sunt oppida *Tèrchiddi*, *Rebecchi*, *Semèstenes*, et *Bonorvae* cum oppido de *Frio* destructo, et Ecclesia S. Nicolai de Trullo, olim prioratu Ordinis Camaldulensium Saccargiensi Abbatiae unito. Et sequitur

Capitis-Aquarum regio, aliquantulum montuosa, frugifera tamen et limpidis fontibus uberrima, ex quibus tria flumina, et

nomen Capitis-aquarum, originem duxere. Est in ea *Jave* oppidum, et Campus Javensis, noracibus multis spectaculum viatoribus praebens, *Cossaynes*, *Thièsis*, *Bessùdes*, et *Kèlemules*. Solo jacent prostrata *Sustàna, Mògoris*, *Ibilis*, *et Nùrighes* olim aedibus S. Petri, in antiquis codicibus memoratis, insigne, et CASTRUM MONTIS-JAVAE a Nicolao Auria conditum.

De Emporiae, et Castri Aragonensis Urbe, et Dioecesi.

Emporiensis Dioecesis, Plovacensi et Turritanae contermina, Aquilonem versus et in regione ANGLONAE sita, nomen habuit ab EMPORIAE antiqua urbe, quae in planitie juxta piscosum flumen adeo excisa jacet, ut nihil memorabile cernatur, nisi templum priscae structurae Divo Petro dicatum, in quo erat posita cathedra Episcopalis. Interierunt in eadem regione oppida *Bangii*, *Montis-furcati*, *Murtèti*, *Odàtelis, Ostiae-de-montibus*, *Baptànae, Orriae-magnae, Orriae-parvae* cum CASTRO BULCIS, cujus tamen oppidulum restat, sicut et alia septem, quae sunt *Nulvis*, *Claramòntis*, *Martis*, *Lahirri*, *Sèdinis*, *Insàris*, *Persìgae*, et *Speluncae*, quae agrum habet campestrem et collinum natura feracem, et pascuis satis idoneum, in quo est insignis mons *Sassus*, et flumina multis anguillis et trutis ubera. Ex praefata Emporiensi Ecclesia fuit anno 1502. ab Alexandro VI. sedes translata ad conterminae regionis maritimae Ecclesiam S. Antonii, prioratum Ordinis S. Benedicti, Castri, Genuensis olim ab Auriensium familia (quae anno ferme 1102., ut hispani referunt auctores, illud condidit) et Aragonensis postea dicti ab Aragonensibus, qui anno 1448, devictis Nicolao Auria et Genuensibus, illud dominati sunt. Est urbs CASTRI ARAGONENSIS parva, et populo infrequens, in edito promontorio ad Aquilonem ex parte, qua fluctibus pulsatur, proclivio sita, undique celsis rupibus moenibus et turribus munita, unam tantum habens portam cum propugnaculo, et arce editissima ad meridiem, in montis cacumine constructa, quae militum praesidio, et insigni duce perpetuo custoditur, in qua

extat cisterna: nam terra aquarum est inops, easque extra muros satis incommode cives, hauriunt. Est etiam in ea urbe Monasterium Franciscanorum Conventualium, et Sodalitium *Gonfallonis*. Urbs ipsa perfruitur optima coeli temperie, et mari pisculentissimo, portumque habet cum parva turre, et solum a finibus Cocinae ad Romandiae terminos partim montuosum et pascuosum, partim collinum et planum, totumque frumentarium, ubi synapis erraticus abunde provenit, et tria excurrunt flumina. Interiit in agro suo urbs antiqua *Frisàni*, cujus vestigia et monumenta non spernenda hucusque non procul a Castro Aragonensi cernuntur, et jacet excisum oppidum *Cèrici* cum insigni Abbatia Ordinis s. Benedicti, uno incolumi templo, quod frequentia hominum sanctissime cultum, egregiaque fabrica olim a Mariano, Judicis Turritani fratre, quadratis lapidibus constructum, et B. Mariae sacrum, postea a Judicis filio Constantino, et Gonnario ejus nepote, magnifice decoratum, inque ampliorem formam redactum; tandem ab Eugenio IV. anno 1445. dictae Ecclesiae Emporiensi fuit unitum. Post eam regionem sequitur

Cocinae regio maritima, effusissimam habens, planitiem pecuariam, frumentariam, Thermoque flumine multorum fluviorum capace foecundatam, in cujus ostio prostrata jacet urbs prisca Juliola a Ptolomaeo memorata nullum antiquitatis retinens monumentum, nullumque urbis vestigium, praeter aedem prisca fabrica constructam, et Divo Petro dicatam. Ceciderunt etiam oppida antiqua *Villalbae* et *Cocìnae*, quae nomen regioni reliquit cum Castro Auriae, turre quinquangula super edito colle, ubi maxime capax cisterna cernitur, domusque destructa, ad hujus radices aquae calidae in flumen ebulliunt. Sequitur deinde Civitatensis, Dioecesis, Emporiensi unita, quam continet Judicatus Gallurae, in cujus descriptione postea de ea dicemus.

De Algàriae, et Ottanae Civitate, et Dioecesi.

Algariae insignis civitas fuit olim oppidulum in regione Dioecesis Turritanae, agro Nurrensi cohaerente, et ab Auriensibus, ut hispani referunt auctores, anno 1102. ad littus ma-

ris inter arenam et scopulos conditum, ubi affluebat alga, ex qua nomen mutuavit. Aevi progressu fuit moenibus cinctum, et duabus portis, quibus mari terraque patet introitus, ornatum, Genuensiumque praesidio satis munitum: sed anno 1354. a Rege Petro expugnabatur, et, expulsis Algariensibus omnibus, Tarraconensium, seu Cathalanorum colonia ad illud deduta, sede Ottanensi ab Alexandro VI. translata, anno postea 1514. Johanne de Loysa Episcopo creato, fuit civitatis nomine insignitum. Atque haec civitas licet parva sit, saevaque peste fuerit afflicta, tamen domibus et aedificiis pulchris est ornata, habet senaculum, et templum maximum, quod, vetere destructo, magnifica nunc construitur fabrica; templum S. Michaëlis ad Collegium PP. Societatis Jesu; templum S. Francisci cum insigni monasterio Franciscanorum Conventualium; templum S. Mariae Pietatis, et Monasterium Franciscanorum de Observantia extra muros; et Sacellum sodalitio, vulgo Confraternitati, Orationis dicto. Habet cisternas, puteosque plures aquam largiter propinantes, et propugnaculis, tormentisque aeneis nunc a Rege Philippo munitissima est reddita. Illius sinus, et *Comitis portus* magnae classis est capax. Mare et stagnum est pisculentum; ager tribus fluviis irriguus, vini, tritici, et olei ferax, pascuis idoneus, et venatione insignis, in quo bolus armenius et ochra foditur, gypsum et cos aquaria exciditur. Quae erant in hoc agro, oppida *Vessi*, *Lunàfras*, *Ecis*, *S. Marci*, cum Monasterio B. Mariae, Prioratu Ordinis S. Benedicti, Juris-patronatu nobilium stirpis Auriae, omnino interiere. Dioecesim habet mediterraneam Sorrensi conterminam, Ottanensem appellatam ab *Ottana* civitate non procul a Thyrso, quam hostium incursiones populationesque adeo deformarunt, ut nihil supersit memorabile, nisi templum S. Nicolao dicatum, ubi erat sedes episcopalis ad Algariensem Ecclesiam Alexandri VI., et Julii III., diplomatibus translata. Continetur in hac Dioecesi

Incontrata Macumelis Costavalli haerens, frugifera, et pecorosa, per quam Macnomeni montes protenduntur, glandiferis sylvis, et aliorum sylvestrium arborum nemoribus ad domorum tigna et navium fabricam opportunis, vestiti; flumina decurrunt mitylis, anguillis et trutis ubera, et extat oppidum Macumelis.

Curatoria di Nolauro ricordata dallo Zurita e notata nella carta di fondazione del monistero torritano de' monaci di Chiaravalle (an. 1205) a' quali si dava la villa di Obneto (meglio credo Alneto) V. Marténe Thesaurus novus anecdotorum t. 1. Parisiis pag. 800.

Ibi Castrum Macumelis dictum jamdiu interiit, et Castro proximus videtur porticus templi parochialis tribus fultus lapidibus, quibus viae publicae milljaria erant a Romanis in Sardinia descripta, in quorum primo haec leguntur inscripta :

....I. A. LVI. TVRRE
IMP. CAESAR . VESPASIANVS . AVG.
PONTIFEX . MAXIMVS . TRIB.
POT. V. IMP. XIII. P.P. COS. V.
DESIG. VI. CENSOR . REFECIT
ET . RESTITVIT . CVRANTE
SVBRIO . DEXTRO . PROC. ET.
PRAET. . SARDINIAE.

Similes sunt aliarum inscriptiones, quas brevitati consulens omitto. Extant et oppida Molariae, *Bìroris*, *Borticàlis*, *Silàni*, *Lèys*, *Bòroris*, *Dualchis*, *Nuracùcumis*, et *Bolòthanae*, ubi templum est ab Anna Fara conditum, et s. Bacchidis cultui sacratum, miraculis et sardorum frequentia clarum. Hinc sequitur

Gociani regio, Comitatus titulo a Petro Aragoniae Rege anno 1338, teste Zurita, decorata, quae in Maenomenis montibus ejusdem naturae, ac regio Macumelensis, solum habet; et convallem amplissimam, et frugiferum campum, comprehendit, per quem duo excurrunt pisculenta flumina. Sedent in pendice orientali montium Castrum Gociani, a Gonnario Judice Turritano conditum, loci natura, magis quam arte munitum, ejusque suburbium, et oppida *Illoràis*, *Sporlati*, *Bòttiddae*, *et Bortiòcoris;* Nam cetera sunt Dioecesis Castrensis. Gocianum contingit

Doris curatoria, quae continet regionem Orànis. Haec pingues et amoenas valles, campos frugiferos, et fluvios irriguos, collesque vitibus et arboribus aptos habet; et armentis gregibusque abundat. Extant in ea *Ottànae* civitas memorata, et oppida *Orotèllis*, *Sarùlis*, *Univèris*, et *Orànis-magni* siti ad radices Gonnaris, excelsi montis in tria cacumina elati, e quibus utrumque, sardoum et tyrrhenum fretum conspicitur ab

iis, qui templum B. Mariae in eo conditum frequentant. Dori est contermina

Nugori regio, montibus et valleculis frugiferis aspera, vitibus et oleis sylvestribus commoda, ex quibus oleum exprimitur copiosum. In qua fluvius excurrit argenteas volvens arenas; et extant oppida *Nùgori*, *Lolòves*, et *Orgòsoli*, quae finem huic Dioecesi ponunt. Nam *Lolòves* Galtellinae est Dioecesis, licet sit hujus regionis.

De Castrae Civitate et Dioecesi.

Castrensis Dioecesis mediterranea, Ottanensi proxima, nomen sumpsit ab urbe Castra, quae in regione Montis-acuti solo prostrata, jacet retinens tantum priscae habitationis et domus episcopalis vestigia, nec non antiquae structurae templum a Judice Mariano conditum D. Mariae dicatum, ubi episcopalis est sedes ab Alexandro VI. an. 1502. Ecclesiae Ottanensi, seu Algarien. unita: cujus Dioecesis incipit a regione, quae dicitur

Anelae curatoria, quae fuit pars dicti Comitatus Gociàni, in qua est excelsus *Mons-Rasus* cum monasterio Franciscanorum in eo conditum, aliique Maenomeni montes, sylvis glandiferis vestiti, venationeque aprorum et aliorum sylvestrium animalium insignes. Ad quorum pendicem, orientem contra, sedent oppida *Booni*, *Anelae* et *Bultèis*; sed in planitie sub excelsa rupe occidentem respicit oppidum *Benetuttis*, in cujus agro interiit oppidum *Bulterìnae*, et innumeri aquarum calidarum fontes scatent, ad valetudinem simul et voluptatem satis idoneàrum, duoque flumina excurrunt, multum laudata trutis et anguillis. A laeva parte vallis; oppidum etiam sedet *Orunis* in monte, magna copia probatissimi casei dives, qui finem huic regioni imponit. Huic adjacet regio

Montis-acuti, *Superioris* dicti a montibus hiberna nive candidis, quae culturae parum, at pabulis satis idonea, duo habet flumina, et octo oppida *Nulae*, *Osillae*, *Pattàde*, *Bantìnae*, *Bidùcarae*, *Buddusònis*, *Alahae*, et *Montis*, in cujus agro est Ecclesia S. Pauli prioratus ordinis . . . . In hac regione interiere duae Abbatiae Aquae-formosae, et S. Mariae de

Nel tempo di Leonora la contrada di montacuto avea, Oscieri, Nughedu, Bitiffe, Gentiana, Ospie, Nule, Biti, Soreta, Dure, Anand, Ilana, Gueizle, Sira domestica, Osseri, Berchidda, Balanune, Lifani, Ura, Olefa.

Ardarello Cisterciensis Ordinis; nec non oppida *Narvàrae*, et *Usulifèni* cum Castris Orgueris et Olofaae, quorum ruinae adhuc cernuntur. Huic proxima est regio

Prati olbiani

Montis Acuti *~~Partis-Ogiani~~*, montuosa, et pabulis magis, quam culturae, apta, in qua flumen inter duo oppida *Berchillae* et *Oskeris* excurrit, jacetque excisum *Octi* oppidum, et Castrum Cucati, cum Castro Montis-acuti, quod nomen regioni dedit; et urbs memorata Castrae, unde Dioecesis appellata.

De Bisarchii Civitate et Dioecesi.

Bisarchiensis, seu Gisarclensis, parva Dioecesis mediterranea, statim post Castrensem se offert, nomen a Bisarchio sumens; quae civitas in regione Anglonis destructa cum paucis casis cernitur, nulla antiquorum aedificiorum majestate servata, praeter templum testudinatum, et prisco artificio ex quadratis lapidibus a Torchitorio Judice turritano constructum, columnis fultum, et Divo Antiocho dicatum, in quo sedes erat episcopalis. Haec Dioecesis anno 1444. habuit ab Eugenio IV unitam Ecclesiam S. Nicolai de Bùtule, prioratum Ordinis . . . . postea anno 1502. fuit ab Alexandro VI. Dioecesi Algariensi adjuncta.

Habet dextrorsum in regione Oppiae propinquum oppidum Ardarae, in quo saepe Judices Logudori residebant, et Georgia, Comìtae Judicis Turritani soror, ex quadratis lapidibus albis, nigrisque insigne condidit templum B. Mariae *Regni* sacrum, tribus fornicibus multisque columnis fultum, et munitissimam arcem, Castrum Ardarae, amplissimis aedibus, nunc ruina deformatis, memoria tamen Aragonensium claris. Subinde occurrit regio

Montis-acuti *Inferioris*, quae si a loci conditione sic appellanda sit; attamen terrae foecunditate et amoenitate aliis longe est superior, habetque pecuarius grandes, et armentosissimum campum Othieris, fontes, et flumina multa trutis et anguillis ubera. In hac Luguidonesii a Ptolomaeo memorati consederant; et nunc extant oppida *Othièris*, *Bidufèni*, *Tulae*, *Nucèti*, *Butules*, et *Itiris:* interierunt *Orvèis*, et . . . . ubi turris

parva, et sacellum D. Mariae sacrum in hunc usque diem cernitur. Sed ad oram maritimam revertamur.

De Bosa Urbe, ejusque Dioecesi.

Post Algariensem regionem sequitur Bosana maritima Dioecesis, in qua Bosa urbs pervetusta Ptolomaeo, Plinio, et Antonino Pio memorata, juxta Themum fluvium II. M. P. procul a mari interiit, nihil antiquitatis retinens praeter quaedam aedificiorum vestigia rudia, inelegantia, et coacervata, templumque integrum, veteri forma testudinatum, quadratis lapidibus a Constantino Episcopo constructum, ut ex lapide patet haec referente

EGO . CONSTANTINVS . DE CASTRA
EPS. . P. . AMORE . DEI . AD . HONOREM . STI.
PETRI . HANC . ECCLAM . AEDIFICARE . FECI
. . . . CIƆLXIII.

Veteri hac destructa urbe fuit a Marchionibus Malaspinae anno circiter 1121. nova constructa Bosa, mari vicinior, ad fluvii dexteram oram, et montis radicem, qua meridiem spectat, moeniisque cincta, Serravallis arce in vertice ipsius montis turribus et duplici murorum corona munita, in qua duae sunt portae, una, qua in urbem, altera, qua in agrum ad orientem patet egressus. Sunt aliae tres urbis portae S. Johannis ad Septentriones, S. Justae ad orientem, et Pontis ad occidentem, ubi Themus fluvius urbem alluit, et insanam aestivo tempore, consurgentibus crassis vaporibus, reddit. Ejus praecipua aedificia sunt Domus-regia, et episcopalis, templum maximum cathedrale B. Mariae dicatum; templum D. Antonii, monasterium Carmelitarum extra muros; templum B. Mariae Magdalenae, S. Crucis sacellum, et sodalitium *Confallonis*. At templum S. Mariae Garavettae, ubi erat antiqua Abbatia ordinis . . . jacet solo prostratum. Sunt praeter haec alia et multa sacella, quae non juvat enumerare. Ad portas autem, quas dicunt S.

12

Johannis et s. Justae sunt publici fontes puteales, unde populus haurit aquas: nam intra moenia nullae sunt dulces, puteis salsam manantibus aquam. Solum habet Bosa foecundum vini, olei, tritici et cujusque generis arborum et fructuum feracissimum, inter quos ficus sunt probatissimae; praeterea agros sativos, camposque pascuis laetos, et sylvas glandiferas in montium convallibus ad alendos porcos satis idoneas. Portum olim habebat in Themi ostio; sed ejus aditus lapidum mole a Bosanis anno 1528, metu Francorum classis, praeclusus, nunc appulsum navium et triremium prohibet. Nihilominus insula parva cum turre munita, contra jacens, tutam stationem adnavigantibus praebet. Fit in hoc mari piscium et coraliorum plurima captura.

Ipsius Dioecesis amplissima est, incipiens a finibus Dioecesis Algariensis, unde exsurgunt montes excelsi, qui ad promontorium Marrargium, a Ptolomaeo HERMAEUM dictum, non procul a mari continenter concurrunt. Prior se offert regio

MONTIS-LEONIS, quae licet montibus aliquantulum sit aspera; frumenti tamen vini et pecoris exuberans est, et duobus fluviis abluitur, Comitatusque titulo a Petro Aragoniae et Sardiniae rege, anno 1383, decorabatur. In qua nunc extat CASTRUM MONTIS-LEONIS in vertice montis ardui excelsi et praerupti, ubi solum est planum, et fons perennis; quod castrum licet unico ad meridiem et difficili ascensu tutum esset, et paucissimi presidii indigum; nihilominus longam post obsidionem fuit deditione captum anno 1431. ruinisque deformatum. Extant et oppida *Villae-novae* a piratis, anno 1582, direptae, *Romànae*, *Putei majoris*, *Marae*, et *Pàtriae,* quae in latere trium montium sedet tot antiquis ornata monumentis, et subterraneis cryptis magnificis, ut opinari liceat urbem antiquam MACOPSISAM, a Ptolomaeo memoratam, ibi interiisse, prout excisum jacet CASTRUM BONVICINI cum suo suburbio, et oppidum *Paulis,* ubi templum est S. Laurentii, in antiquis codicibus memoratum, et aedes prioratus S. Eustachii ordinis . . . oppidumque *Minutàdes*, ubi est insigne templum S. Michaelis *de Furrighesos* in eisdem codicibus memoratum, et cetera oppida *Massadae*, *Montis-Curtèi*, *S. Victoriae, Mocitani*, et *Minervae* ad pedem excelsi montis ejusdem nominis sitae,

quorum ruinae, adhuc visuntur. Hinc transgresso Prati-magni fluvio, se offert effusa planities Bosae.

Planaria, regio culturae admodum et pascuis idonea, duobusque fluviis irrigata, ubi nunc extant oppida *Sindìae* et *Sàgamae* antiqua et veneranda Arcangeli Gabrielis imagine nobilitatae, et oppida *Tinnùrae*, *Sunis*, *Mòduli*, *Magomàdas*, et *Triumnoracium*. Bosae magis propinqua, huic contermina est

Montis-ferri regio, quae fontibus, et fluviis insignem ad mare planitiem habet, intus vero Maenomenos montes densissimis sylvis confertos, et pabulum uberrimum pecoribus suppeditantes vallesque frumentarias, et colles laudatissimum vinum ferentes: in qua Cornensii populi, a Ptolomaeo etiam *Aequilesii* dicti, consederunt, et extat Castrum Montis-ferri in edito colle ab Ittocaro, Judicis Barisonis fratre, conditum, arte et natura satis munitum, atque oppida *Cùralis*, *Sinnarìoli*, *Scani*, et *S. Luxurii*. Interiit autem antiqua urbs Corni a Ptolomaeo, Livio, et Antonino Pio, memorata, et oppida *Picinùris*, et *S. Leonardi* cum templo, ad quod erat prioratus Ordinis militum S. Johannis Hierosolymitani. Quibus sit finis Turritanae provinciae.

De Arborea, Oristanique Urbe, et Dioecesi.

Transactis Maenomenis montibus post Bosanensem Dioecesim sequitur secunda Sardiniae pars Arborea dicta, quae *Judicatus* titulo fuit a Pisanis, anno 1050, decorata; deinde Regni nomen a Friderico Barbarossa, anno 1164, est consecuta: hisque obliteratis titulis, anno 1370, *Comitatus* a Petro Rege; et anno 1410, *Marchionatus* Oristani coepit a Martino Rege Aragoniae nuncupari, ut refert Zurita; quo titulo Reges Aragoniae ab anno 1480, usi sunt. Sedet haec insulae pars inter Turritanam, et Caralitanam, in plaga occidentali, qua mari sardoo alluitur, quatuor constans jurisdictionibus ecclesiasticis, quas graeci Dioeceses appellant, Arborensi, S. Justae, Usellensi, et Terralbensi.

In Arborensi fuit urbs antiqua Tharrae a Ptolomaeo memorata in promontorio S. Marci sita, quod longissime in mare

excurrens cum alio promontorio Fraschae dicto amplissimum Oristanensem sinum, cujusvis magnae classis capacissimum, efficit, et amplectitur. Haec urbs nunc prostrata jacet, vepribus et sylvis adeo obsita, ut in ea nihil pulcrum integrumque cerni possit, nisi fons perennis, dulces exhibens aquas, et priscae structurae templum testudinatum, D. Johanni sacrum, metropolitana sedes Episcopi Tharrensis et Arborensis, quae in Oristani urbem est translata, anno circiter 1070, quo Orzoccus De-Zori, Arborensis Judex, cum toto fere populo in eam commigravit.

Urbs Oristani, vel ut habent vetusta monumenta, *Aristanis*, juxta flumen Thyrsi in solo campestri posita IV. M. P. a mari, X. M. a capite S. Marci, et cincta moenibus et turribus a Mariano Judice Arborensi, duas dumtaxat habet portas, unam Pontis dictam, quae ad Circium versus anno 1291. ab ipso Mariano fuit condita; alteram, quae Porta-maris nuncupatur, contra meridiem, et S. Justam, anno 1293, fuit ab eodem, ut ex illarum inscriptionibus constat, fabricata. Atque ibi adhuc superest arx insignis Castrum Oristagni vulgo dicta, domusque amplissima Marchionis, quae licet aliquantulum ruinosa sit, majori tamen parte integra, et affabre elaborata cernitur. Inter alia aedificia memorabo templum maximum, B. Mariae sacrum, quadrato lapide insignique structura a Torgotorio Archiepiscopo et Mariano Judice Arborensi anno 1228 constructum, ubi sedes est Archiepiscopalis, et antiqua, piaque B. M. Virginis Annunciatae imago populorum frequentia sanctissime culta; sacellum Salvatoris, prioratus . . . . de Jure patronatus marchionum; templum S. Nicolai, Abbatia ordinis . . . . extra Portam maris; templum S. Francisci, monasterium Franciscanorum Conventualium, ubi est sanctissima Crucifixi imago miraculorum fama et populorum confluxu celeberrima, quae a S. Nicodemo, ut fertur, ad vivum fuit expressa, et caput S. Basilii Magni, auro argentoque clausum, graecam habens in theca inscriptionem; templum S. M. Magdalenae, monasterium Franciscanorum de observantia extra muros; templum S. Clarae, monasterium monialium ordinis S. Benedicti; templum S. Antonii, prioratus, et hospitale infirmorum; templum S. Vincentii, prioratus Ordinis . . . .

templum S. Lazari, prioratus Ordinis . . . . extra muros; aliaque sacella, domum Archiepiscopalem, Senatoriam, carceres, et forum olitorium et piscarium, tabernam mercium exterarum, fontes duos puteales *Carri*, et *Pubàtae*, aquam largiter propinantes. Civitas est aliquantulum angusta, et propterea quinque illi haerent suburbiola, *S. Lazari*, *Noni*, *Magdalenae*, *Ponticuli*, et *Figulorum*, ubi fiunt opera figulina. Ager pinguissimus et frugifer est, at passim paludosus, et frequens stagnis. Ex quibus ad meridiem est stagnum S. Justae, Paludis-majoris, Paludis-fici, et Saxi; ad septentrionem stagnum Maris-pontis, Mistrae, et Maritermae, in quorum aquis cycnorum multitudo frequentare solet, et fit infinita piscium et anguillarum captura. Hinc vero aër crassior et concretior aestivis solibus redditur, teterque odor gignitur delicatis peregre proficiscentibus saepe lethalis, et accolis ipsis aliquando perniciosus. Quare urbs ipsa parum est populosa; habet tamen maritimam dioecesim amplissimam, novem continens regiones, quarum prima est

Campitanus *de Milis*, regio campestris, S. Marci De-Sinis etiam dicta, quae a finibus Dioecesis Bosanensis usque ad ostium stagni Maris-pontis occidentalibus fluctibus abluitur, et inter Moenomenos montes, et flumen Tramatiae, usque ad fines regionis Montis-ferri protenditur, frugifera, et pascuis satis idonea, ingentique sylva malorum aureorum citrorum et limonum etiam sponte nascentium nobilitata, florumque odore suffusa. In qua interiit urbs antiqua *Tharrae* a Ptolomaeo, *Thyrae* in S. Ephysi historia, et aliis antiquissimis monumentis dicta, extantque septem oppida *Tramatiae*, *Vadi-làti*, *S. Hièri*, *Nurapoliae*, *Sèneghes*, *Milis*, dicta malorum aureorum sylva insignis, et *Bonàrcadi*, ubi est prioratus S. Zenonis, Ordinis . . . . Inde meridiem versus sequitur alia maritima regio

Campitani-majoris dicta, quae insigni planitie usque ad piscosum flumen Thyrsi effunditur, foecunda, et frumenti feracissima, arboribusque domesticis, et vineis vestita, in qua sunt oppida *Celleiàni*, *Baràtilis*, *Riòlae*, *Noràcis*, *Caprae*, ubi antiqua cernitur Arx Maris-pontis aquis olim cincta, *Nuraecaprae*, *Donnigallae*, *Solànae*, *Fenughèdae*, *Noràcis-nigri*, *Massàmae*, *Siae-majoris*, *Villae-longae*, *Solorussae*,

et *Cerfallìni*, ubi Thyrsus fluvius optimas dat auratas. Huic contermina regio est

Campitani-Simagis, quae a litore maris inter duo piscosa flumina Thyrsi, et S. Justae, effunditur, tota plana, pascuis magis, quam culturae idonea. Extant in ea urbes Oristagni, et *S. Justae*, de qua, ejusque Dioecesi, suo loco dicemus, et octo oppida *Palmae*, *Siae-~~majoris~~* magnae, *Siae-~~minoris~~* parvae, *Villae-urbanae*, *S. Hièri*, *Oleàstri*, *Silìni*, et *Simàgis*, S. Coelii Symmachi patriae: interiit urbs *Hiadis*, et oppidum *Congii*; cujus agro haeret regio

Pars-Baricati, regio, mediterranea, quae montibus sativis et pascuis aspera, frumenti, vini et pecoris est exuberans, fluviosque habet, piscatione auratarum, salarum, et anguillarum insignes. In ea sunt oppida *Villae-novae-Truschelli*, Fori-Trajani, quae fuit urbs antiqua, et nunc jacet prostrata juxta fluvium, multis antiquis semidirutis aedificiis tum publicis tum privatis ornata, thermis in primis, tota Sardinia celeberrimis, ad sudandum, et varios morbos depellendum efficacibus, ponte maximo toto lapideo, aquaeductu sumptuosae structurae, viaque lata maximis lapidibus strata, et antiquae structurae aedibus, D. Luxorio sacris, in loco, ubi pro Christi nomine fuit decollatus, et hujusmodi inscriptio cernitur

Leni, villaggio antico e Bangius dove era la giudicale proprietà da M. Valverde prossimo era Congii i primi due ...



✠ HIC . EFFVSVS . EST . SANGV . .
BEATISSIMI . MARTYRIS
LVXVRII . CELEBRATVR
NATALE . EIVS . XIIKS ✠
✠ RENOBATVS . TEMPORIBVS
HELIA EPCP.

Sunt etiam in hac regione oppida *Allais Ullae*, *Bidonìni*, *Nucèti*, *Ardaùlis*, quod cerasis abundat, et *Busachis*, monasterio Fratrum Dominicanorum, et Collegio Patrum Soc. J. insignis; *Neonèlis* autem, et *Serratilis*, sunt Dioecesis S. Justae, licet sint ejusdem regionis. Cui proxima est regio

Austis in amoenissima et pinguissima convalle, pascuisque montibus conclusa, in qua duo currunt flumina, et tria extant



oppida *Thetis*, *Thìanae*, et *Aùstis* parum inter se distantia. Inde occurrit

Barbaria *Mandrelisàis* appellata, regio montuosa, fluvio Màssaris, alioque innominato irrigua, quae septem habet oppida *Dèsuli*, *Tonàrae*, *Sòrgoni*, *Spasulèni*, *Atzàrae*, *Ortuèris*, et *Sanmughèi*. Interius orientem versus est

Barbaria *Belvini* solum habens asperrimum, et maximis tumescens montibus, qui castaneis et juglandibus sunt referti; ubi flumen Dosa defluit cum alio flumine. In qua extant oppida *Meànae*, *Gadònis*, *Aritzi* et *Belvini*. Inde meridiem versus est

Componevasi prima di otto villaggi, cioè i detti, e i distrutti Nanixeddu; Nurasi de cixinay, Delimas, Celisei. Item di questi ultimi furono usurpati dagli Arzanesi, donde ritraevano 3, o 4 mila scudi. Così in una rappresentanza del sindaco dell'Incontrada nel parlamento di Montellano

Pars-Valentiae solum habens amoenum inter montes Jarae, et Asunis, vini, tritici et pecoris exuberans, multisque irrigua aquis; in qua Valentini populi, a Ptolomaeo memorati, consederunt, interiit *Tinades* oppidum, et extat *Làconis* cum oppidis *Isilis*, *Nuràllae*, *Nuràgi*, *Genònis*, *Nurècis*, Asunis + *Senis*, *Assòli*, *Ruìnae* et *Mogorèllae*. Et sequitur etiam

Marmilla *Arborensis*, in qua regione oppida *Gèsturis*, *Barùminis*, et *Villaenovae-franchae* huic Dioecesi finem imponunt. Quare de aliis hujus regionis oppidis, ipsiusque solo, alibi dicemus.

De S. Justae Civitate, et Dioecesi.

Secundo ab Oristano lapide antiqua *Hiadis* urbs, idolorum cultui dedita, fuit mirabiliter destructa, fluctibusque stagni absorpta, et juxta litus condita *S. Justae civitas*, cui nomen dedit S. Justa, Virgo et martyr, quae cum sanctis Virginibus, Justina, et Enedina, miraculis clara, magna sardorum frequentia colitur in templo ipsius urbis maximo, eisdem sanctis dicato, ubi sedes erat episcopalis, quae anno 1502. fuit ab Alexandro VI. Arborensi Ecclesiae unita, atque ita praesule, et populo destituta, ruinisque deformata, cernitur. Urbs ipsa absque moeniis unum tantum viculum, quem ipsius stagni piscatores inhabitant, retinet. Ejus Dioecesis interius est, et, post regionem Campitani de Milis, incipiens a regione, quae dicitur

Pars-cieris-regalis, quae plana est, et jucunda, frumenti et vini feracissima, frugiferisque arboribus foecunda, duobus

fluviis et multis irrigata fontibus, ubi Equile regium, et quatuor sunt oppida *Paludis de Làtino*, *Guilartiae*, *Aquae-sanctae*, et *Aditus-majoris*; quibus adjacet regio dicta

Pars-Cieris-Superioris, *Canalium* etiam appellata, soli bonitate, et rerum abundantia, alteri non inferior, sed piscosis fluviis nobilior. In qua extant oppida *Domus-novae*, *Norguilli*, *Solis*, *Orenae*, *Tadasùnis*, *Zuuris*, et *Sèduli*; et interius oppida *Ustèdi*, *Urùi*, *Boèles*, *Lichèris*, *Suèi*, *Nordài*, et *Guilcièris*. Inde sequitur altera fractio regionis, quae dicitur

Pars-Baricati, in qua *Serratìlis* et *Neonèlis*, hujus Dioecesis oppida, sedent, illisque succedit

Barbaria Ollolais, ubi Cornu-bovis, et alii montes extolluntur, et frondent sylvae densae, et scatent fontes insignes, ex quibus plura flumina oriuntur. Res pecuaria est in honore. In ea sunt oppida *Ollolàis*, *Olzàis*, *Gavòis*, *Mamoiàtae*, *Orcàdae*, *Lodìnae*, et *Fonnis*, in cujus agro caseus fit probatissimus. Fuit haec regio Ollolàis cum aliis Belvini, Bithis, et Mandrelisàis, Barbaria dicta, quia in illis habitarunt, ut inquit Strabo, accolae barbari, qui tales natione erant; et illarum regionum gentes sunt *Barbaricae*, ut inquit Justinianus l. 2. de off. praef. praet. Africae §. in Sardinia. Et ita Barbaracini appellantur a D. Gregorio Papa, qui eos ad fidem Christi convertit, et in paroeciam eorum loca redegit, ut in historiis dixi.

De Terralbae Civitate, et Dioecesi.

Post S. Justae agrum, ejusque stagnum et fluvium, sequitur maritima Terralbensis Dioecesis, cui dat nomen urbs *Terralbae*, in planitie non procul a stagno *Sassi* condita, quae nunc deserta, soloque prostrata, herbis, rubis, et virgultis obsita, jacet, nullam antiquorum aedificiorum majestatem retinens, praeter templum maximum quadrato lapide constructum, et D. Petro sacrum, in cujus fronte hujusmodi inscriptio legitur

Anni Dni cum mille centum quadraginta quatuor currerent Maii die decima Episcopus Marianus haec posuit limina.

Erat in ea sedes Episcopalis, quae postea anno 1502. fuit ab Alexandro VI. Ecclesiae Usellensi unita, et habet insignem Dioecesim, in qua est Abbatia *de Ramis* dicta Ordinis . . . . et regio

Pars-montium, quae dextrorsum versus mare a finibus Dioecesis Arborensis usque ad regionem Montis-regalis effusam habet planitiem, frumenti feracissimam, et pecorosam; in qua defluit Sacer fluvius a Ptolomaeo memoratus, et est insigne templum S. Petri Terralbensis, suburbium et Castrum Uras, oppidumque *Bonòrcilis* a piratis direptum depopulatumque: intus vero sinistrorsum, ubi ea desinit planities, sunt montes pascui, sativi colles, et amoenae valleculae, in quibus extant oppida *Mògori, Masùllae, Siris, Sìmalae, Gimussi, Pompi, Sercelae, Gonnos-tramatiae, Gonnos-Cotinae*, et *Morgongiòris*, unde nomen et originem sumpsit fluvius, qui eam decurrit regionem. Interiere . . . Cui succedit regio

Gonnos città della provincia di Tessaglia che dicevasi Pelasgiotide erano città principali Larissa e Gonnos nella deliziosa valle di Tempe sulla sponda sinistra del Peneo a m. romane 10 dalla sua foce. Forse i varii Gonnos della Sardegna erano da colonie di quella città e sua compagne pelasgiche.

Montis-regalis, Comitatus titulo ab Alphonso Rege anno 1429. decorata, in qua Neapolitae populi a Ptolomaeo memorati consederunt, irrigata fluviis, elata in montes, qui ulmis, pinis, et aliis sunt obsiti arboribus, praesertim versus mare, ubi olim erat Tolostrai

Judicatus Colostrais, seu Curatoria *de Arbus*: in qua nunc extant oppida *Arbus, Serri*, et *Guspinis*; interiere priscae urbes a Ptolomaeo memoratae Osaea, et Neapolis, ubi templum S. Nicolao sacrum, et alia antiqua monumenta, cernuntur; Sardopatoris fanum interiit, et insigne Castrum Herculenti destructum, desertumque jacet simul cum oppidis *Archiepiscopi* Tolostrai, *Manìssae*, et *Majoris Depont*, quorum ruinae adhuc cernuntur. Interius autem planitiem habet insignem, in qua sunt oppida *Fanàdighae, Gonnos*, et *Paviliònis* a piratis anno 1584. direpti, oppidum *S. Gavini*, in cujus agro fit crocus optimus, et stagnum est amplissimum, Aquae Neapolitanae a Ptolomaeo dictae, et *Sàrdara*, in cujus solo fontes calidi et salubres effervescunt, qui medelas contra varios morbos afferunt; verum jacet semidirutum balneum priscae structurae, et vicinum Castrum Montis-regalis in excelso et arduo monte conditum natura loci moenibus et turribus satis munitum, unum tantum habens aditum, qua Orientem respicit.

Fora agg. 1357, + Arcelenti

Nel 1577. Uras Terralba Arcidano invasi dai barbareschi, i popoli fuggiti in parte, i villaggi disabitati. Così da un teste uomo antico che dica saperlo da' suoi maggiori. Teste in un litigio dei villaggi contro certa pretesa del Barone

De Usellis Urbe, et Dioecesi

Usellis civitas, Ptolom. Tab. VII. et Onuphrio Panvinio in L. *Imp. Rom.* referentibus, fuit in Sardinia insignis Romanorum colonia, non in maritima occidua ora, ut existimat Ptolomaeus, quum nulla ibi cernantur urbis vestigia, nullumque supersit Usellis nomen; sed intus in frugifera et irrigua regione, quae est

Pars-Usellis amoenis montibus elata pascuis et sativis, ubi Usellis est cum maximis antiquitatis monumentis, et Usellensis cathedralis ecclesia, cujus sedes postea translata est ad oppidum *Ales* ejusdem regionis in ecclesiam S. Petri prisca structura insignem, quae sola cum Episcopi domo absque populo, et aliis aedificiis in loco campestri sita raro a Laicis, moleste a Canonicis, et aliis clericis longe commorantibus, frequentatur; habet tamen vicina alia ejusdem regionis oppida *Cèparae, Gonnos-nòo, Scovèdi, Curcùris, Fici, Pavi, Banàris*, et jacet in ea excisum Castrum Margunulis, cujus ruinae cernuntur; illique accedit

Marmillae (*Usellensis*) regio amoenissima, et soli foecunditate celebris, valles et colliculos planos ad dexteram, montemque *Jarae* ad sinistram habens. In qua sunt oppida *Seizi, Genùris, Sinis, Baràdilis, Barèssae, Acènis, Ussarèllae, Ussarae magnae, Turris, Siddis, Paludìs-Arbareae, Lunaemadrònae, Villae-novae-Sitzami, Forri, Sitzàmi, Marae-Arbareae*, et Castrum Platearum. *Forri* oppidum in regione Partis-montium continetur, licet sit hujus Dioecesis; qua Judicatus Arborensis terminatur.

De Caralitana Urbe, et Dioecesi

Post Arboream sequitur meridiem versus tertia Sardiniae pars Judicatus titulo olim a Pisanis, postea Regni nomine, ut inquit Jacobus Mainoldi (*De titulis Regis Philippi* cap. de Regno Sardiniae) decorata, quae usque ad fines Gallurae effusa mari sardoo, africo, et tyrrheno abluitur: et quatuor constat Dioecesibus, Caralitana, Sulcitana, Sueliensi, et Doliensi.

In Caralitana claruit urbs CARALIS, quam antiquissimam fuisse tradit Pomponius Mela. Fuit enim ab Aristaeo, ut inquit Julius Solinus, anno ante Christi adventum 1370. parva Graecorum et Lybicorum manu, qui inibi dispersi in tuguriis et speluncis habitabant, condita; vel, si, ut refert Pausanias, numero minores Aristaeus habuit colonos, quam quantum ad novam urbem constituendam satis esset, et propterea nullam in Sardinia urbem condidit, fuit a Carthaginensibus anno ante Christi adventum 510. constructa, ut idem tradit Pausanias, et consentiunt Leonicus et Claudianus, qui eam non in vertice montis, sed ad radices juxta mare in longum sitam fuisse his carminibus cecinit

Urbs Libyam contra Tyrio fundata colono
Tenditur in longum Caralis . . . . .

Eam inter digniores et celeberrimas Sardiniae urbes numerat Strabo; *urbem civium romanorum* appellat Plinius; et *urbem urbium* Sardiniae fuisse referunt Florus, et Jornandes, qui tradunt anno ante Christi adventum 175. a T. Sempronio Graccho Consule ob rebellionem et contumaciam fuisse expugnatam, et, ut inquit Franciscus Berlingherius L. III. cap. 5. *Geogr.*, deletam, indeque tantam captivorum multitudinem Romam asportatam, ut ex hoc proverbium fuerit, inquit Cornelius Nepos, celebratum *Sardi venales*: quod tamen originem a Veiis duxisse alio in loco demonstravimus. Ea deinde restituta et restaurata; tum vario et diuturno bello afflicta, tandem Saracenorum invasionibus prorsus extincta. Ejus deinde ruinae surrexerunt in fabricam novae urbis Caralis, quae fuit condita in vertice ipsius montis, ubi in subjectum pelagus prospectum habet jucundissimum, et ab oriente praeruptis et inaccessis munitur rupibus, a meridie, et ab occidente loco clivoso et difficilis ascensus; fuitque anno circiter 1257. moenibus et turribus cincta a Pisanis, et CASTELLUM-CASTRI appellata, ut constat ex Johanne Villano Chron. (L. IX.), Augustino Justiniano in Chron. Genuen. (L. II.), et ex inscriptionibus in dictis turribus, et in *frontispicio*, et suggestu marmoreo, templi maximi sculptis; postea antiqua sede archiepiscopali caralitana ornata nomen civitatis Caralis, quod retinet, est consecuta, crassiorique muro, et multis circum munita propugnaculis, ac

tórmentis aeneis, reddita est a Carolo V. et Philippo II. admodum tuta, et fere inexpugnabilis; praesertim quia habet granaria publica, in quibus biennii cibaria ad obsidionem urbis, si accidat, semper reservantur, tresque puteos publicos S. Pancratii, S. Crucis, et Fori caseorum, largiter aquam propinantes, et in singulis aedibus pro familiae potione cisternas. Patet introitus urbis tribus turritis portis, Porta majore, *Leonina* dicta, meridiem versus, ubi quatuor sunt ordines murorum cum quatuor portis; Porta *S. Pancratii* ad Septemtrionem, ubi est insignis turris tota fere marmorea cum specula pro navigiis appellentibus, et tres murorum ordines cum tribus portis; et tandem Porta *Elephantis*, ubi alia nova et magna turris tota fere marmorea occidentem spectat.

Hujus urbis insigniora aedificia sunt

Templum maximum Archiepiscopale et Parochiale, S. Ceciliae sacrum, a Pisanis egregie constructum, columnisque marmoreis fultum, ubi suggestus marmoreus affabre elaboratus multis sustentatur columnis spiralibus super quatuor leonum simulacris residentibus: templum S. Crucis nunc insigne Collegium Patrum Soc. Jesu; templum S. Luciae monasterium monialium Ordinis S. Dominici; templum S. Elisabeth monasterium monialium Ordinis S. Francisci; et templum Pietatis sodalitium *Confallonis*: Domus archiepiscopalis; Domus regia, ubi Prorex habitat; Domus Senatoria, Carceres, Piscaria, et Laniena. Haec urbs licet parva sit, tria tamen habet suburbia, *Stampacem*, *Làpolam*, et *Villam novam*.

Stampax occidentem respicit priscis nudata moenibus habens in praecipuis aedificiis templum parochiale S. Annae, domum novitiorum Soc. Jesu, et templum cum cryptis S. Ephysi, ubi est sodalitium Sanguinis Jesu Christi, et aedes S. Clarae monialium clausarum Ordinis S. Francisci.

Lapola, vulgo *Marina*, ad meridiem vergit, super ruinis prostratae urbis Caralis condita, nunc a Rege Philippo moenibus et propugnaculis munita, ubi est *la Palisada*, quod est duplex cornu palis in fundo fixis efformatum, ubi navigia includuntur, templum S. Eulaliae parochiale; templum S. Antonii, insigne infirmorum hospitale; templum S. Leonardi, ubi est sodalitium Orationis, templum S. Augustini egregia structura hac aetate fabricatum.

Villanova ad orientem in planitie absque moenibus sita habet S. Jacobi templum parochiale; templum s. Johannis; et Dominicanorum insigne monasterium.

Extra ea suburbia est templum marmoreum S. Saturnini antiqua structura celeberrimum, prioratus ordinis . . . . . ab Eugenio IV. anno 1444. ecclesiae cathedrali Caralitanae unitus, ubi S. Fulgentius diu vixit; templum S. Mariae Portus, nunc monasterium Trinitariorum; templum Jesus amplissimum monasterium Franciscanorum de Observantia; templum S. Augùstini, ubi ossa S. Augustini diu conquieverunt, insigne monasterium Ordinis eremitarum S. Augustini, nunc majoris tuitionis Castri-Caralis praetextu a Regiis ministris magna ex parte dirutum; templum S. Francisci, celebre monasterium Franciscanorum Conventualium; item Carmelitarum monasterium, cujus templum magnifica nunc construitur fabrica, aliaque sacella, et insignia priscae urbis Karalum monumenta, quae brevitatis caussa praetereo, huc usque cernuntur.

In praefatis suburbiis omnes fere incolae originem ab antiquis sardis duxerunt, atque ita genuinam retinent antiquorum sardorum linguam: at in Castro Caralis cathalana utuntur lingua; nam, pulsis antiquis Sardis et Pisanis anno circiter 1329, fuit colonia et praesidio Aragonensium occupatum. Omnes tamen eodem jure, eisdemque magistratibus utuntur, hilariter vivunt omni abjecta tristitia, ingenti luxu ac pompa, ac frequenti conversatione diurna atque nocturna. Habent caelum innoxium, mare jucundum, et portum amplissimum vario navium genere frequentatum; agrum aliquantulum angustum sterilem et aquarum indigum. Vinum gignitur optimum album, et rubrum, pomaque sapida. Ibi stabulantur cuniculi plurimi, et nascitur salnitrum, quo ad bellicorum tormentorum pulverem utuntur, et ad fortissimas aquas conficiendas, quibus aurum ab argento separatur. Ab oriente magnas habet salinas, ubi aquae maris aestivis solibus in salem abeunt candidissimum; stagnum piscosum, et phoenicopteris plurimis et aliis avibus aquaticis copiosum ab Occidente, cui sunt in longitudine XII. M. P. in latitudine III.

Amplissima est Caralitana Dioecesis, in qua est Curatoria-Norae, regio maritima Sulcitanae Dioecesi confinis, tota de-

serta et sylvosa, solis feris, quibus maxime abundat, opportunas praebens latebras. In ea sunt *Mons-sanctus* ubi sacellum est Divi Michaelis, et mons *Sèpara*, e quorum vertice Gàlita insula nitente coelo prospicitur, et plures praeter hos pascuis idonei: nec deest planities cujusvis generis frugum feracissima, nec fluvii, nec salinae. Hic considebant NORENSES populi, teste Plinio L. VII., ex celeberrimis Sardiniae; et ut inquit Solinus *Polyhist* c. 9. fuit a Norace Ibero condita NORAE civitas, cujus meminit Ptolomaeus, Antoninus Pius, Pausanias, Leonicus, et M. T. Cicero in Orat. pro M. Aemilio Scauro, quem ab accusatione Norensium defendebat. Jacet nunc excisa in promontorio, quod dicunt Caput-Pulae, ubi ss. mm. Ephysi et Potiti corpora septingentis octoginta quinque circiter annis conquieverunt, eorumque sacrae aedes cernuntur, et urbis non spernendae reliquiae, aquaeductus sumptuosus, theatrum, moenia, balnea, et plurima aedificia semidiruta cum publica, tum privata.

Interiit etiam in hac regione CASTELLUM PULAE, et SANTISCONATAE, atque oppida *Chiae*, *Saliònis*, *Horti-Jacobi*, *Turralbae*, *Vèstaris*, *Villae-novae*, *Petrae-salis*, *Cuchi*, *Petraestèrritae*, *Carabiònis*, *Paludis de Nuris*, *Sarrocae*, *S. Mariae Magdalenae*, *et Capitis-terrae*. Inde Caralim versus sequitur alia maritima regio, quae dicitur

CURATORIA-DECIMI effusam habens planitiem pascuam et sativam, quam tres fluvii et stagnum piscosum alluit. Sunt in ea oppida *Decimi-magni*, *Utae*, *Siliquae*, et *Villae-speciosae*; at jacent prostrata altera *Uta*, *Mògoris*, *Foixìlis*, *Sipontis*, *Sirvis*, *et Ortixedrus*, CASTRUM-JOJOSAE-GUARDIAE in excelso monte, saepe in historiis memoratum, et VALERIA urbs a Ptolomaeo inter mediterraneas Sardiniae extrema ad imum meridiem posita: quam non procul a Decimo-magno fuisse docent monumenta, quae ibi supersunt, et antiquae structurae aedes D. Nicolao, et D. . . . . sacrae, et pons maximus terdecim fornicibus connexus. Deinde intus sequitur regio dicta

PARS-HIPPIS; tota fere plana, armentosa quidem, et gregum copia frequens, cui pabulum uberum suppeditat; habetque aquas stagnantes et irriguas, frigidas, et calidas, quibus infirmi plures praesentaneum experti sunt remedium. In hac regione

est Castrum-Sorris cum oppido cognomine, nunc dicto *Villa-Sorris*, Comitatus titulo a Carolo V. Caesare anno 1537. decorato, aliaque oppida, nempe *Decimi-putei*, *Serrae-mannae*, et *Villae-Xirdi* malorum aureorum, citrorum, et omnium cujusque generis fructuum copiosi. Excisa vero jacent oppida *Hippis* superioris et inferioris, utriusque *Pavi* scilicet superioris et inferioris, utriusque *Fànaris, Lenis,* unde nomen fluvio, *Ispidi*, *Achensae*, *Doviselli*, *Masònae*, *Issi*, *Paurissi*, *Mumpupusi*, *Mùrcae, Scari*, *Bàlnei*, *Sipòlis* inferioris et superioris, *Gurgòsi*, *Poli*, *Soghi*, *Palmae*, *et Ideìspae* de Sturpòne. Interius postea se offert regio

Curatoria-Nuraminis agrum habens sativum, pascuum et aliquantulum montuosum, praesertim prope *Furteim*, ubi proximis magis excelsus surgit mons Coronae-rubrae, seu speluncae rubrae, et antiquus pons lapideus super perenni fluvio. Extant in ea oppida *Nuraminis*, *Villae-graecae, Furtèis*, *Noracis, Samassis, Serrentis*, et *Sallùris* titulo Vice-comitatus ab Alphonso Rege anno 1436. decoratum: at desiderantur oppida alterius *Nuràminis, Pramontis*, *Canxelli*, *Nurapèci*, *Borri*, *Barallae*, atque *Sentis*, quae prostrata jacent. Inde ad oram reverteuti proprior Carali occurrit regio maritima, dicta

Curatoria Campitani, tota fere plana, vinetis et culturae idonea, duobus fluviis irrigua, et aliquot stagnis imminuta. In ea sunt oppida *Assèminis*, *Sexti*, *Septimi*, *Sinnais*, *Marae*, *Cellàrii*, quae simul cum *Uta* constituunt Baroniam S. Michaelis, dictam a Castro S. Michaelis, quod in ejusdem regionis monte satis natura munitum, et prisca structura elaboratum cernitur. Praeterea sunt *Mansum*, et *S. Avendracis* oppidum multis constans habitaculis in rupe a Libicis olim excisis, *Paùlis, Pirris*, *Quartucii*, et *Quarti*, a piratis anno 1582. direpti: jacet vero prostrata urbs et Castrum Bonaeris ab Alphonso, Jacobi Regis filio, anno 1325. conditum, multisque privilegiis, et agris ditatum; ubi adhuc plurimae specus viva rupe effossae cernuntur, et templum parochiale B. Mariae sacrum, miraculorum fama et confluxu hominum nobilissimum cum insigni monasterio Fr. B. M. V. de Mercede ab anno 1335. condito. Ad haec addam Castrum S. Igiae, seu

Gyllae oppidum ejusdem nominis a Gyllo Marchione Longobardo, ut hispani referunt auctores, conditum, et a suo nomine appellatum, multisque praeliis clarum, ut apud Augustinum, et Paulum Interianum patet; et oppida *S. Vidriani*, *S. Juliani*, *Cipulae*, *Sennerìni*, *Sapolli*, *Palmae*, *Germaeae*, *Sinnùris*, *Separae*, *Calagònis*, *Sìmbilis*, *Corongii*, *Fluminàlis*, *S. Mariae de Paradiso*, *Sedauni*, *Carbonariae*, *Siùris*, *Pitùxi*, *Bargàrgiae*, *S. Mariae de Claro*, *Sàlsalis*, *Solèminis*, *Scanni*, *Sirii*, *Sennenòsis*, *Murta-urci*, *Matte-ruu*, *Solànae*, *Girsèmi*, *Thizae*, *Separàssi*, *Cusuae*, *Nulgis*, *Magoris*, *Villae-novae S. Basilii*. — Huic proxima est

Sarrabi regio, partim montuosa, et nobilis ampla re pecuaria, partim campestris, atque frumentaria; ubi stagnum pisculentum, et flumen Dosa a Ptolomaeo Soeprus appellatum. In hac regione diutino bello et plurimis et piratarum incursionibus interiere oppida *Tacàti*, *Noràriae*, *Petrèti*, *Villae-Tronae*, *Rastràdi*, *Ormèae*, *Ulmi*, *Igualis*, *Cortimiae*, *Pupus*, *Sorruvi*, et *Sàrrabi* cum illius castro in monte; et supersunt tantum oppida *Muravèrae*, *S. Viti*. Duo reliqua hujus regionis oppida *Putei*, et *Petrafoci*, sunt Dioecesis Suellensis, de quibus suo loco dicemus.

Sulci, et Villecclesiarum Urbs, et Dioecesis

Sulcitana Dioecesis inter Caralitanam et Terralbensem Sardoo mari subluitur. Dicta est Sulcitana ab urbe Sulcis, quae antiqua et celeberrima in Sardinia olim fuit, ut refert Plinius (L. III. 13. 2.), et in bello civili inter Caesarem et Pompejum ab hujus parte; nunc quidem prostrata jacet, at monumenta observatione dignissima retinens cum antiquo Castro Sulcitano, et Cathedrali ecclesia B. M. V. dicata, quam nunc *de Tratalìas* dicunt. Ejus Dioecesis duabus regionibus constat nempe Sulcis, et Sigerro.

Sulcis regio est maritima et Caralitanae Dioecesi contermina, tota sylvestris et deserta, montuosaque nimis a Capite-Plumbi ad Canis-nigri speculam, pabulis ideo et venationibus, praesertim in Curte Archili dicta, insignis. Fluviis irrigua abundat

armentis, oleisque sylvestribus, et habet agros *Palmae, Budelli,* et Tegulariae culturae satis idoneos. In qua ceciderunt clarissimae urbis antiquae Pupuli a Ptolomaeo, et Tegulae ab Antonino Pio memoratae, Castrum-Palmae, et oppida *Piscinae, Nepos, Uratèlis, Pesi, Burstri, Buidicàras, Baicannas, Petràrgii, Garanàtae, Suèrgii, Arenae, Furmentèdi, Tracasi, Pransi, Marbae, Gibas, Puxmae, Nalarcàti, Paderios, Villaestrubae, Baicucùri, Coaterrae, Revi, Oraduli, Socomèrri, Distrài, Adòi, Mariàni,* et *Natalbis* — Huic contermina est.

Sigerri regio, quae ad Guspinicos montes excurrit, et ipsa aliquantulum montuosa, praesertim ad Connesam, ubi mons S. Johannis omnium excelsior extollitur, dives est argento, plumbo, sulphure, et gemmis, mixtumque habet aliquot in locis genus quoddam terrae, ex qua fit color gilvus. Aquis, frugibus, et pascuis abundat, praesertim ad radices montium, ubi Villecclesiarum urbs est sita VIII. M. P. a mari distans, quae anno 1322. fuit a Pisanis moenibus et turribus cincta cum quatuor portis, nempe Porta-magistra ad meridiem versus Ecclesiam S. Mariae Vallis-viridis; Porta-nova ad occidentem; Porta S. Antonii ad aquilonem; et Porta-castri ad orientem, ubi Castrum-Salvaterrae, alias *S. Guantini* appellatum, et in colliculo optima structura satis munitum, reddit tutam civitatem. Haec habet quatuor fontes, et templum insigne S. Clarae dicatum, ad quod sedes episcopalis Sulcitana fuit anno 1502. ab Alexandro VI. translata. Olim erat prioratus S. Luciae Ordinis . . . . Decoratur praeterea templo S. Francisci, praeclaro Franciscanorum Conventualium monasterio, et Collegio PP. Soc. J. nuper condito. Interierunt in Sigerro oppida *Fiòngiae, Sebàtzi, Desi, Ursae, Musèis, Marganais, Barègae, Pardi, Pensae, Peruccii, Seìci, Serrài, Antèsae, Guidàndali, Cisae, Barcae, Villae-novae, Macii, Corongii, Tulùi, Parmiàni, Astiae, Flumentèpidi, Sibolèssi, Sìgulis, Connèsae, Antesumàdae, Argènis, Gallursae, Gallasturbae, Ardae, Enecladi, Sirìci,* et Castrum Baratuli cum nobili Castro-Aquae-frigidae in edito monte, et undequaque praeciso.

Doliae Civitas, et Dioecesis

Post Sulcitanam, et Caralitanam Dioecesim sequitur interius mediterranea Doliensis dicta a Dolia, antiqua civitate nunc destructa, *Bona-Dolia* etiam, et aliquibus *Bona-Voglia*, et *S. Pantaleonis* appellata ab ejus cathedrali ecclesia huic Divo dicata, Caralitanae Ecclesiae anno 1502. ab Alexandro VI. unita. In qua continetur

Dolia, regio partim plana et frumentaria, partim montuosa et pascua, aliquot fluviis irrigata, habet oppida *Samassàis*, *Siccis*, *Serdiànae*, *Ussanae*, et *Monasterii*: cetera interiere nempe *Barallà*, *Sipiòla*, *Sidriànus*, *Bacchis*, *Strana*, *Boràculis*, *Turris*, *Cisterna*, *Ergàtus*, *Janua*, *Trogodòris*, *Morcàtus*, *Donòris*, *Mòdulus*, *Parasùlis*, *Ninnòxis*, *Segògus*, *Nuoxi*. Inde sequitur regio, quae dicitur

Trecenta, plana, irrigua, et amoena, cujusque generis frugum, et arborum domesticarum feracissima. In qua sunt oppida *Sèleghae*, *Seùnis*, *Goi-majoris*, *Goi-esìlae*, *Ortacèsi*, *Senorbini*, *Segolàis*, *Arìxis*, *S. Basilii*; at jacent excisa oppida *Segarìni*, *Bangii*, *Sèneghae*, *Alùrae*, *Sebòci*, *Sumieris*, *Arcuàssilis*, *Turris*, *Sèparae*, *Sebògi*, et *Gois*. Postea interius se offert regio, quae dicitur

Curatoria-Seurgi sita in amplissima agri planitiae frugum et arborum domesticarum satis foecunda, aquis fluminis Dosae irrigua. In qua sunt oppida *Gergèis*, *Scolchae*, *Màndarae*, *Gèsici*, *Serris*, *Donnigàlae*, *Siùrgi*, *Orròlis*, *Villae-novae-Tuli*, *Scalae-planae*, *Nurris*, *Gonnis*, et *Sassàis*; interierunt vero oppida *Guidisàffae*, *Guìdilae*, *Cossi*, *Lesèis*, *Sàdalis*, *Guini*, *Barexis*, *Sinèsi*, *Seràssi*, *Speciàni*, *Stertilis*, *Serchis*, *Sercolàis*, *Usàssais*, *Torbèni-gentilis*, *Orsi*, *Mussi*, et *Nauli*. Dextrorsum est regio

Curatoria Gerreis vel *Galillae* dicta, aspera, sylvestris, et montuosa, pascuis magis, quam culturae idonea, per quam etiam flumen Dosae decurrit. Continet oppida *Paludis*, *Silii*, *Ballài*, *Armungiae*, *Saltus*, et *Sìsinis*; at jacent excisa oppida *Latrìni*, *Nuràgis*, *Surlègis*, *Castagnàni*, *Crari*, *Connòsi* cum Castro-Orgoglioso ab Judice Arboreae olim desolato.

Suellis Urbs, et Dioecesis

Suellis, quibusdam opinantibus, fuit Susaleivilla a Ptolomaeo memorata, quae in temporum progressu colonorum multitudine aucta sede episcopali decorabatur. In qua D. Georgius miraculis clarus quum sedisset episcopus, nunc ipsius templi maximi habetur patronus: cujus corpus ibi sepultum decenter populi frequentia colitur. Ea sedes anno circiter 1418, fuit a Martino Papa V., precibus Leonorae Manrique Comitissae de Chirra, Ecclesiae Caralitanae unita. Atque ita civitas ipsa proprio praesule et moeniis destituta, populo imminuta sedet in regione Trecentae extra suam Dioecesim, quae maritima est, et a finibus Caralitanae et Doliensis incipit, ubi *Scala-plana* opp. Curatoriae-Seurgi, *Petrafocus* et *Villaputei* oppida regionis Sarrabi existunt, et sequitur maritima regio, dicta.

Judicatus Chirrae, qui titulo Comitatus a Petro Aragoniae rege anno 1363 decorabatur, solum habet pro majore parte asperum montibus, et pabulis potius, quam culturae idoneum: in quo Siculesii populi a Ptolomaeo memorati consederunt, et nunc jacent excisa urbs Lesa a Ptolomaeo memorata, Castrum Chirrae cum suburbio multis preliis nobile, et oppida *Ulli*, *S. Petri*, et *Lentischi*. Unde tota regio remanet derelicta, et sylvosa. Huic confinis est mediterranea regio dicta

N. Jar. ad ann. 1357. ubi oppid. Tarteniae adjungitur Judicatui Chirrae

Barbaria-Seuli altis aspera montibus, a condensis sylvis aratri impatiens, hinc frumenti indiga, solaque aquarum exuberantia insignis. In qua sunt oppida *Seùli*, *Ussàssais*, *Seùis*, *Sterzìlis*, et *Sàdalis*: jacet solo prostratum *Gennesèis* oppidum. Ad oram revertenti se offert regio dicta

Judicatus Aguglìastri, plurimis quidem aspera montibus glandium et castanearum feracibus; sed multis in locis plana amoena et frugifera, malorumque aureorum, citrorum et limonum, aliarumque cujuslibet generis arborum et fructuum, mellisque optimi copiosa. In qua populi Corpicenses a Ptolomaeo memorati consederunt; et anno 1052, filia Regis Navarrae condidit templum in honorem S. Mariae, quam *Navarresam* dicunt, et cum suis incoluit oppidum, quod ibi cum Ca-

Osono antichissimo paese in territorio di Triei.

stro Agugliastri, et aliis, jacet excisum. Extant tamen adhuc oppida viginti duo; nempe *Tertenìae*, *Jersi*, *Ulàssais*, *Osìnis*, *Gàiri*, *Lanusèis*, *Locièris*, *Barìni*, *Tortolìni*, ubi stagnum est pisculentum, *Girasòlis*, *Lotzoràis*, *Ilbòni*, *Elìnis*, *Arzanae*, *Strisaìlis*, *Baunèis*, *Trièis*, *Ursulèis*, *Manurris*, *Talànae*. Oppidum *Orgòsoli* est regionis Curatoriae *Nùgori*: *Olìana* est Judicatus Gallurae, de quo nunc dicendum.

De Gallùra, et de Galtellina Civitate, et Dioecesi

A finibus Caralitanae Dioecesis statim post *Aliànae* altissimas rupes sequitur Gallura, quarta Sardiniae pars usque ad flumen Cocìnae, terminum Logudori, excurrens: quae ab oriente abluitur mari tyrrheno, ab aquilone mari, quod Plinius *Taphron*, Antoninus *Gallicum* appellavit a Gallis, qui in ea regione, teste Annio Viterbiensi, sedes collocaverant suas. Fuit haec insulae pars anno 1050 Judicatus titulo a Pisanis decorata, et anno 1234. Regni nomine a Friderico imperatore ornata. Sed iis a Petro Rege Aragoniae obliteratis titulis, Galtellina regio titulo Comitatus ab eodem Rege Petro anno 1370 decorabatur. Duabus Dioecesibus Gallura insignitur, nempe Galtellina et Civitatensi, de quibus singillatim.

De Galtellina Civitate, et Dioecesi

Dioecesis Galtellina post Suellensem ab Olianae finibus incipit, et habet *Lollòven* regionis Nugori, et *Olìanam* regionis Agugliastri, mirabili fonte ejusdem nominis notissimam, in qua oleastrinum oleum, aulaea, tapetia, lodicesque texuntur. Cui succedit regio, dicta

Baronia Uriseis juxta mare plana, Lesitanas aquas et Cedrinum fluvium, ut tradit Ptolomaeus, habens, quae aestivis solibus aërem noxium reddunt: interius aspera est, et excelso *Monte-Sancto*, aliisque pascuis montibus aspera.

In hac regione est Civitas-Galtellina moeniis nudata, sed

non procul posito antiquo CASTRO GALTELLINO munita. Ejus ecclesia D. Petro sacra sedem episcopalem habuit, quae anno 1132, ab Innocentio Papa II. ut constat ex illius epist., Ecclesiae Pisanae subponebatur. Sigon. L. XI. *de regno Italiae*, Sabellico L. IV., Blondo *decade* II. et Johanne Villano L. IV. referentibus; postea anno 1496. Ecclesiae Caralitanae ab Alexandro VI. unienda. Aliud etiam templum in ea est insigne devotissima Crucifixi imagine, quam populi frequentes venerantur. Extant alia septem oppida, nempe *Torpèhes, Irgolis, Gonifàis, Lòculis, Lullae, Durgàlis, et Urisèis*, ubi est insigne CASTRUM-URISAE: at jacent solo prostrata oppida *Goliònis, Binissae, Duascodères, Dulosorres, Muri; Scopèti*, et *Sifiliònis*. Interius deinde est

BARBARIA-BITHIS, regio montuosa, et pecorosa potius, quam frumentaria, in qua excurrunt duo flumina, et sunt tria oppida nempe *Bithis, Gorofàis*, et *Onanìni*. Ad oram revertenti occurrit

BARONIA-POSATAE ad mare plana, frugifera, et vini optimi ferax, saccharo aptissima, fluvio et salinis nobilis; intus vero montuosa et pascuis magis, quam culturae idonea. Hic consederant LUGUIDONESII Phrigiae populi, a Ptolomaeo memorati, et nunc est CASTRUM-FABAE multis praeliis clarum, in vertice montis natura et multa arte munitum, et suburbium *Posatae*, validis moenibus cinctum cum turribus et porta, deinde oppida *Lodèhes, Torpèhes*, et *Siniscòlae*, ubi spina Coronaedominicae asservatur, et fons mirabilis affluit. Jacet solo prostrata urbs antiqua FERONIA, a Ptolomaeo memorata; et oppida *Guerrenolènneri, Tammarispae, Polterìscae, Panànae, Montinàrgii, Stellàri, Guidàni, Illòis, Ossii, Hortimuràti, Corvèrae, Hurùlis, Locòes, Isarlis*. Deinde sequitur regio, quae dicitur

CURATORIA ORFILIS, tota deserta et sylvosa, pabulum uberum suppeditans, fluvio, salina, et portu nobilis; in qua interiere oppida *Offudèhes, Orfilis*, et *Requisònis*.

De Civitate, et sua Dioecesi

Post Galtellinensem sequitur ad semptentriones Civitatensis Dioecesis a *Civitate* sic dicta, quae anno ante C. N. 1340,

fuit in campestri loco ad oram maritimam a Galata, ut inquit Annius Viterbiensis, colonia Gallorum condita, a cujus patre Olbio Olbia etiam a Ptolomaeo et Orosio dicta est; quae anno ante Ch. Ad. 264, ut refert Jornandes, et Joannes Zonara, fuit a L. Scipione expugnata, et temporum successu deleta, atque obruta. Super hujus ruinis constructa postea fuit Urbs Phausiana, et Episcopali sede decorata, in qua B. Simplicius, qui saeviente Diocletiano anno Salutis 301. a Barbaro Sardiniae Praeside pro Christi fide lancea confossus fuit. Post Simplicium nullo suffecto antistite sedes vacavit usque ad annum 601, quo S. Gregorii Papae jussu Victor Episcopus creatus paganos idola colentes ad christianam fidem convertit, et sedem collocavit in templo affabre elaborato, ac D. Simplicio dicato, quod integrum adhuc cernitur. Civitatensis ecclesia prius exempta fuit, anno tamen 1198, ab Innocentio Papa III. Archiepiscop. Pisano est supposita. Urbe demum bello Pisanorum et Genuensium desolata, in eodem loco civitas Terraenovae condebatur, et Episcopalis sedes Ecclesiae Emporien ab Alexandro VI. anno 1502 unita, atque Turritano Archiepiscopo subjecta.

Est Terrae nova civitas parva, et populo infrequens, quae opibus exinanita, tandem a Dragutte, immani Turcarum duce est incensa. Portum habet Olbianum a Ptolomaeo dictum, tutissimum, atque amplissimum, longitudinis VI. M. P. olim difficilis ingressus maxime inexpertis; et propter parvos scopulos, et saxa quae in eo sunt, a magnis navigiis subiri non potest; ejus namque fauces obturatae fuerunt a Genuensibus jactis in profundum molibus. Agrum habet in circuitu planum et frugiferum, antiquitatis retinens praeclara ornamenta.

In eo enim sparsim hic illic cernuntur priscae aedificiorum columnae, episthylia, lapidesque secti et quadrati, nec non et aquaeductus, qui ex fonte S. Mariae Capitis-aquarum, ubi parva turris est, III. M. P. spatio, copiosas olim aquas in urbem ducebat. Extant etiam non procul ab ea salinae, quarum non omnes aquae abeunt in salem, et flumen Prati-Ogiani anguillis, trutis, et mytulis uberum. Habet Dioecesim amplissimam, sed ex majori parte desertam, nam habitatur solum regio dicta

Curatoria de geminis, quae mediterranea est, sylvestris,

montuosa, et pascuis solum idonea multisque fluviolis irrigua. In ea est excelsus mons Limbàrae, et extant oppida *Nuches*, *Laùras*, *Calaniàni*, *Templi*, *Agii*, et *Bortigiàtae*.

Reliquum Dioeceseos, omnisque plaga maritima squallet sine populo: namquè interiere in ea duodecim antiquissima oppida, quae ibi testibus Pausania et Ptolomaeo a Corsis profugis fuerant condita, inter quae ALERIA, quae anno ante Chr. Nat. 264 fuit a Cornelio Scipione, ut inquit Jornandes expugnata, et urbes HERAEUM et PLUBIUM a Ptolomaeo memoratae, etc.

Civitensis
Curatoria Civitatensis

REGIO FUNDIMONTIS habet prostrata CASTRUM PETRESI insigni fabrica cinctum super ampla planitie non procul a Terranova, et CASTRUM TESTI in edito monte, moenibus, turribus, et natura satis munitum; nec non et oppida *Verri*, *Puzzòli*, *Caressi*, *Toresii majoris*, *Calaniàni*, *Taresìni*, et *S. Cumiani*, ubi Pisana communitas equilia habebat. Huic succedit

REGIO CANIANI nunc deserta, quae habebat oppida *Caniàni*, et *Otgiàni*. Sequitur

CURATORIA DE UNALES habens excisa oppida *Arsàghènae*, *Albagnani*, et *Castri*. Cui succedit

CURATORIA-BALANIANAE habens excisa oppida *Nuràghes*, *Uranni*, *S. Stephani*, *Batòris*, *Vineae-majoris*, et *Telargii*. Accedit postea

CURATORIA MONTAGNAE, in qua jacent diruta oppida *Asùnis*, *Albargii*, *Aristànis*, et *Loci-sancti*, ubi sacrae aedes B. M. V. et SS. Nicolao et Trano adhuc cernuntur: excisaque sunt etiam oppida *Horti-murati*, *Ariagàni*, *Lapàlighae*, *Malassi*, *Agoragni*, et insigne CASTELLUM LONGONIS-SARDI situm in ora maritima contra Bonifacium. Denique se offert

CURATORIA DE JANNAS, ubi excisa jacent oppida *Vineolae*, *Agugaris*, *Gardòsi*, *Lapiae*, *Malaeterrae*, *Dani*, et *Saragni*; atque insuper oppida *Carsianae*, *Aagnànae*, *Lacostae*, *Azimi*, *Crasmisàdae*, *Corvàris*, *Capikères*, *Acragànis*, *Melaxini*, *Conarii*, *Alangii*, *Baràdilis*, *Agughèdae*, *Deviàni*.

Quare praefati populi qui supersunt agrum in ea Dioecesi habent longe lateque vacantem, fontibus et fluviis irriguum, glandiferis sylvis, earumque magnitudine, pastione, venatione ceteris antecellentem. Multi ex illis pastoritiam exercent, et agrestem cum tota familia in montibus degunt vitam. Mille

greges illic, totidemque armenta per herbas pascunt, caseumque probatissimum faciunt, porcosque saginant, ex quibus saesamenta optima farcimina pernae petasonesque fiunt.

Habitant hic et alibi Sardiniae pastores dispersi per insulam quandoque aperto caelo, et saepe sub arbore frondosa, vel in parvis casis stramentis, vel suberis cortice tectis, et in vastissimis priscorum colonorum antris, multique in *Noracibus* ab Iberis Sardiniae colonis passim conditis in locis agrestibus et montuosis, qui ad instar rotundarum turrium in angustiam ascendentium extructi, et testudinati sunt absque luto et calce solis lapidibus rudibus tantae magnitudinis, ut qui obeliscos ignorant, non facile sibi persuadeant ingentes eas moles potuisse hominum viribus eo comportari, et in altum tolli. Saepe ipse summa diligentia quaesivi an illius saeculi mausolea, turresve fuerint: nec tamen hominum memoria, aut hominum operibus, seu lapidum inscriptionibus, adinvenire potui. Saepe illos adivi, et plures solo prostratos, plures adhuc integros inveni habentes fornices amplissimas, januas vero angustissimas, et inter muri mediam latitudinem gradus, per quos in altum ascenditur; tantoque spectaculo intentus obstupui ad magnitudinis et magnificentiae miraculum.

Haec antiquissima aedificia inter mirabilia retulit Aristoteles in libro de *Admirandis in natura* c. 84. testatus sua aetate fuisse in Sardinia alias vetustissimas fornices, et inusitata domicilia modulatis quibusdam, sed disparibus compacta numeris, olim a Jolao Iphiclis filio constructa, quorum tamen nulla vestigia hac tempestate in insula reperiuntur. Sed de Sardiniae Chorographia satis.

Ex Ioan. Camerte. In Sardinia insula multa extare adhuc inquiunt vetustissima monumenta superioris aetatis graecoque illo perantiquo modo laborata: ac inter alia nonnullos etiam fornices et inarcuata domicilia conspici posse modulatis quibusdam sed disparibus confecta numeris, quae ferunt olim a Iolao Iphiclis filio fuisse constructa eo potissimum tempore, quo ille Thespiadas, quos ab Hercule demissos acceperat illuc deduxerat, tamquam qui sibi [illegible] ob eam quae cum Hercule coniunctus erat propinquitate: tum etiam ob id quod Herculis tunc universas ad occidentem regiones subegerat.

DE LAUDIBUS

J. FRANCISCI FARÆ

ORATIO

QUAM IN TURRITANA ACADEMIA

INTER SOLEMNIA STUDIORUM AUSPICIA


die 5 *Nov. anni* 1833.

HABUIT

VICT. ANGIUS SCH. PIAR. PRÆF.

ET IN EODEM ARCHIGYMNASIO

PHIL. ET AA. LL. D.



Quanta sit laudum auctoritas, quae hic de quopiam in conspectu vestro, PP. Sapientissimi, praedicentur, neminem existimo rerum omnium adeo rudem et imperitum, qui ignoret. Quam ego tantam dicere audebo, ut multo minus valeant ad gloriae claritatem, quae alibi, et coram alio hominum genere possint celebrari. Scilicet, omnibus persuasum in hoc scientiarum domicilio sacratissimo, atque in comitiis vestris, quorum summa auctoritas, nulla proferri ad honorem nomina indignorum; mediocrium laudationem explosionibus et cachinnis esse in irrisionem et contumeliam laudatoris excipiendam; et egregiorum dumtaxat summorumque virorum virtutes solere verbis amplissimis honestari. Ad haec, quum nemini lateat hisce anni academici auspiciis laudem unis dignissimis esse ex lege tribuendam, ut simul et optime meritis sit praemium, et adolescentibus ad aemulationem incitamentum; satis idcirco plerisque, quin etiam laudum rationes audierint, ut de summa hominis dignitate judicent, si eum intelligant hic commemoratum, vel commemorandum. Quibus de causis habitam hisce in adjunctis laudationem, veluti dignissimum summae virtutis testimonium, ego cum civili illa consecratione, qua olim Romani imperatoriae genti blandissime assentantes plurimos ex suis Augustis in Divos retulerunt, et cum eo solemnissimo ritu comparabo, quo aetate superiore populus Gallia-

rum quamdam religionem in eos visus est constituere, qui vel splendidissimo ingenio ad gentium eruditionem, vel mirabilibus meritis in patriam floruissent.

Ex hac optime perspecta publicarum laudum praestantia cuivis patebit quantum in laudatoris officio sit periculi. Namque si quis audientibus capere non posse videatur, quantum in eum conferatur honoris, laudans vel ex stultitia ridebitur, vel ex imprudentia et iniquitate exagitabitur. Quod posterius est plerumque formidandum. Quippe eum quibusdam sapientissimae et justissimae legis violatorem condemnantibus, erunt qui et iniquum oderint cum in summos, dignissimosque, qui injuria relicti sunt, tum in laudatos, quos de sublimi suo loco deduxisse visus sit, quum ad eos indignum evexerit;. atque etiam erunt qui nihili faciant, eumque despiciant hebetioris ingenii hominem, publicae solemnisque laudationis pretium nescientem, atque male internoscentem in quo vera laudis ratio posita sit.

Hic verum meae fortunae ipse gratulabor, quod nemini nec memoratam legem violasse videbor; nec de iniquitate postulabor in eos, vel qui ejusmodi laudationis officium exspectant, vel qui fuerint eodem dignati; nec spernar, quippe qui dignitatem meritorum non bene noverim. Si enim mihi superioribus annis faventes affuistis de Azunio, Sotgia, et Vico, praedicanti; eorumque nemo succensuit, qui post subsellia vestra frequentissimi consistebant; auguror et vobis, et ceteris, qui adsunt, gratiora hodierno die futura, quae verba collaturus sum in popularem vestrum Johannem Franciscum Faram, virum profecto egregium, in reliquis Sardiniae scriptoribus nobilissimum, ac propterea verbis amplissimis omnium consensione semper honestatum. Jam quanta mihi affluit rerum copia! Sed in uno tantum genere continebo orationem: atque ea praeteriens, quae in suae privatae vitae memoria continentur, quaequa plurimas complectuntur amplioris gloriae causas in utraque, qua fulsit, dignitate ecclesiastica, intra sapientiam et literaturam hominis praeclarissimi meas cogitationes coercens in id intendam, ut inter plurimos Jurisconsultos, quibus patria nostra gloriatur, nemini existimetur inferior: inter eos vero, qui de rebus patriae scripserunt, et antiquitate, et operis praestantia, princeps habeatur.

Ex gente Fara illis adnumerata, quae generis vetustate, nominis nobilitate, laudum gloria, inter Sardiniae populos maxime splendebant, noster hic Johannes Franciscus in lucem prodibat, nec multis fortasse annis ante media tempora seculi XVI. Suum Sassaritani ostentant popularem, suoque gloriantur, jure et merito; quum quantum honoris ex quopiam egregio, quem ediderint, et parenti-

bus et generi; tantumdem et patriae veniat. Quin, me judice, majorem licet huic civitati de eodem superbiam sumere, quam de suis deceat reliquas gentes, quae nostro communi nomine continentur: propterea quod et primus extitit, qui post infelicissima tempora ab excidio romani imperii, patriae nostrae, veluti alumnae hominum mentis sagacissimae laudem instauraverit, atque etiam in serie doctissimorum, qui a sua ad nostram aetatem floruere, ante omnes visus sit constitisse.

Non me fugit ante Faram prodiisse Karalibus Sigismundum Arquerium, summi ingenii, multaeque doctrinae virum, cum in rebus divinis, tum in utroque jure; quem omnes idcirco patriae sperabant honoris causam, fortasse etiam utilitatis. O spes fallaces! quod post vulgatam, insertamque in Cosmographia Munsteriana (*anno* 1558) brevem Sardiniae descriptionem et historiam, quum mox majus promissum opus *de rebus sardois* aggrederetur, eum tristissimis fatis insectantibus, tandem acerbo atrocissimoque funere (proh dolor!) in immenso civium Toletanorum (*anno* 1571) spectaculo, indignum intus uno quoque apud se literatissimi viri exitium miserantibus, ferro simul et igne sacro perimebatur. Hinc salvis miserrimo meritis honoribus, primas Farae concessas iterum decernam, illique aetate anteriori, qui tamen paucis fructibus allatis non grandaevus est succisus, hunc praeponam tempore quidem posteriorem, cui tamen tamdiu spiritus mansit, quamdiu, nisi omnibus numeris absolverit, potuit opus conficere.

Hujus pueritiam, et pueritiae proximam aetatem, primamque doctrinam et eruditionem in Grammaticis et Rhetoricis praetervolans ad illud tempus properabo, quo nondum ex ephebis egressus, quum dies noctesque discendi cupiditate incitaretur, coeli natalisque soli delicias posthabens, parentum, propinquorum, et amicorum blanditiis minime victus, exul scientiarum amore, celebriora tunc temporis Italiae gymnasia longa peregrinatione perlustravit, et in diuturna commoratione doctissimos quosque tum naturalis, tum civilis et canonicae sapientiae professores audivit. Optima et amplissima mens si vehementi et constanti studio excolatur, quid existet? Mirabile dictu! quantum ipse profecerit in philosophia, cujus disciplinae Pisis vacavit, quae urbs sapientissimorum hominum totius Italiae erat domicilium. Namque in aemulationis fervore omnem animi vim exerens eo pervenit, ut se praetergressos illos puduerit, qui ingenio praediti ad multiplex illud rerum genus, jam pridem id stadium currentes, quammaxime poterant, enitebantur, et contendebant.

Verum majorem facient admirationem progressus in legum scientia, ad quam illico se contulit. Pariter enim et aequaliter cum aetate

studio adolescente, majores vires ingenio explicante, talem se praestitit, ut quum in rebus, quas philosophia complectebatur, ceteros aevi sui facile vicerit; in juris cognitione, profundaque intelligentia eos superaverit, qui arreptam animo sapientiam diuturna meditatione aluerant; iis se aequaverit, qui doctrinae laude magis florerent. Ergo in eo, quem adhuc impuberem philosophia transcripsit in virum, in eo, qui inter discipulorum subsellia humilis consistit, doctorem admiramini eximium. Qui nondum magistri nomen adeptus, et nihilominus tanta eruditione et solertia, quanta ei satis, qui interpretis munere honeste fungeretur, multa et praeclara legum commentaria scripsit. Majorum nostrorum negligentia plerisque amissis, et quorumdam deletis etiam a memoria titulis, unum aut alterum proferre licet praeter illud in Bartholum, quod ipse in sua Chorographia commemorat (*art. III. pag.* 19). In quo facto qui pygmaeum cum gigante videat congredientem, minus recte rerum rationes novisse putabo, quam qui strenuum adolescentem cum viro fortissimo colluctantem admiretur.

Sed haec praetermittens, proferam illum hac inscriptione nobilissimum tractat. *De essentia infantis, proximi infantiae, et proximi pubertati* publici juris anno 1567 factum, non multo post Veneta illa collectione comprehendendum (*anno* 1584), ubi illustriorum cum Pontificii, tum Caesarei, juris consultorum commentationes continebantur. De qua quaestione adeo subtiliter et copiose disputavit, ut quam de solertissimo ingenio ex iis, quae noverant, antecessores, expectationem conceperant, longe multumque superasse, et pro eo, quod habuerat ab iisdem, plus dictus fuerit reddidisse. Quae verba quamquam ampla videantur, velim tamen a nemine meritis habeantur ampliora; veriusque existimentur legitimi et justissimi judicis sententiam referre, quam laudatoris opinionem, qui ad ea, quae sint reprehendenda, veluti oculus inermis ad solis maculas, caecutiat, vel ad exiguitatem extremam, ut fere evanescant, intueatur contracta, quae auctor peccavit; et contra, veluti per *microscopion* admirabilissime res magnificans, perspiciat quae quidem sint probanda, minime vero laudibus efferenda. Neque enim haec ex meo conceptu protuli, deprompta ex Camillo Plautio praeclarissimo J. U. professore atque interprete, qui civem nostrum in celeberrimo Pisarum Athenaeo utramque sapientiam erudierat. Cujus testimonium si possit pro multis argumentis haberi, ego non adigar, ut singula apprehendens singulorum momenta examinem; simulque expediar a difficultatibus, quas horret mei instituti ratio. Quod mihi contingit felicissime, ne et temerarius videar de iis disputans, quae creduntur esse sapientiae mihi reconditae; et maxime, ne tempus, quod brevis-

simum conceditur, iis dicendis desit, de quibus quin arrogans videar, unus dicere possum.

Quum vero intelligam ad propositi veritatem magis declarandam multum conferre, si praetermissam de hisce causis *analysin* accuratam, iis compensem, quae quamvis pauca, tamen arguant indubie quantus vel in ipsis initiis ille fuerit; propterea haec leviter contingere juvat.

Atque occurrit copia doctrinae, et praecipue singularis ratio in memorata quaestione pertractanda. De qua aliter disserruit noster Jurisperitus, ac consueverunt, quibus excogitantibus et scribentibus, eadem et serie et specie res obversantur, qua iis jam objiciebantur, qui ante omnes argumentum attingentes id praeocupaverunt. Admirantur lectores ingenii divitias, et merito. Neque enim talis fuit, qui undique collecta digerens nulla aut pauca de suo penu protulerit, vel satis sibi duxerit in controversiis, si hinc inde disceptantium sententias referret, quarum alterutri adhaereret, quae vel numero, vel auctoritate doctorum, potior videretur; vel inter paria momenta adeo se profiteretur ambiguum, ut in neutram partem penderet. Ita se gerunt plerique literatorum, genus inertissimum, et ineptissimum, qui, quum sine mente laborent, nihil est, quo cumulent et adaugeant humanas cognitiones; et sua fucorum ritu facientes quae ab aliis elaborata sunt, pro suis aliena venditant plagiarii, suaque ipsi putant aliena, si haec in aliam, eamque seriem distribuant, quae non semper dicendus sit ordo, si componant eo modo, ut nec pes (diceret Horatius), nec caput, uni formae reddatur; scilicet nec una cogitandi ratio, nec una eademque opinio apparet ubique. Contra vero se gessisse visi sunt, qui ingenio praestantes, quum contingendis studerent, quae a communi doctorum cognitione aberant, metam sunt praetergressi, ubi alii haesere; quique, quum actuosissimi essent, maximis perfuncti laboribus, majores susceperunt, et sustinuerunt, ut optime de ceteris, qui ad eadem animum applicuerant, possent mereri: et contra se gessit civis noster. Cujus laudatam disquisitionem si quem juvabit attento animo perlegere, nae ille in eorum sublimi gradu numeroque selecto Faram suspiciet, quos D. O. M. providentia edit in mundum, ut mentes humanas ad altiora provehant; eumque intelliget in docendi ratione tantum a ceterorum consuetudine abhorruisse, ut commentaria sua non ad eam aetatem, qua docti homines minus sententiae propriae, quam aliorum auctoritati tribuentes, servum pecus viderentur; sed ad felicius illud aevum referat, quo profligata jam a literarum rep. indignissima magistrorum tyrannide, unaque constituta ratione regina, omnes scientiae humanae ad majorem mentis perfe-

ctionem, et status civilis felicitatem, sese in libertatem vindicaverant. Quum enim plurima et multiplici exornaretur doctrina, potius ex lectione et meditatione sua, quam ex magistrorum oratione, quae mediocribus mentibus pabulum sit sufficiens, egregiis vero irritatio cupiditatis; propterea, occasione oblata, amplissimas scientiae divitias sine ostentatione proferebat, et, ubi esset opinionum conflictio, medium sese inferens, illico sententiam oppugnabat, quae ab ipsa re esset aliena, novisque praesidiis veritatem tuebatur. Consueverat enim non pro doctorum nomine, sed pro eo, quod in quaque re esset ponderis, hanc aestimare; atque, quod faciat admirabilitatem, in aetatula (ut ex verbis loquar ipsius Plautii), quae nondum videretur satis consulta, ipse neglecta vetustatis auctoritate, nec magni habito plurimorum suffragio, plurimorum sententias refellere ausus est; nec omnia in omnibus venerans judicium audacter adhibebat, quaedam probabat, quaedam improbabat, adeo ut, quin in alicujus magistri verba juraret, judicem se gereret magistrorum. Etenim indignum arbitrabatur hominibus, quorum mentem rationis splendor illustraret, quod Accursio, Bartholo, et Baldo, non secus parerent, ac pueri paedagogis ex nimia reverentia consueverunt: liberque animus, qui veritatem propria intelligentia cognitam complecti, non ex aliorum auctoritate absconditam venerari apud se statuisset, ad Catonis exemplum se composuit, qui, adhuc puerulus, non prius obtemperasse fertur, quam nosset jussionis causam; nec ullam unquam et ipsis scholarum principibus fidem adhibuit, nisi reddita idonea ratione. Illis, quippe ingenio et doctrina praestantissimis, magnum semper habebat honorem; sed cum homines, non Deos, existimaret, suae prudentiae esse rebatur si animi penderet, donec dubium evanesceret ad distinctam rei cognitionem, si abscondita investigaret, an forte felicius laboraret, quam qui antea quaesiverant. Ecquis hanc sapientissimam cogitandi rationem in adolescentulo facile crederet? et hunc adolescentulum censeret eo vixisse tempore, quo ars veritatis indagandae ineptiarum erat plenissima? Illis ergo non minorem agnoscite virum, qui quum prima aetate iisdem tenebris involverentur, quae ceteros excaecabant, et in adolescentia iisdem praejudiciis constringerentur disciplinae perversae, quae animos hominum a vero longe abducebat, mox suae intelligentiae et rationis virtute, umbris discussis, vincula ruperunt male ante captarum opinionum, et secum ad clarissimam rerum cognitionem assurgentibus ceteros evexere.

Quod vero conjectura ex plurimis ingenii monumentis, et penitus cognita animi sui propensione in legum sapientiam auguratus fuerat Camillus Plautius, scilicet, ut cum aetas ferret, amplior meliorum

fructuum foecunditas exuberaret, anne putem felici eventu probatum? Si mihi cum iis res esset, qui nescirent quantum cum in rebus civilibus, tum in literariis, in illis ad societatis humanae bonum, in hisce ad scientiarum incrementum, valeat varia rerum conditio in singulorum temporum varietate, jam profecto ipse me eo in loco positum intelligerem, unde pedem parum honeste proferre possem. Verum quum prudentissimos alloquar, qui ex rerum experientia cum propria, tum majorum, didicere in certo quodam rerum statu contingere, ut circa quaedam vim omnem suam animi exerant, et qui quantique sint, tam in suscipiendis, quam in sustinendis rebus, ostendant; hinc mihi vobis satisfacere videar, si reponam nec tempora, nec vitae posterioris institutum, et id genus cetera, fuisse ejusmodi, quae civem nostrum legum scientiae totum permiserint, et saepe scribendi occasionem dederint. Reversus enim Sardiniam, et in Clerum hujus Ecclesiae metropolitanae cooptatus ad rem religiosam debuit animum convertere. Interea miserrimae conditionis non ignarus, in qua ex fatorum malignitate ab eo tempore patria versabatur, quo fuerat infeliciter ab Italia avulsa et distracta, nec animo aequo suam ignobilitatem patiens, quum in acerbissimo Arquerii interitu, rerum sardoarum illustratorem defuisse intelligeret, ejus sibi partes magnanimus assumpsit, et quod ab religiosarum rerum negotiis vacabat, partem temporis ipsi nobilitandae tribuebat. Quum tamen in novo vitae instituto locus iis legibus versandis fuerit, quae canonicae et pontificiae appellantur, non mihi temere censendum eum et in iisdem se multum exercuisse, et plurima, ut tractantes solebant, ad rerum occasiones scripsisse. Atque hoc tempus esset eorum laudandorum, et libenter laudarem, nisi infelici temporum conditione factum esset ut jactura irreparabili haec legum scientia amisisset praesidia, et literatura nostra totidem ornamenta. Vix ad nos commentationis cujusdam memoria pervenit, quam, quum in Archipresbyteratus dignitate fulgeret, misit ad Alphonsum De-Lorca (*anno* 1588.) Romae versantem super celeberrima inanique quaestione de Sardiniensi primatu inter Archiepiscopum Caralensem et praenominatum Archiepiscopum Turrensem, qui se ante omnes ausus erat principalem gerere sacrorum Sardiniae pontificem: nec praeter hanc dissertationem aliud indicare datum, quam constitutiones synodicas, quae ad disciplinam ecclesiasticam, temporum, ut ajunt, injuria, aut hominum, ut verius loquar, mala voluntate, labefactatam, ab ipsius prudentia juxta Evangelii normam, et SS. PP. praescripta (*anno* 1591) fuerunt positae in Congregatione Sacerdotum Ecclesiae Bosanensis non multo post Episcopatus auspicia, et Dioecesis visitationem.

At si ipsius gloria, quippe hominis legum sapientiae consultissimi, nec multum videatur pervulgata, propterea quod in juris dumtaxat peritorum cognitione comprehensa definiatur; nec perpetua sit futura, quum vetustas omnium fere anteriorum nomina aboleat, et vivacior posteriorum splendor illorum lumina vincat, ad subtiliores recentionum cogitationes quasi vilescentibus veterum cogitatis: nihilo minus aliae Farae supersunt honoris causae, et quidem ejusmodi, quae semper valeant; hinc nullum unquam tempus adfuturum arbitror, quo nomen ejus ex nostrorum literatorum memoria labatur; quin, si faveant superi, auguror illi honorem habituros non solum qui in Italia, sed et qui in universa per orbem literarum rep. comprehenduntur. Jus enim, quod studio assiduo patriae rebus cognoscendis et tractandis ad nominis immortalitatem nactus est, tamdiu vigebit, quamdiu id genus literae erunt in honore, et plurimi aestimabuntur, qui cum ante omnes, diligentia admirabili, et voluntate solidissima, tum felicissime antiquitatem gentis et recentem statum illustraverint.

Apposite hanc multiplicem conditionem mihi retulit cogitatio, super quibus tanta civi nostro laus construatur, quanta super iisdem constructa primis eximiisque historiarum scriptoribus, et iis, qui nunc *Statistici* vulgo appellantur. Profecto quem vel ipsi adolescentuli intelligunt, quum Farae nomen auribus percipiunt? Forte quidem nescient quantum ipse fuerit juris peritus; sed nemo erit quin noverit patrem et conditorem sardoae historiae.

Fallar si eum primum inter nostrates asseram, qui historiam patriam concinnaverit, et gentis nostrae originem, mores, vitae rationem, et res praeclare gestas literis commendaverit? Nonne fieri potuit ut ante ipsum opus perierit ab alio incoeptum? In quo non respicio tempora remotiora. In iis enim suas históriás Sardiniam habuisse mihi est probabilissimum, et erit ceteris credibile, si meminerint genus Sardorum primum ab Etruscis, qui prae reliquis Europae populis erant excultiores; tum suas hic posuisse sedes Phoenices et Graecos; postea gentis imperium habuisse Carthaginenses; et tandem Romanos: unde ratiocinari licet non paucos in praedictorum dominatorum temporibus Sardiniae extitisse homines literatos, in iisque aliquot, qui patriae amore incensi patriae laudes narratione rerum gestarum sint complexi. Cujus rei argumento mihi sunt, quae protulerunt de antiquissimo Sardiniae statu, qui ex graecis et romanis res nostras attigere: quae profecto non aliunde poterant, quam a sardorum monumentis hausisse. Sed vel temporum injuria rerum veterum monumenta eripuerit Sardoni, vel ab eo primum sint confectae historiae nostrae, nobis princeps erit Fara nostrorum historicorum.

Cujus principatus gloria multo fit illustrior et a studio, quo incendebatur, et a laboribus, quos sua constantia pertulit, et a difficultatibus, quas sua virtus superavit. Aliter enim Farae contigit, ac plerisque, qui auctorum splendidissimo nomine exornantur, quin tamen ulla re humanas cognitiones auxerint; qui ab aliis tractata retractantes, et confundentes, libros ex libris conflant: aliter ei quidem contigit, cui in assidua lectione ex infinito auctorum numero pauca essent expiscanda, tota vetustas excutienda, et in colligendis et componendis quae excerpsisset, tum adlaborandum studiosissime, cum sibi rerum veritatem ipse assecutus videretur. Atque haec vehementer affirmans non ab alio rem nimis amplificare dicar, quam ab eo, qui historiographum nostrum minime noverit, eumque quae affabre congessit, ex graecis, romanis, italis, gallis, germanisque scriptoribus, laboriose congessisse; nec iis tantummodo qui temporum, locorum, hominum, rerumque gestarum memoriam literis commendarunt, sed ex ipsis philosophorum commentariis, et poetarum carminibus. Quibus sunt quae adjungamus, alterius generis monumenta, ii nempe Codices vernaculo idiomate exarati, qui *Condaghes*, aut Condacia, ut in latinitate barbara, sunt appellati. Magna quidem ejus in diuturnis negotiis perseverantia, nec minor animi virtus in eorumdem difficultate. Scio multis licuisse ut in commoda conclavis quiete scriberent historias; quod Farae non licuit, cui Italia et Hispania, nec semel, fuit peragranda, ut tabularia scrutaretur, et scriptorum libros perquireret. De quo nemini dubium erit intelligenti paucissima Aragonensium, quorum maxime intererat posteros ignorare, quae Sardiniam afflixerant, fortasse nulla Pisanorum, monumenta apud nos remansisse, monachis primum ex tota insula, mox civibus Pisanis a Castro Caralis omnia secum avehentibus; et praeterea nondum arti typographorum tantum temporis fuisse, quantum satis esset veterum scriptorum codicibus ad commune commodum multiplicandis. Quamquam, ut quod sentio dicam, minus ipsi laboris in monumentorum historicorum perquisitione perferendum, quam in Sardiniae exploratione ad locorum, et rerum tam praesentium, quam praeteritarum, quae in iisdem continerentur descriptionem; quae propterea et in longitudine et latitudine, et in circuitu sinuosissimo, dimetienda, atque in populosis et cultis, in inhospitis incultisque regionibus, tam in aere crassiori per planitiem nunc humidam et lutulentam, nunc aestuosam et pulverulentam; quam sub frigidiore coelo per montium asperitatem, et vada periculosa fluminum, saepe fuit pedibus adeunda. In quibus peragrationibus quot quantaque sit ipse incommoda perpessus, quot quantaque pericula obierit alii nemini clarius intelligetur, quam qui hac aetate

etsi per vias planiores, et per pauciora et minora pericula, suis itineribus iverit.

Hisce tandem emensis itineribus, laboribus exhaustis, periculisque superatis, multiplex opus suum de rebus locisque Sardiniae feliciter conficiebat. Quae laus ex properata ejusdem consideratione facile probabitur.

In quatuor partes rerum nostrarum commemoratio distributa. Quarum prior omnem complectitur vetustatem a prima hominum memoria per longa heroicorum et historicorum temporum spatia ad annum in christiana chronologia quinquagesimum nonum supra septingentesimum. Continentur in parte secunda quae ipse potuit inventa collegisse diligentissimus antiquitatis explorator usque a Caroli Magni imperio ad extremam Pisanorum dominationem. Intervallo brevissimam tertiam historiae periodum invenies, utpote quae octoginta et trium annorum spatio concluditur, sed rerum magnitudine, factionum partibus nescio de quo decertantibus, populisque alienigenarum tyrannidi obnitentibus, a Jacobo II. ad Martini senioris tempora infelicissima, a cujus filio fractae in campis Salluritanis Sardiniae vires, populique coacti ignominiosae servitutis jugum sub ire. Occurrunt in parte postrema per regum Aragoniae et Hispaniae seriem, quae ex temporibus a Ferdinando I. ad Carolum I. digna posterorum cognitione existimavit; quorum nos plurima vel deploremus, vel detestemur; pauca admiremur, quae priscam in nostris hominibus virtutem illo tristissimo aevo non omnino extinctam, sed sopitam ostendunt.

Praedictorum quatuor librorum primus duntaxat proferebatur typis Caralitanis (*anno* 1579) in populum sardoum, mox in omnes Europae gentes Burmanni et Graevii opera: reliqui intus positi extremum limae laborem ab eo manebant, quam tamen nunquam sensere. Iis enim absolvendis praeclarum auctorem detinuere, cum sui muneris negotia in Canonicorum Ecclesiae Turritanae collegio, et officia Archipresbyteralis dignitatis, quae post pontificiam potior est in hac Archidioecesi; tum maxime studia illius famosae litis, quae magno animorum aestu in romana curia perorabatur. In quo si multum de pace corrupta homini christiano sit deplorandum; non minus erit civibus de impedimento dolendum, quod extitit, ne omnes incoeptorum partes expleret. Namque compositis rebus inflictum charitati vulnus in nova animorum consensione sanabatur; sed quod patriae et sardoae literaturae tum sublatum est, cum ab ejusmodi curis huic eximio ingenio tempora absumebantur, sane nullo pacto poterat reparari. Illo enim praesule absente, cui de vani tituli honore religio major, quam de suae dignitatis officio,

totum, quantumcumque esset, dioeceseos onus suis humeris erat sustinendum: eodem praesente, vel non minus ponderis illis incumbebat, et eo molestius, quod omnem sibi vindicaret laudem, cujus nomine, nisi numine, res gererentur; vel si ullam optimus Archipresbyter senserit imminutionem, pro ea, qua levabatur, parte laboris, plus debebat oneris subire, praeparaturus, de quibus deliberandum esset in concione Episcoporum Provinciae; quae, ut auctor est Vicus, anno octogesimo quinto supra seculum XV in hac urbe celebrabatur.

Sed virtutes inspiciamus, quae enitent in opere. Easdem vos admirabimini, quibus praeclarissimi quique exornabantur, qui de gentis suae rebus scripsere, diligentiam scilicet inventionis, inventorum distributionem, sententiarum rectitudinem, veritatis amorem.

Quota enim quaeque fuit vetus rerum ad nos quoquomodo spectantium memoria, quae ipsum fugerit, aut libris consignata scriptorum, vel plurimum, vel minimum, ab aetate sua longinquorum, vel in tabulariis gentium exterarum recondita, aut in lapidibus, et oppidorum castrorum urbiumque ruderibus nondum investigata? Hinc ad egregium virum Josephum Mannum paucissima sunt, quae plurimis a Fara congestis laudentur addidisse, qui inter hosce duos praestantissimos in trium fere seculorum intervallo de rebus nostris scripsere.

Rerum ordo nulli non probabitur. Quem quidem clarissime arguit facilis descriptorum intelligentia, quum nemo antiquitatis nostrae ignarus ad Farae historias accedat, quin satis ejusdem peritus ex unica lectione recedat.

Quid vero de opinionibus, in quas animum suum cogitatio adduxit? Hominem saepe visus sum videre, qui ex meliore aevo prodiisset: tanta felicitate in scriptorum sensis attingendis, in eo, quod verum esset, inter plurima, quae veri speciem praeseferrent, internoscendo, mens sagacitatis acerrimae, multaequae rationis, utebatur. Atque ipsi apud vos laudi erit ampliori, quod in immenso fabellarum numero, quibus Sardoae gente abundabant, in credulitate vulgi, quod infinitum tunc temporis erat, in stultissima persuasione, qua et plerique homines literati ex judicii perversitate imbuebantur, falsum a contrario saepe discreverit; nec ullam unquam et commentitiis illis narrationibus fidem adhibuerit, quae ad nostram aetatem permansere; cujusmodi sunt quae novimus de hujus urbis origine, et quae admirabilissima quidam homines Bosani, ceteris sardis subridentibus, praedicant et insolentius verbis efferunt de illa suae Calmediae *utopia*.

Jam ad id veniamus, quod caput est, ad veriloquium auctoris.

De hoc nonnunquam questi sunt exteri homines quod in rebus narrandis suae potius et suorum popularium voluntati, quam veritati et justitiae, scriptores nostri studuerint, quidam formidolosi ex animi exiguitate, quidam ut, vel gentis suae dignitatem exaggerarent, vel municipum favori velificarentur, ex ostentatione, aut ambitione, quidam, qui dominos sibi conciliare vellent, ex assentatione turpissima. Hujusmodi injuriae, si non possum, quin plerosque ex nostris fatear astrictos, spero Faram vel esse integerrimum omnium suffragiis laudandum, vel in levissimis sontem ex aequo et bono, respecta communi hominum conditione, veniam a vobis impetraturum. Atque hoc velim animum vestrum subeat, quod tum ad scribendum ipse aggressus sit, cum scissa in duas partes Sardoae familiae unitate, hinc atque illinc impii fratres debaccharentur; iique et literatis hominibus minaces imminerent, qui sibi quiddam ipsa observantia amplius arrogarent; et propterea suis laudatoribus fausti, eo animo censores paterentur, quo passi sunt Arquerium, quem usque et Sardiniae et Hispaniae insectati sunt, dum impulerint in exitium.

Quum ergo et in Fara, et in suarum historiarum commentariis, tot splendeant tantaeque virtutes, quot quantisque historicorum principes honestantur, et ipsorum scripta maximo habentur in honore; equidem nemini, nec rerum, nec personae, dignitatem transcendere videbor, si opus suum ex tanta auctoritate loci et maxime antiquum patriae gloriae monumentum commendem, et uberrimum purumque fontem, unde omnis semper ab omnibus derivata rerum nostrarum cognitio, quotquot de rebus sardois usque ad Thomam Napolim scripsere; ab iis etiam, qui verbis invidiae plenis, o incredibilem arrogantiam! illum petere sunt ausi, genus plagiariorum, quos cum latronibus exaequem, qui, quem expoliaverint, verterent et trucident. Ex quo ipsi jus meritumque, et meis partibus officium justum, debitumque pium, ut in hac tanta summorum hominum celebritate eum illa vulgari salutem nobilissimaque appellatione. Patris et conditoris Sardoae historiae.

Optime mihi intellectum me in praesentia laudatorem, non judicem agere; cum tamen, si ex celeri circumspectione, nec longa consideratione constet quae peccavit esse ejusmodi, quae vix natura humana cavere possit, honestior de eodem animis vestris opinio sit concipienda; hinc operae pretium erit, si notem quae reprehendenda videantur, eorumque pondera suis momentis perpendam.

Atque ad duplex genus animadvertenda revocabo; ad materiam videlicet, et ad tractationis modum.

In primis non probabo quod historiam gentis e nimia longinquitate exorsus se in obscurissimas vetustissimorum temporum tenebras

intulerit, nullo facem praeferente, nulloque docente, nisi qui ab illa antiquitate plurimis seculis abesset, nec alterius lumine eam potuisset videre illustratam. Et quantum a sapientium praescriptionibus, et critices norma hisce in rebus defecit; tantúmdem et defecisse visus est, quum majorem, quam satis esset, poetarum fabulis commentisque vetustatis auctoritatem adjungeret. Nunquam ego temere ausim negare vera nonnulla illis fictionibus involuta; sed propterea intra quosdam fines consistendum opinor, nec dum omnia pro veris venditantur, lectores qui sapiunt scribentis stultitiam irrideant et hebes ingenium despiciant.

Nec colonos Sardiniae enumeranti minus ero severus. Tametsi quid concedendum sit temporibus, quibus plurimae vigebant vanae opiniones: et satis esse debeat, quod nisi omnibus, quas a puerulo doctus fuerat, et gens tota tamquam certissimas habebat; at saltem plerisque historicam narrationem exuerit. Quod vero nulla possit excusatione minui, adeo colonorum hujus terrae auxit numerum, ut omnino demirentur qui hominis prudentiam noverint. Praeteream quorum immigratio vel mythistoricorum literis, vel veterum gentium monumentis, vel alia quapiam conjectura sit probabilis: quî vero pati possum plerosque in plurimis, quos auctor in primo historiarum libro, iterumque in primo Chorographiae (art. III. pagg. 19. 20) appellat, propterea ad Sardiniae populum totidem accessiones attulisse dictos, quod ad mercium mutationem, et fructuum a variis regionibus allatorum, et operum ab humana industria elaboratorum, communicationem inter gentes, maria per quoddam temporis spatium continuis longisque navigationibus percurrerint? Haec ipse reputo scriptori *Sardiniae-sacrae* caussam dedisse, cur hoc opus reprobaret, utpote in quo, ut superlatis illius verbis utar, *mare coelo*, *vera falsis* miscerentur. Quae sententia si possit aequo acerbior videri in particulam libri primi, veluti temeraria falsaque damnanda est in reliquas, ceterosque libros, quos hujusmodi vitiorum immunes, et puros comperisset, si non fugientibus oculis, sed animo attento et integro narrantem esset prosecutus. Sed inter eos etiam, qui sapere existimantur, quotus est quisque qui sententiam retineat, donec rem penitus introspexerit, et undequaque considerarit? Omnibus hoc vitium, tantumque suo ingenio singuli confidunt, ut sibi ad judicandum satis esse ducant, cum celeri lectione unam vel alteram operis partem exploraverint.

Sed ad me redeam, que verbis claris profitebor mihi ingratissima fuisse quae identidem occurrunt, quandoquidem nullius sint momenti, nihil vel ad hominum illius aetatis mores arguendos, vel ad posterorum prudentiam, vel ad gentis gloriam conferant. Mihi haec

supervacanea graviter ferenti, et ad inutilia subirato, mox dolendum quod plurima praeterierit, et nullis mandaveris literis, quae nos juvisset cognoscere de varia populorum Sardiniae conditione in mutabili regentium politica, de religione, moribus, artibus, mercaturis, legum utilitate, illorum integritate qui judicia exercerent, dominantium studiis, optimatium deliberationibus in comitiis decennalibus, et demum de rebus gestis illustriorum ex plurimis Regibus, quibus tetrarchia sardoa creverat et floruerat. Est aliud etiam, cujus me pigeat, studium scilicet, quod in ipso apparet, privatae gloriolae. Id enim sapiente indignissimum, qualem decet historicum esse. Qui in suis narrationibus tum laudem meretur, cum in hanc, non magis quam in illam partem se inclinat, nec ullis rebus afficitur, ne ipso quidem, sit verbis venia, patriae amore, quo quantum civis laudandus, tantum is vituperandus qui ex narratoris et judicis officiis in unam veritatem et justitiam debeat intueri.

Quid denique de scribendi ratione? Eam ipse adhibuit, quae annalium confectoribus, non historiarum scriptoribus, est usurpata. Ex quo fit, ut jure summo secum agenti eum componere non liceat in splendidissimo et amplissimo ordine historicorum. Perperam enim hoc nomine appellares, qui nuncium tantummodo vetustatis ageret, et temporum testem, nec se vindicem virtutis, injuriarum publicarum ultorem, perversarum opinionum condemnatorem, et, quod praecipuum maximumque est, vitae magistrum, et judicem actionum, praestaret, nullamque cum super populis, tum super rerum publicarum moderatoribus censoriam auctoritatem exerceret. Porro nemini non patet eum, qui raptim rerum monumenta contingit, et facta simpliciter narrat, nec posse posteros prudentiam docere, nec ad honestatem animos informare. Hinc dictum praeclare a Tullio summi tantum Oratoris esse historiam scribere; quod verius cuique videbitur, si eorum, quae oratori summo sunt attributa, memoria repetatur. Quam brevissimam Farae elocutionem aegrius ii ferent, qui illum ex certis argumentis noverint et latini sermonis puritate, et vi sententiarum, et numerosa orationis compositione, nemini aetatis suae secundum.

Hic tamen ne partem ego laudatoris agens ullam ipsi videar inferre injuriam, quod turpissimum esset, nedum assurdum; juvat idcirco vos admonere a mea animadversione non totum opus, sed particulam dumtaxat contingi, eamque periodum, qua comprehenderentur quae ille cognovisse poterat cum ex experientia propria, tum ex nostrorum scriptis, et eorum memoria, qui res, aut vidissent, aut ab iis accepissent qui viderant. In ceteris autem quae ex testimoniis nec claris, nec integris noverit, quin vitio ei detur, quod se a multiloquio temperaverit, inde ipsi nova crescet laus, quippe hominis prudentissimo.

Pauca haec vitiosa, quorum pleraque et in maxime laudatis antiquorum temporum scriptoribus reprehendantur, non magis debent civi nostro obesse ad honestissimam famam, quam illis obfuisse novimus, qui eadem peccarunt: quae etiam si cum virtutibus comparentur, quas laudatione recensui, minimi ponderis esse experiemur. Quibus hoc addam, quod primis rerum auctoribus plura ex aequitate sint condonanda, quam posterioribus: propterea quod si perperam et temere quis offenderetur omnibus nondum absoluta numeris animadvertens, quae jampridem condita, arte plurimorum meliora sunt reddita in dies; profecto amens erit qui ab operis conditore hanc postulet absolutionem. Quamobrem nihil iis, quae nuper notavi, obstantibus, idem mihi de Fara ferendum est judicium, quod verbis honorificentissimis latum novistis a praeclarissimo Sardiniae historiographo, et eadem laus, qua illum dignabar, majore praeconio redintegranda.

Nunc ab historiarum libris ad chorographiam mecum descende.

Hanc duplici parte compositam videbis; in quarum priore ea afferuntur quae in terrae Sardoniae, et populorum, universitate consideranda sunt; in posteriore, ubi descriptio instituitur partium singularum, sub antiquissima totius insulae partitione in quadruplicem toparchiam, toparchiarum in dioeceses, dioeceseon in regiones, partes, *judicatus, curatorias*, vel *incontratas*, ut varie, pro locorum varietate a nostris majoribus usurpatum, quidquid habere, vel habuisse Sardinia existimabatur, brevi sermone proponitur.

Cujus operis tanta mihi apparet excellentia, ut ipsi ignoranti quo aevo floruisset auctor, non ad seculum decimum sextum, sed vel ad haec nostra, vel his proxima, tempora referrem. Rerum dispositione nihil excogitaveris ad perspicuitatem aptius; tum ea intelliges delecta, unde satis commoda et terrae et gentis universae in eo inseratur cognitio, qui utramque velit ex brevi lectione habere perspectam. Multa sane deesse videntur; multa quippe sunt, quae novisse desideremus; ea vero vel nulla tum fuisse putabo, vel nulla sedulitate nulloque inquisitionis studio auctorem potuisse invenire, ut forte comperisse non potuit quot ea aetate hominibus gens universa constaret. Neque se adeo intra statum continuit, quo scribenti res obversarentur, ut, quum se occasio offerret, praeteritam earumdem conditionem in sua scientia non intueretur, et intuendam lectoribus praeberet. Ex iis enim, quae passim de longinquiore vetustate proposita sunt, tantum luminis emicat, quantum sit satis ad veterem Sardiniae geographiam mediocriter cognoscendam: ex iis vero quae de aevo minus dissito narrat, multo plenior et illustrior rerum sardoarum cognitio efflorescit; quum non modo urbes, castra

pagi, atque oppida, commemorantur, quae adhuc extarent, sed et quae jam pridem interierant, pauciora profecto ex Saracenorum armis, Africanorum saepe irruentium furore, perpetuisque Ligurum cum Pisanis, regulorum, alterius cum altero, contentionibus cruentissimis; quam pestilentiae vi, et malo quodam, quod esset ipsa pestilentia pejus. Quamobrem vere dicere videbor universam et veteris et mediae et recentioris aetatis chorographiam fuisse Faram in hoc opere complexum.

Quin idem nunc ego nasute distringam? Peccavit quidem Fara et in chorographia subinde; nam usque peccant homines, et quique de plurimis peritissimi; sed asserere non verebor, eum, si quandoque oscitans hallucinatur, saepius recta procedere expedita et profluente celeritate; pluraque in eo esse quae niteant, quam maculae; plura quae laudentur, quam quae sint reprehendenda. De quorum genere mihi cogitanti visum minus ipsi pleraque esse tribuenda, quam scientiarum conditioni nondum barbariem veterem exutarum.

Quae quum ita sint, eum ego ex chorographiae commentariis non minore laude dignum praedicabo, quam propter conditos annales consecutus sit; et quo Patrem Sardoae Historiae, eodem jure pro hac solemni concione Conditorem salutabo Sardoae Chorographiae.

Veteribus Farae laudibus comprobatis, nunc mihi vehementer sentio esse laetandum, quod aliam detur integrum adjungere, qua et ejus praestantissima dignitas amplificetur, et probri cujusdam ecclesiae nostrae objecti injuria deleatur.

Plura sunt, quae a quibusdam alienigenis hominibus vitio nobis vertantur, qui cum stulte mirentur gentem sardoam fatorum iniquissimorum malignitate per plurima secula vexatam, confectam, et pene consumptam, ab ea adhuc abesse conditione, qua ii fruuntur qui melioribus usi fuerint; tum nos stultissime redarguant, quod non jam pridem a miserrimae sortis afflictione erecti eo nondum multiplici decore exornemur, quo magnifice fulgent, quibus tempora currerint feliciora. Atque in eorum contumeliis puto vobis auditam et illam exprobrationem, quod nullus unquam ex clero nostro de rebus Ecclesiae Sardiniensis quaesierit. Equidem nunc non audeant inferre nobis tantae ignorantiae infamiam, quantam ipsi commemorant in Sardorum sacerdotum ordine vituperatam ab Arquerio, et ego novi complurium Ecclesiarum Clericis per eadem tempora improperatam ab historicis: audeant tamen opprobrare, quod, nisi seculo superiore homo ex Italia de religiosis nostrae gentis antiquis rebus nos docuisset, earumdem adhuc essemus ignari. Usque adeone ex ignorantia ineptire, ex superbia conviciari licet! Iis hominum contumeliosorum vocibus ea sunt identidem reddita responsa, quae in-

flatos animos compressere; sed minus actum, quam jus et opus erat; nec ecclesiae nostrae dignitas ab injuria, nec Farae laus ex hoc merito ab hominum oblivione et silentio vindicata. Quo ego nunc contendo, continuoque perveniam, si illum in iis, qui de sacris sardorum scripserint, primum demonstrabo.

Ergo revolve de rebus sardois commentaria, eumque comperies, quum cetera colligeret, quae ad Sardiniam pertinerent, et illa undique contulisse, quibus nostratium religio ab apostolicis usque temporibus, nec minimum, illustraretur. Habes in evulgata historiarum parte ad seculum octavum quotquot superfuere rerum ecclesiae nostrae monumenta vel in actibus martyrum, vel in ecclesiasticis illius aevi scriptoribus. In quorum complexione ei non exigua seges suppeditaretur, qui rebus divinis Sardorum intra definitam periodum describendis studeret; qui quidem plurima haberet, nempe martyrum confessiones; populorum ab Phoenicium, Aegyptiorum, et Romanorum superstitionibus traductionem ad sacra christiana; praeclariorum episcoporum, aliorumque nomina, qui bene de Christo sint meriti; bellum in Catholicos ab Hunnerico; relegationem tercentorum episcoporum ab Africa exterminatorum, mox aliorum ducentorum indidem expulsorum; Fulgentii Ruspensis ad D. Saturnini commorationem, et monasticae vitae institutionem, Coelio Symmacho homine ex Sardinia P. M. universalem Ecclesiam moderante; gesta alterius Sardi, qui in Petri successione auctoritatis in res divinas supremae summo cum honore dignitatem sustinuisse laudatus est; Barbaracinorum avocationem ab antiquis ritibus ad fidem; denique Ecclesiae nostrae conditionem D. Gregorii temporibus, templa insigniora, episcopos, legatos apostolicos, seu defensores, coenobia, aliaque sexcenta, quae ex ejus epistolis discere posset.

Haec satis essent ut et Sardiniensi Ecclesiae, et Farae, tota ex dignitate laus constaret; sed, cum liceat, illud superaddam opus omnino religiosum, quod ipse elucubratus est, et paucissimi norunt ex nomine « De ecclesiae sardoae martyribus, ceterisque, qui in ea postea « floruere, praeclaris sanctitate viris » qui liber, injuria illi abjudicatus a quodam ex nostris, jure nunc adjudicabitur a me ex duorum scriptorum auctoritate. Namque et illustre Vici testimonium de eo patet, qui dubium quodcumque peremit omnia ingenue professus se ab Fara mutuasse tam sacra, quam profana: et hujus fidei satis additur momenti ab anonymo auctore libelli ad P. M. *Super Caralitanorum religione erga D. Georgium Episcopum Barbariensem*, a quo verbis disertis omnia Dymas Serpius derivasse dictus est, quae in opere *de Sanctis Sardiniae* obtulerat probabilia.

Quibus omnibus quum confirmandus sit honos eidem attributus,

quippe in scriptoribus sacrorum Sardiniae principi, per me praeclarissimus iste ex Clero sardoo vir, atque gloria dignissimus ampliore, quam ea, qua hucusque honestatus et potitus est, illam consequetur laudem, quae a quibusdam exteris hominibus ex anticipatae opinionis iniquitate, a quibusdam ex nostris ex turpi rerum nostrarum ingnorantia, in Matthaeium est conlata, perinde ac si omnium ille primus ad religiosa sardorum accessisset. Sit unicuique jus suum. Nimirum ego Matthaeium laudabo, ipsique gratiam habebo, quod omnia nostrae gentis sacra uno volumine complexus et plurimis additamentis auxerit, et in rerum obscuritate quandoque illustraverit; sed Farae merenti primos honores deferam, qui primus, materie undique conquisita et conlata, hoc argumentum occupaverit, et Vico praebuerit ut nova superstrueret; a quo didicisse constat Matthaeium, discipulum sane, qui, ut est plerisque ingenium, non modo ingratus, sed et impius extitit in utrumque magistrum.

Tandem benignitate vestra, qui usque me animo toto prosecuti estis, oratio provecta pervenit quo cursus erat; et hic possem a dicendo quiescere: sed quum vobis jucundissimum intelligam, si de praesenti MSS. Farae conditione pauca loquar; puto et observantiae et obsequii mei erga vos si vestrae obtemperem voluntati, etiamsi in rem incidam molestissimam.

Me de ipsius commentario super martyribus ceterisque viris sanctissimis, quos sardorum religio colit, verba faciente, credo vestrum plerisque, qui nihil unquam de illis acceperint, intellectum eadem fortasse amissa. Quod si contigerit, haec sane jactura usque erit deploranda, quam nec Johannis De-arca, nec Dymae Serpii, labores valent compensare; quemadmodum nec opus Vici pro Annalibus et Chorographia, si interiissent, satis esse videretur. Equidem eorum lucubrationes tantum ab operis praestantia a Fara concinnati abesse puto; quantum hunc illis et ingenio et judicii severitate, nec non et multiplici eruditione, constat praecelluisse. O sortis stultitiam! Utinam eam mihi superi darent facultatem, ut haec indignissima emendarem. Nae, quae illa servavit flammis abolerem.


Neque ex una hac causa mihi de ejusdem perversitate querendum. Quae, ad nos transmissis aliquot quorumpiam commentariolis, in quibus nihil intuearis quod ingenium scriptoris laudet, et invenias quo tua cognitio augeatur, pleraque, multis ante nostram aetatem annis, ut nuper admonui, suppresserit quae in legum civilium et canonicarum interpretationem ipse elucubraverat et quum aetate ineunte legum prudentiae antecessores peritissimos audiret, et quum eadem confirmata de utroque jure responderet.

Atque est etiam cur doleamus de tribus historiae, et duobus cho-

rographiae libris ineditis. Quos si receperimus usque adeo corruptos depravatosque cognoscimus, ut plus operae in turpitudine eluenda ponere debeat, qui indignam egregii auctoris conditionem miseretur; quam debuisset alius ab Hercule in abstergendis Augiae stabulis. Amisso chirographo, quae omnia extant exempla et ab iis videntur confecta, qui nihil vel parum noverant latini sermonis; et ab illis, qui eodem erant eruditissimi nunquam perlecta. Scatet mendis historia; pluribus abundat chorographia, et quum codices, quotquot invenire licet, secum conferas, non multum proficies: ut proinde ei qui ab hisce, non dicam, maculis, sed foeditatibus, velit lectionem vindicare, non minus fortasse laboris perferendum sit, quam ipse auctor debuerit pertulisse. Historiam enim non poteris emendatam et pleniorem offerre nisi ad fontes recurras, unde hausta; chorographiam numquam ad nativum sincerumque colorem emaculabis, nisi et loca descripta explores et populorum traditiones, et quae supersunt monumenta. Tot tantaque vulnera operi utrique sunt imposita ab oscitantium bibliographorum inscitia, ut iis sine sedula cura, labore assiduo, constantique voluntate, nemo queat mederi. Nec possum, sapientissimi Patres, quin doleam, quum eorum tristissimorum temporum mihi venit in mentem. Proh rem incredibilem! Tanta ergo et in iis, qui gentis gloriae multum studere laudabantur, erat socordia et incuria, ut de hisce, unde plurima laus esset patriae, evulgandis et a turpissima mendorum impuritate tuendis, nunquam cogitarint? In quo vero dies aetatemque omnem transigebant qui se ostentabant et antiquitatis et veterum gentis scriptorum literate peritissimos. Quippe rerum majorum studiis exercebantur, neque ad ea quae pacis erant se poterant divertere a bello. Bellum scilicet, genus quoddam belli civilis et religiosi jam a Farae aetate exarserat, nullisque vel brevibus induciis furèntes animi defervebant. Hinc ex Clero nobiliores viri, hinc ex populo selectissimi quique contra par genus conviciis, maledictis, calumniis, pugnabant ignavi: furor arma ministrabat; eodemque loco, dolum et virtutem, verum et falsum, dementes ponebant. Cur tanta animorum commotio? Ad patriae dignitatem, decusque servandum, effutiebant partium adversarum homines, patriam existimantes angustam quamdam terrae regionem, moenia, domus, prata, non ipsam societatem, ejusdemque membra iisdem legibus vincta, eodemque nomine appellata. Interea ad perniciem patria ruebat, iis gaudentibus, quibus prodessent dissidia nostra; nec non et decus omne patriae interibat, eam alienigenis hominibus despicientibus, qui hos municipes ex alterius partis obtrectationibus, illos ex hujus partis contumeliis probrisque pro nihilo putarent.

Sed cogitationem ab infaustissimis temporibus ad meliora avocabo, ne crudelissimi doloris vis diutius animo meo sit perferenda. Verum frustra: nec, si irarum municipalium furor charitati civili jampridem cessit in ingenuis et sapientibus hominibus, qui amoris et conjuntionis bonum, quantum par est, reputantes, indignabundi stultissimos et ignavissimos, qui odiis adhuc certant, veluti societatis pestem detestantur, et iniquos in patriam ejurant, sorte pariter datum est, ut illa, de qua querebar, rerum nostrarum incuria et negligentia, studio et diligentia emendaretur. Heu deplorabile fatum! quia majoribus simillimos tulit aevum nepotes, atque vel rapitur summo viro laus, vel amplius denegatur gloriae ornamentum, quo dignus est. Equidem venerabor Jos. Cossum hominem patriae amantissimum, sed non laudabo aequissimum, qui quum pleraque in sua Chorographia a Fara exscripserit, mendosa etiam, et quae nunc sint rejicienda; tamen illi nihil visus est tribuisse. A qua iniquitate nec abfuit ipse Thomas Napolis; quin eam quandoque acerbus animadversor, importunusque censor, indignis notis fecerit pejorem. Praedicabo J. Fr. Simonium virum et scientia, et patriae amore plurimis praestantem, qui duplici evulgato libello *De rebus Sardois* (*anno* 1786-1788) et libros Farae MSS. ab Alberti Solinas exscriptione addidisset; sed illos condemnabo, qui ab eodem Simonio ut sibi adessent pecunia exhausto, suisque subsidiis incoepto faverent, appellati, surditatem simularunt: unde accidit ut viro egregio procedere non licuerit quo animus erat. Quae an ejusmodi sint, ut de iis ego et vos mecum dolere debeamus, vestrum sit judicium.

Ast ad leniendum animi nostri dolorem spes dulcissima affulget tempora, quae jam Sardiniae adventant, multo feliciora esse futura. Atque hoc erit procul dubio, Juvenes ornatissimi, si vos majoribus dissimiles ipsi praestabitis erga summos viros, qui in gentis honorem, et commodum laborarunt; atque praeterea si in id intendatis, ut eorum exemplo ingenia vestra floreant, patriaeque pariant utilitatem, et gloriam. Dixi.



ELENCO

DE'

SIGNORI ASSOCIATI

Torino

Lascaris di Ventimiglia march. D. Agostino, commend. dei SS. Maurizio e Lazzaro, consigl. di Stato, presid. della R. Accad. delle Scienze ecc. *per copie* 50

Cagliari

Atzeni P. Girolamo delle sc. pie
Baïlle Cav. D. Ludovico cens. della R. Università, presid. della R. Bibliot. ecc.
Baïlle D. Faustino dot. in leg., can. della primaziale
Baïlle P. presentato Antonio commend. de' Mercedarj
Ballero avv. D. Francesco *per copie* 2
Bernardi teologo colleg. Agostino parr.
Borgna avv. Gio. prof. di LL. Civ.
Bua Gio. Maria
Busu Stefano applicato al Commiss. di Guerra
Cabras Nob. D. Pietrino conte di S. Felice
Cappai avv. Odoardo
Caputo Serafino
Carta rev. Vincenzo
Casula teol. Efisio can. della primaziale
Ciampelli Gio. Antonio sottoten. nei Cacciatori Guardie
Cobocvich Matteo M. D. AA. LL.
Collegj delle sc. pie *per copie* 6
Corte D. Gio. Antonio

Corte Cav.
Corte P. Gaetano delle sc. pie soc. del colleg. di Filosof.
Cossu Giovanni dott. colleg., prof. onorario di Medicina
Cossu dott. in Leg. Giovanni parr.
Degiovanni Battista M. D. AA. LL.
Deidda fr. Pietro vicario degli Spedalieri
Delitala P. delle sc. pie
Deplano Antonio seminarista Trid.
Dessì P. M. Vittorio Pio priore dei PP. Predicatori
Dessì fr. Fedele Mercedario
Dessì Valeri P. Ildelfonso delle sc. pie
Fanari Antonio dot. in Leg.
Fattaccio teologo
Firino Efisio dot. colleg., prof. onorario di Chirurgia
Frau Raimondo
Frontello Pietro cons. ord.° del Monistero di S. Lucia
Ghersi prof. di Clinica Chirurgica
Graziani avv. Gio.
Guirisi D. Giovanni
Loj Gaetano avv. colleg. in Filosof.
Loj Fedele avv. colleg. in Leg.
Longu avv. Gio. Batta S. A. F. M.
Loriga Antonio soc. del colleg. di Filosof. can. della primaz.
Madeddu benef. Giovanni
Mameli avv. Cristoforo
Mannu sacerd. Giovanni
Manunta teol. Antonio can. della primaz.
Marengo avv. Carlo
Marini avv. Tommaso
Marramaldo farmac. Domenico
Marreddu fra Vincenzo P. let. dei PP. Pred.
Martini avv. Pietro
Massa medico Efisio soc. del colleg. di F. e B. A.
Maxia benef. Giuseppe
Maxia Salvatore
Medda fra Ignazio Ex Gen. e Vic. Gen. dell' Ordine dei Mm.
Melis P. presentato Franc. Ant. Mercedario R. capellano del Lazzaretto

Melis Gio.
Meloni Baille Giovanni dot. coll. di Medicina prof. di Storia Naturale
Montixi Gio. Batt. dot. col. in Leg. can. della primaz.
Mossa D. Vittorio
Mundula P. Diego delle sc. pie
Murgia dot. Antioco soc. del Colleg. di F. e B. A., can. della primaziale
Nonnis dot. in Med. Efisio prof.
Ortu teol. Francesco
Paderi D. Sisinnio
Padroni fr. Pietro P. lettore Mercedario
Pes Vivalda D. Domenico
Pili negoz. Pietro
Pilo Monca Antonio
Pisano not. Francesco
Pisu sem. Trid. Emmanuele
Plaissant Sebastiano
Porcu D. Franc. Maria dot.
Pruneddu avv. Antonio appl. alla R. Segr. di Stato e di Guer.
Puxeddu not. Agostino segretario
Puxeddu Pasquale
Radicati P. Giampietro pref. delle scuole pie
Sanna Giuseppe studente
Sanna Denti avv. Pietro
Satta Franc. impiegato nel R. Corpo del Gen. Civ.
Selis Ignazio
Selis avv. Ignazio
Selis sacerdote Francesco dot. in A. L.
Sepulveda avv. D. Giuseppe
Serra fra Massimo Provinc. Agostin.
Serra Sirigu avv. Pietro appl. all' Uff. F. G. P.
Siotto D. Giuseppe avv. coll. in Leg. prof. di Eloq. Lat.
Soggiu Michele
Spano teol. Giovanni prof. di S. Scrit. e Ling. Orient.
Sotgiu Francesco
Todde P. Michele delle sc. pie
Tola Cav. D. Gio. Ant. Giud. della R. Udienza

Unida avv. Luigi
Urru P. M. Efisio Mercedario
Vargiu dot. in Leg. Gio. can. della primaziale
Vargiu dot. in Leg. Pietro can. della primaziale

Alghero

Adami teol. Carmine pref. delle scuole, e prof. di Filosof.
Airaldo can. Agostino D. in ambe LL., pres. del Sem.
Arrica Monsignor D. Filippo Vescovo
Aru Raffaele stanch. magg.
Bene medico Agostino
Costa Antonio
Delogu sacerd. Salvatore
Dore teol. Felice
Galibardi teol. Pasquale can. penit.
Garibaldi neg. Carlino
Garibaldi negoz. Gio. Battista
Lostia di S. Sofia avv. D. Efisio Intend. Prov.
Peretti neg. Francesco
Ravenna Gio. Battista ricev. della R. Dog.
Vitelli neg. Nunzio

Anela

Sanna Giuseppe

Aritzo

Caputo avv. Michele deleg. cons.
Carta not. Salvatore
Loche not. Tommaso scrivano
Sanna dot. medico Giovanni
Vargiu Antonio Liberato rett. vic. foran.

Arixi

Ibba Raffaele rett.

Bannari

Cugurra teol. Salvatore rett.

Belvì

Todde Francesco Ignazio rett.

Bono

Bottino avv. Efisio, deleg. cons.
Ruju not. Luigi pro scrivano del Goceano
Satta Ecca Salvatore scriv.
Serra not. Giacomo scrivano
Sotgiu Giuseppe stanchiere magg.

Bosa

Pischedda Gio. Antonio v. parr.

Cabras

Simbula Gio. v. parr. in s. Sebast.

Cuglieri

Sanna Sechi Gio. Maria
Sini avv. Stanislao Intend. Prov.

Giave

Giudice Ignazio

Guasila

Sirigu Francesco rett.

Guilarza

Vargiu not. Gio. Battista scrivano

Iglesias

Cao D. Gio. Intend. Prov.
Cao D. Efisio Tesoriere Prov.
Deidda Raffaele segr. dell' Intend.
Mulas dot. Disma
Tanas medico

Isili

Conti P. Bernardino rett. delle sc. pie *per copie* 2
Satta sacerd. Nicolò v. parr.

Iteri

Oggiano Gio. Maria M. d' arti lib.
Tedde sacerd. Giannandrea

Lanusei

Delussu not. Giuseppe Ant.
Mameli Antioco esattore
Perotti sacerdote Antonio
Salis sacerd. Francesco vicario
Sciacca Francesco segr. dell' Intendenza

Martis

Spanu Michele dot. in S. T.

Nuoro

Carta Pinna baccel. Gio. tesoriere
Carta not. Michele segr. dell' Intend.
Puxeddu med. Giacomo

Nulvi

Cossu rev. Andrea
Fra Bonaventura Da-Nulvi def. Cappucc.
Olivia Michele flebot.
Sanna rev. Giuseppe

Orani

Manca vic. Giuseppe
Sechi Carta Giuseppe

Oristano

Atzori not. Gio. Antioco segr. dell' Intendenza
Atzori Raimondo pref. delle sc. pie
Carta dot.
Frassu dot. in Leg. Salvatore can.
Licheri avv. Francesco
Meloni dot. in Leg. Ignazio arcip.
Puddu dot. in Leg. Gio. Battista can.
Sigurani not. colleg. Carlo Maria
Soggiu dot. in Leg. Antonio can.
Tatti canonico
Todde Salvatore *per copie* 2

Ossi

Serra Virdis dott. Gavino

Otzieri

Airoldi sacerd. bacell. Gio. Antonio pro segr. vescovile
Campus Giuseppe
Carchero Monsig. fr. D. Serafino Vescovo
Madau teol. Antonio can. parr.
Manca teol. Gio. can. vicario gen.
Muculittu teologo Antonio

P. Andrea da Ozieri
Pischedda teol. Gavino, can. pen.
Prosperi sacerd. bacell. Salvatore
Seu Cocco teol. Gio. Maria
Virdis teol. Pietro, can.

Paulilatino

Cossu teol. Demetrio rett. vic. for.

Ploaghe

Camboni Sechi chierico Salvatore
Sini Gio. Maria

Sassari

Abozzi Luigi dot. colleg. di Filosf. e segr. dell' Università *per copie* 10
Agnesa teol. colleg. Salvatore, can. parr.
Arborio teol. D. Giuseppe
Areddu teol. colleg. Giannantonio *per copie* 2
Azzati Gian Martino
Baradat Fontana sacerd. Tomaso
Beka Gavino profess. nelle Inst. Med.
Borra dot. in Teol. e Leg. Gio. can. teol.
Branca Mela avv.
Camboni Giommaria
Canalis teol. colleg. Giovanni, pres. del Colleg. di Filos.
Cano teol. colleg. Gio. Antonio can.
Canu Gaetano stud. in Leg.
Casu Dettori Proto Michele studente
Casula teol. colleg. Gio. Battista rett. di S. Appolinare
Deligias Gio.
Delitala dot. D. Francesco
Delitala Giuseppe
Delrio dott. colleg. Pietro Paolo can.
Demurtas dot. Vittorio sacerd.

Demurtas chierico Leonardo
Demurtas Lorenzo
Demurtas medico Pietro
Denegri Francesco teol. colleg.
Dettori P. Basilio
Esperson sacerd. Luigi dot. colleg. in Leg.
Fiori Giambattista
Flores D. Vincenzo studente
Fresco Antonio studente
Gutierrez sacerd. D. Gaetano prof. in Teol. Scol. Dogm. e Stor. Eccl. *per copie* 3
Iddocchio prof.
Lado avv. D. Pietro
Lai Salvatore stud. in Leg.
Madao Bachisio
Manunta dot. in Leg. Giuseppe Ignazio can. *per copie* 2
Marongiu Giammaria
Marras Lorenzo bibliotecario
Marras Antioco
Martinelli Paolo
Mella di S. Elia can.
Mura teol. Felice prof. emer.
Mucculittu avv. Michele dot. colleg. in Leg.
Musso conte di Monte Santo
Pilo teol. colleg. Vincenzo Luigi rett.
Pinna Antonio
Pisano pro-dot. Giammaria
Polo rev. Antonio
Porcu Pier Michele
Quesada di S. Saturnino S. E. march. D. Raimondo, Min. di Stato, Cav. Gran Croce de' SS. Maur. e Laz., decorato del Gran Cordone, Cav. dell' insigne Ord. di S. Gennaro di Napoli.
Quesada avv. D. Francesco
Ruggiu dot. in Leg. Gio. dec. vic. gen. cap.
Salis avv. Pietro dott. colleg. in Leg.
Sanna Tolu Vincenzo avv. colleg. in Leg.
Sanna Stefano

Satta Agostino
Satta Gio. Andrea
Satta Cuadu Giuliano
Scanu Gavino
Sechi avv. Giambat. cav. *per copie* 30.
Sechi Diego M. D. AA. LL.
Seminario Trid.
Solinas cav. Pietro
Solinas Rafaele dot. in Leg.
Soro sacerd. teol. P. Dir. Sp. del Trid.
Soro benef. Tommaso
Spina teol. Emmanuele
Straullu Stefano
Sulis Franc. prodot. in Leg.
Sulis avv. Gio. R. prof.
Tealdi Domenico
Tola cav. D. Pasquale S. A. R. dei poveri presso la Reale Govern.
Tolu Proto
Villaminar dot. Pietro

Seuni

Serci Federico rett.

Simàxis

Atzori teol. Antonio rettore

Sorgono

Dearca sacerd. dot. Pietro Antonio

Sorso

Bugella dot. medico Luigi
Muxiga cav. Giuseppe

Tempio

Capece Monsignor D. Diego, Vescovo.
Usai P. Antioco pref. delle scuole pie *per copie* 2

Torralba

Fiori Francesco
Sanna Serapio

Tortolì

Satta dot. Giovanni can. teol.
Sechi Piras Francesco canc. vesc.
Maxia benef. Giuseppe
Murru Gregorio prodot. in Teol. can.

Tuili

Biosa teol. Leonardo, rett. for. vic.

Tula

Cubeddu rev. Gasparo vicario

Villagreca

Serci Giuseppe Maria rett.

Villamar

Mura not. Sisinnio
Taccori vice parroco Gius. Raimondo

Villasalto

Pisu Rett. Antonio

Perria not. Francesco



FARÆ

JOHANNIS FRANCISCI

SASSARENSIS

Tomus Secundus


CONTINENS LIB. I. ET II.

DE REBUS SARDOIS

EX RECENSIONE

VICTORII ANGIUS EX S. P.

R. T. S. A. S. A. L.



CARALI 1838.

EX TYPIS MONTEVERDE

Facta potestate.

ILL.MO D.NO D.NO

MICHAELI A MONCADA

COMMENDATORI

ORDINIS MILITIAE SANCTI JACOBI DE SPATA,

DE CONSILIO

SUAE CATHOLICAE MAJESTATIS DOMINI NOSTRI REGIS PHILIPPI

ET IN REGNO SARDINIAE

LOCUMTENENTI ET CAPITANEO GENERALI

JOHANNES FRANCISCUS FARA

J. U. D.

ARCHIPRESBYTER TURRITANUS

S. P. D.

Doctissimorum Virorum sequutus sententiam, Praeses Illustrissime, semper existimavi, rerum priscarum historiam, veterisque memoriae cognitionem magnos usus uberesque fructus afferre, iis praesertim hominibus, qui civilem, et pontificiam disciplinam adipisci cupientes utriusque juris scientiae strenuam dant operam, et vehementer insudant. Etenim per eam non modo, quae multis antea saeculis, ab infinitis prope hominibus gesta fuere, veluti subjecta oculis per paucissimos dies recognoscimus, et quod alii summo labore, magnoque vitae periculo, ac fortunarum experti sunt, in otio, atque umbra consequimur; verum etiam alia multa ad Juris interpretationem nobis suppedi-

tantur, quibus si careamus, in legendo, scribendo, et disputando inopes saepenumero, et indocti reperiemur. Equidem ex ejus ignoratione infiniti quidam errorum rivuli in nostrorum scripta inundarunt, id quod etiam in Accursio, et Bartholo hujus nostrae Philosophiae principibus saepe notari, et reprehendi vidimus: ideoque mirum videri non debet, si ego, qui hanc juris scientiam profiteor, bonos etiam historiarum authores summa cum diligentia, et impensa mihi comparavi, multumque temporis, et studii eos legendo, et pervolutando traduxi: nam et id feci exemplo Cassii jurisconsulti, et multorum Jurisperitorum, atque orthodoxorum Patrum Eusebii, Hieronymi, Isidori, Bedae, Orosii, et Antonini, qui summo studio, et labore historias legerunt, et scripserunt, et ex hoc mearum vigiliarum fructum cepi maximum, miram denique suavitatem, ac voluptatem, tam in legibus, et epistolis decretalibus interpretandis, atque explicandis, quam etiam in cognoscendis rebus a majoribus nostris praeclare in Sardinia gestis, atque legendis ipsius natalis soli laudibus, quas externi scriptores variis in locis sparsim, atque obiter literis consignarunt: dolui tamen et mirabile mihi fuit neminem unum saltem e nostratibus inveniri potuisse, qui antiquum Sardiniae statum, illius gentis originem, mores, et vitam, resque praeclaras justo volumine sit complexus, et ipsam patriam merita laude ornaverit. Quare nostrorum incensus amore, patriaeque laudis dulcedine, hanc provinciam suscepi, et majorum nostrorum historiam in fascem colligere aggressus sum, compendioseque duobus libris ab ipso ovo usque ad nostra tempora contexere, Sardiniamque ipsam veluti in tenebris consenescentem pro viribus in lucem vindicare. Itaque hunc primum librum jam elaboratum, omnique ex parte absolutum, quem multi non solum desiderarunt, sed

et vehementer petierunt, et efflagitarunt, nunc tuo jussu, tuisque literis impulsus, Praeses Illustrissime, in lucem proferre, et ad te mittere volui, tam ut tuae morem gererem voluntati, et tibi debitum praestarem obsequium, quam etiam ut de hoc libro tuum, caeterorumque subirem judicium, ut si factum consiliumque hoc meum probatum intelligam ad reliquum alacrior librum properem, quo tuorum etiam majorum gesta leges, eique extremam foelicius imponam manum. Ceterum non ignoro quosdam fore, qui volumen hoc ex multis auctoribus ita compactum, quasi ex alienis racemis factam vindemiam, calumniabuntur. Hos ego admonendos esse putavi, tot clara vetustatis monumenta, hominumque priscorum facta, quae divinari nequeunt non aliunde, quam ex veterum scriptis carptim deligi potuisse, in quibus si nimium eorum authoritati, et verbis inhaesisse videbor, sciant id ideo fecisse me ne ab historiae fide legentes abducere viderer, quando non modo eorum nomina, sed verba quoque passim allata agnoscerent. Accipe igitur. Praeses Illustrissime, hoc munus, qualecunque sit, veluti pignus, et monimentum meae erga te observantiae; quod quamvis sit admodum exiguum, ut tanto viro primaria nobilitate conspicuo offerri debeat; non tamen existimo illud tibi fore prorsus inutile, idque hoc maxime tempore, quo pro Majestate Regis Nostri Philippi summo cum Imperio, et dignitate Sardiniam regis et aequissime moderaris, quique insulam ipsam non sine magno labore, et vitae tuae discrimine terra, marique, aestivo tempore peragrasti, ut eam (quod optatissimum Christianissimo Regi nostro Philippo erat) praecipue turribus, ac gente bellicosa munires, malis hominibus purgares, et adpristinam ubertatem, et foelicitatem restitueres. Nam istarum tuarum actionum, totiusque Regni administrationis exempla ex summis viris hic liber tibi

suppeditabit, si horis succisivis, quibus a curis vacabis eum legere dignaberis. Quae si tibi non injucunda esse cognovero; operae precium me equidem fecisse putabo, et ad majores res, quae jamdudum prae manibus habeo, perficiendas vehementius incitabor. Vale,

Sassari idibus Julij 1579.

AD INSULAM SARDINIÆ IN LAUDEM AUCTORIS.

Insula de Libyco circum spumosa profundo
Hesperias inter concelebrata plagas,

Obruta Cimmerias sensisses pene tenebras,
Ni celeri clarus *Fara* caveret ope.

Ille tuos prima descripsit origine Reges,
Et dedit in fastos fortia gesta Ducum:

Ille suis saeclis varios venisse colonos,
Atque vaga sedes appetiisse rate;

Tum mores, habitusque, et facta vetusta priorum,
Sumptaque ab humano nomina nota pede;

Ceteraque ad nostrum facili trahit ordine tempus
Quaecunque historica sunt rata visa fide.

Reddita laus patriae toto memorabilis aevo,
Nec minor Auctori fama futura suo.

AUCTOR LECTORI



Cupiebam vehementer, et animo proposueram meo, Sardiniae insulae Chorographiam, rerumque in ea gestarum Historiam, quam ex optimis quibusque scriptoribus, et monumentis, summa cum diligentia, et fide collegeram, juxta Horatianum consilium domi custodire, et illius editionem in multos annos differre, ut ea omnia, quae variis implicitus curis scripseram, cum otio et animi tranquillitate recognoscerem augerem et accuratiori stylo perpolirem; omnemque historiam a Mundi principio usque ad nostra haec tempora, simul cum insulae descriptione, in publicum perfecte emitterem. In quo proposito semper permansissem, nisi me superiorum authoritas, amicorum consilium, et plurimorum efflagitatio impulissent, predictam mutare sententiam. Hi enim quum primum hunc librum, qui ab orbe condito usque ad annum salutis septingentesimum supra septuagesimum quartum, rerum Sardoarum continet historiam, perfectum, et omni sua parte absolutum legerent, supra modum probaverunt, lectioneque dignum esse dixerunt, nec ejus editionem ulterius, quousque caetera omnia sint absoluta, esse differendam contenderunt. Quare, ut illorum judicio, et suasionibus acquiescerem, eorumque votis satisfacerem, librum ipsum typographis edendum, excudendumque tradere volui: atque ita in patriae laudem divulgare res Sardorum priscas, antiquum eorum statum, dignitatem, et Christianae religionis cultum; quantique nominis et existimationis Sardinia fuerit apud omnes Reges, et gentes, quae ex diversis regionibus confluentes, vel in eam colonias feliciter deduxere, vel pro ea consequenda, aut conservanda, asperrima bella gessere. Alium hujus recentioris historiae

librum, usque ad haec nostra tempora digestum, haud multo post, si plus otii nactus fuero, politius limatum, atque ornatum evulgandum curabo; Sardiniae quoque descriptionem, tota insula peragrata, omnibusque ejus partibus inspectis, et cum sententiis scriptorum accurate collatis, excusam proferre properabo. Interim lectorem candidissimum, et eruditissimum rogatum velim, ut benigno, et aequo animo hunc librum excipiat, ejusque historiam legat, et priusquam de ea judicium faciat, authores omnes pro majori veritatis, et diligentiae meae testimonio, ubique ad satietatem allatos, omnino videat, et illis perspectis, si quid erratum esse repererit, seu aliis monumentis mihi hucusque incognitis juvari posse eam historiam censuerit, adsit quaeso, et animadvertat; non enim sum nescius humanae conditionis esse errare, solisque immortalibus datum esse in nullo labi, et omnia memoria complecti: neque aegre fero a quocunque doctiore eruditioreque corripi, si modo id non ambitiose, livido et canino dente, sed amice mecum quispiam agat, et boni consulat, si non quod volui, sed quod pro virium mearum tenuitate potui, ex meis studiis deprompsi. Sed quoniam tempus est ad rem institutam devenire, nunc pluribus agere supersedebo, historiamque ipsam aggrediar.

JOHANNIS FRANCISCI FARÆ

SASSARENSIS

J. U. D. EXIMII, ARCHIPRESBYTERI TURRITANI

DE REBUS SARDOIS

LIBER I.

Primi Sardiniae Coloni ante diluvium, ejusque solitudo.

Condito orbe, gentiumque multitudine repleto, gigantes ad cataclysmum usque Sardiniam, aliasque Mediterranei maris insulas incoluisse, ex Beroso, (si vere est ejus, qui fertur libellus) satis constat. Illis demum ex magni diluvii aquis extinctis anno ab orbe condito 1657 ut Philo, Moyses, et Jo. Lucidus, quos sequimur, supputant, Sardiniae solitudo est sequuta, quae eodem Beroso teste ad annos 564 duravit.

PHORCUS PRIMUS SARDINIAE REX,

et Thusci Vetulonienses primi post diluvium coloni.

Phorcus Thoosae, Nepthuimique filius, et (ut inquit Berosus) nepos Mesraimi filii Cam, filii Noe, fuit primus Sardiniae Rex, ut Varro, et Servius tradunt.

Mesraim enim, quem Ægyptii Osiridem vocant, tota potitus Italia, anno ab orbe condito 2216 duos creavit Reges Laestrigonem Italiae, et Phorcum Sardiniae et Corsicae, ut ille terrae, hic mari praeesset. Itaque Phorcus anno 2220 Sardiniam Vetulonicis colonis complevit, ut ex Beroso, et Jo. Annio constat; et Strabo tradit, dum inquit, ante adven-

tum Jolai Thuscos barbaros in Sardinia habitasse. Erant hi Vetulonienses antiqui Hetruriae populi, qui, ex Annii sententia, juxta Viterbium, vel (ut inquit Raphael Volaterranus) ubi nunc Massa est, vivebant. Regnavit Phorcus in Sardinia annos, ut creditur, 33 et tandem ab Atlante navali praelio superatus, undaque obrutus, neque uspiam postea inventus, creditus fuit se in Deorum marinorum numerum recepisse, et plures Deos sub se habuisse, ut refert Servius, et Varro. Unde Virgilius in libro 5. Aeneidos inquit

Tritonesque citi, Phorcique exercitus omnis.

His temporibus Sardiniam *Cadossenem*, hoc est, sacram crepidam, ab ejus forma, seu proprio Thuscorum calceo, fuisse appellatam, refert Annius ex Beroso.

MEDUSA.

Medusa fuit Phorci filia, ex Cetho conjuge nata, ut Ovidius, et Lucanus tradunt, et anno 2253 defuncto patre in Sardiniae Regno successit, ut refert Bergomensis in 4 supplementi, ubi de Perseo agit. Hanc fuisse omnium suae aetatis mulierum pulcherrimam testatur Isacius: ditissimam quoque fuisse, et solitam in venationes et pugnas exire, Bergomensis et Pausanias referunt. Regnavit annos circiter 28 et quum postea Perseo, qui contra eam arma ceperat, acie occurrisset, noctu per insidias oppressa, jacuit; ejusque opes prope infinitas, et praecisum caput, ut spectaculo esset, Perseus in Graeciam reportavit. Unde confictum fuit, Medusae caput serpentibus fuisse crinitum, hominesque illud conspicientes in saxa convertisse, atque alia multa, quae cum sint fabulosa, et ut arbitror, de Medusa alterius Phorci, Oceani Afri Regis filia dicta, consulto praetereo: nam, duos esse Phorcos, tradit Probus, unum Sardiniae, alterum Aphricae Regem.

HERCULES.

Hercules antiquior ex Osiride, et Cerere Thebis natus, cui nomen Lybius, seu Luabin erat, cognomentum vero Hercules,

cum in Asia, Aphrica, et Europa, res memorabiles et praeclaras gessisset, Italiamque et Siciliam tyrannis gigantibus liberasset, et magna cum laude gubernasset; tantum opinionis fulgorem sibi conciliavit, ut Sardiniae coloni Thusci, obtruncata, ut dixi Medusa, eum in Regem asciverint. Itaque anno 2281 ut creditur, e Sicilia vocatus in Sardiniam venit, et ab accolis Thuscis exceptus Rex salutatur. Hic insulam perlustravit, in ordinem, et sui dominationem redegit; et postea aetate admodum gravis ab insula discessit, et Hispaniam petiit: ubi anno 32 quo regnare in Sardinia coeperat, aetatis vero suae ferme 200 ab humanis decessit, et apud Gades fuit sepultus.

Hoc tempore ab ipso Hercule Turrium praeclara civitas nomen Turris Libysonis sumpsit, ut a Plinio, Ptolomaeo, et deinceps vocatur, et ob id urbem augustam Herculis fuisse existimatur: nam *Libyson*, teste Annio, Herculis Augustam significat, et ea ratione, Foro Augusta Hispaniae civitas, *Libysoson* ab eodem Hercule fuit appellata, ut ex Plinio tradit Franciscus Tarapha. Ab isto quoque Hercule creditur nomen sumpsisse Portus Herculis; quem in Sardinia, prope Noram meridiem versus, esse testatur Ptolomaeus.

Insulas etiam Herculis, quas in Sardinia prope promontorium Gorditanum jacere referunt Plinius, Ptolomaeus, et Marcianus Capella, ab ejus adventu, hoc tempore, nomen habuisse judicatur.

GRAECI.

Mortuo Hercule variae terrarum nationes in Sardiniam venere; et in ea dominati sunt imprimis Graeci mercatores, qui illuc, teste Pausania, commerciorum gratia adnavigabant, colonias Graecorum in ea collocarunt, anno ut creditur 2374. Et eo tempore insula a Graecis, ob similitudinem vestigii, Ichnusa fuit appellata. Unde Silius inquit

Insula fluctisono circum vallata profundo
Castigatur aquis, compressaque gurgite terras
Enormes cohibet nudae sub imagine plantae.
Inde Ichnusa prius Grajs memorata colonis.

Anno etiam 2431 Oenotrius Lycaonis filius ex Arcadia colonias Graecorum in Italiam traduxit, et ab illis Pontia, et Iscia adjacentes Sardiniae insulae possessae, *Oenotrides* fuerunt dictae, ut ex Plinio, et Mirsilio constat.

SARDUS ET LIBYES.

Sardus, ut inquit Pausanias, filius fuit Maceridis, qui apud Ægyptios, et Libyes *Hercules* dicebatur, et Delphos aliquando petiit. Hic Sardus (ut inquit Rabanus, et Anselmus) Moysi temporibus, anno circiter 2463 ex Libya cum innumerabili multitudine discessit, et Ichnusam occupavit, non tamen veteres accolas ejecit; sed in domiciliorum societate recepti sunt novi inquilini, necessitate magis, quam benevolentiae gratia. Urbes certe non plus Libyes tunc, quam, qui in ipsa insula erant, construxerunt: sed dispersi in tuguriis, et speluncis, ut sua cujusque sors tulerat, ita habitabant, teste Leonico, et Pausania.

Ab hoc Sardo insula antiquis obliteratis nominibus *Sardinia* est cognominata, quare Silius inquit

Mox Libyci Sardus generoso sanguine fidens
Herculis, ex sese mutavit nomina terrae.

Fuit etiam ab eo appellatum *Mare Sardoum* quidquid inter ostium Oceani, et Sardiniam est, ut testatur Plinius in Naturalis historiae lib. 3. Quantum in ea vixerit Sardus memoria proditum non est; sed tantum a Pausania traditur Sardiniae populos, qui ad occidentem insulam incolebant, ejus statuam ex aere Delphos misisse.

NORAX, ET IBERI.

Norax quinti Mercurii filius, ex Erythaea Geryonis filia procreatus, in Sardiniam venit, et ex praeclara Boeticae urbe, quam Solinus *Tartessum*, Herodotus *Carteiam*, vulgo Tariffam vocant, Iberos nunc *Vandalos*, seu *Andalusos* dictos, in eam traduxit. Quo autem tempore id factum sit, in dubio

quidem est. Pausanias enim post Aristaeum venisse existimat, Solinus vero (quem ob maximam ejus auctoritatem sequor) post Sardum, et ante Aristaeum. Itaque ex veriori temporum digestione anno 2522 in insulam commigrasse existimatur.

Hic in Sardinia novam constraxit urbem, quam a se *Noram*, eodem Solino, et Pausania teste, vocavit. Fuit autem haec civitas constructa, ut ex Ptolomaeo apparet, in ea meridionali insulae parte, quae nunc *caput Pulae* dicitur, ubi ejus ruinae adhuc visuntur. Ejus populus *Norensis* dictus, usque ad tempora Vespasiani Imperatoris, fere per 1550 annos, celeberrimus fuit, teste Plinio in naturalis historiae libris.

Ab hoc etiam Norace originem sumpserunt, et nomen illae robustissimorum saxorum maceries; quae adhuc *Noraces* vocantur, et ad instar rotundarum turrium in insulae locis agrestibus, et montuosis passim conspiciuntur, ut traditum est a Neotericis.

ARISTAEUS, ET GRAECI.

Aristaeus ex Apolline, et Cyrene Penei filia genitus, qui etiam *Argaeus*, *Nomius*, et *Apollo pastoralis* dicebatur, temporibus Cadmi anno 2591 cum quadam Graecorum manu in Sardiniam venit, Solino, Pausania, et Diodoro attestantibus. Is enim, ob Actaeonis ejus filii casum, qui conversus in belluam a propriis canibus fuit laceratus, acri confectus dolore ac Boeotiae jam, et universae infensus Graeciae, in Sardiniam ire perrexit, ibique sedes collocavit suas. Unde Silius cecinit

Fama est, cum laceris Actaeon flebile membris
Supplicium lueret spectatae in fonte Dianae,
Attonitum novitate mali fugisse parentem
Per freta Aristaeum, et Sardoos isse recessus;
Cyrenem monstrasse ferunt nova littora matrem.

Hic insulae amoenitate captus, consitis arboribus, ex agresti, et quae jam pridem magnis ovium copiis occupabatur, cultiorem, teste Diodoro, et Aristotele, reddidit. Urbem tamen nullam in ea condidit. Nam qui ejus ductum, et auspicia se-

quuti sunt pauciores imbecilliores que erant, quam ad instituendam, defendendamque, si opus esset, civitatem sufficere possent, ut Pausanias, et Leonicus opinantur. Caeterum Solinus asserit Caralim insignem urbem ab eo constructam, conjunctoque populo utriusque sanguinis sejuges usque ad se gentes ad unum morem conjugasse. Ibi duos genuit filios, Carinum, et Calicarpum, multaque utilia docuit, lac coagulare, mel, atque oleum conficere: deinde ad Siciliam et alia loca accessit. Cumque aliquandiu in Thraciae monte, qui *Hemos* dicitur, habitans postea non comparuisset, Deorum honores est assequutus, teste Diodoro. Sallustius et aliqui putant his temporibus Daedalum Atheniensem, Cretensium arma metuentem, in Sardiniam aufugisse, et coloniae, ac domicilii consortem Aristaeo fuisse. Icarum etiam ejus filium hoc eodem tempore praecipitem in mare decidisse, et ab eo mare Icarium, Insulamque Icariam, quae inter Sardoum, et Siculum mare jacet, nomen habuisse: quae tamen Pausaniae et Leonico vera haud quaquam videntur; siquidem Aristaeo Cadmi filia Auctonoë uxor erat; Daedalum autem Oedipodis aetate fuisse, qui multos post annos Thebis imperavit, clarissime constat.

GALATAS, ET GALLI.

Galatas junior, Olbii filius, et Galliae Rex anno circiter 1620 Gallorum coloniam in Sardiniam deduxit, urbemque in ea condidit, quam *Olbiam* ab Olbio ejus patre denominavit, ut Jo. Annius Viterbiensis (*in supplemento Manethonis*) refert. Fuit haec civitas constructa Septentrionem versus in ea parte insulae, quae Corsicam respicit, ut ex Orosio, et Ptolomaeo habuimus. Ab istis Gallis, *Gallura* Sardiniae insignis provincia, nomen sumpsit, et huc usque retinet. Fretum etiam Gallicum, quod inter Sardiniam, et Corsicam est, ab istis, teste Antonino Pio fuisse denominatum creditur.

SICULI.

Siculi vetustissimi barbari homines, qui inter ostia Tiberis, et Circejum montem vicatim habitabant, a Pelasgis et

Aboriginibus, sive ab Opicis, et Oscis inde ejecti, novas quaesiverunt sedes anno ab orbe condito 2703 ut ex Dionysio, Panvinio, et Annio Viterbensi constat. Eorum major pars in Trinacriam, quae tunc Sicania dicebatur, transfretarunt, et insulae nomen dederunt: parva autem manus Sardiniam applicuisse, et in Orientali insulae parte sedes collocasse, ac Siculesiis populis, qui teste Ptolomaeo in Sardinia sunt, nomen reliquisse creditur.

JOLAUS, THESPIADES, ET ATHENIENSES.

Hercules Graecus Alcmenae, et Amphitryonis filius, cui nomen *Alcaeus*, cognomen vero *Heraclius* erat, cum ex quinquaginta Thespii Regis filiabus, quinquaginta genuisset mares, omnes ejusdem ferme aetatis, communi nomine *Thespiades* dictos, eos ad condendam coloniam, juxta Oraculi responsum, in Sardiniam mittere proposuit. Acceperat enim a suis Diis responsum, ad consequendam immortalitatem, plurimum ei conferre coloniam ad Sardos mitti, ejusque filios ex Thespiadibus susceptos coloniae praefici duces. Itaque anno 2769 Jolaum nepotem cum filiis, qui adolescentiores erant, ac etiam cum magna Atheniensium, barbarorumque manu, in Sardiniam misit. Fuit hic Jolaus, teste Aristotele, Diodoro, et Hermolao Barbaro, Iphicli filius, et magna navium classe priorem insulae partem campestrem, ut Diodorus refert, tenuit, eamque *Joleam* a se denominavit: ibi Thuscos barbaros accolas, teste Strabone, invenit, quorum palantes animos ad concordiam eblanditus, Olbiam extruxit urbem, ut Solinus, et Pausanias tradunt. Erat forte haec Olbia civitas meridiem versus prope Sulcim sexdecim millibus pass. distans; de qua in Antonini Pii Itinerario constat| Tarcagnota, et quidam alii volunt hanc urbem *Joleam*, non *Olbiam* fuisse appellatam. |. At
Fuit etiam ab Atheniensibus seorsum condita *Gorylles* urbs, ab uno de classis ducibus sic nominata, qui ut Pausanias, et Leonicus opinantur, *Grillus* dicebatur: multa alia Graeca oppida teste Solino, fuerunt constructa, quorum memoria praeteriit. Has urbes Jolaus, accersito e Sicilia Daedalo, pluribus

praeclaris operibus, quae ab artifice appellantur *Daedalia*, exornavit, quorum monumenta etiam temporibus Aristotelis, et Diodori, ut ipsi testantur, in Sardinia apparebant: et inter alia non nullae fornices, et inarcuata domicilia modulatis quibusdam, sed disparibus compacta numeris conspiciebantur. Gymnasia insuper magna, et sumptuosa Deorum templa erexit, judicia instituit, regionem cultiorem, arboribusque fructiferis uberem effecit, gentem bellicosam reddidit, ac caetera omnia effecit, quae ad urbium diuturnitatem spectant. Quare hi populi celeberrimi, teste Plinio, fuerunt, et ab Oraculo responsum habuerunt, eam coloniam liberam semper futuram, ut Diodorus, et Aristoteles referunt, qui etiam testantur id Oraculum usque ad eorum tempora verum fuisse; nam cum Carthaginenses prius, mox Romani insulam cepissent, nunquam tamen eos subegere: ad montana enim atque aspera confugientes loca, effossis sub terra habitaculis, lacte, caseo, et carnibus ex pecoribus, quae plurima illis erant, vescebantur; agrique colendi declinato labore in montibus vitam quietam ducebant: et licet ab eis fuerint armis saepius lacessiti, difficultate tamen locorum invicti permansere. Unde Silius cecinit

Nec parvum decus, advecto cum classe paterna
Agmine Thespiadum, terris Jolae dedisti.

Jolaus iis, quae ad statum coloniae pertinebant, compositis in Graeciam est profectus; postea in Siciliam navigavit; tandem in Sardiniam reversus, teste Pausania, obiit, et sepultus est. Jolaenses populi ab eo dicti, qui in Sardinia ut patrem eum colebant, sepulcro ejus templum, ut inquit Solinus, addiderunt: in quo Jolao sacra, et honores multis continenter annis fecerunt, patrem eum appellantes, quemadmodum Persae Cyrum, ut Pausanias et Diodorus testantur. Daedalus autem, ut inquit Sallustius, delatus est Cumas, sed an ibi, vel in Sardinia, obierit incertum est. Thespiades vero cum multis saeculis insulae praefuissent, tandem in Italiam navigantes, loca circa Cumas, teste Diodoro, tenuere. Simplicius tamen, in commentariis, quos in octo Aristotelis de Physica auditione libros exquisitissime conscripsit, refert novem ex illis, qui *Heroës Sardi* dicebantur, in insula permansisse, et diem suum obiisse: quorum etiam corpora omnibus integra membris, et

illaesa, dormientium praeseferentia speciem, usque ad Aristotelis perdurasse tempora refert. Ad hos etiam responsorum, praedictionumque gratia, quae per insomnia darentur, et insulae accolas, et multos etiam convenas et externos, accedere solitos fuisse, idem auctor est Simplicius, et Leonicus refert.

ÆNEAS, ET TROJANI

Æneas Anchisae et Veneris filius, a Poetis decantatus, post Ilium eversum, multis consociatus Trojanis in Sardiniam venit, anno 2785. Cum enim classe profugi Italiam peterent, et saeva tempestate adorti alii alio delati essent, Æneas magna cum Iliensium manu Sardiniam, Pausania, et Sallustio teste, applicuit. Unde Silius cecinit

Adfluxere etiam, et sedes posuere coactas
Dispersi pelago post eruta Pergama Teucri.

Hi Graecos in insula offenderunt accolas, illosque adire non dubitarunt, a quibus benigne hospitio suscepti populariter illis permixti sunt, necessitate magis, quam gratia; ne si alteri disiungerentur ab alteris, aut desciscerent, nullo negocio Sardis accolis sese opprimendi facultatem darent; qui jam sumptis armis, et acie instructa, ad Thorsum consederant fluvium, qui ab hostili tractu medius labens, illorum separabat agrum: quae res utrisque belli dirimendi causa fuit; cum neuter exercitus flumen transire, et in hostem ferri primus ausus fuerit, ut Pausanias et Leonicus referunt. Est autem Thorsus fluvius, qui per Arborensem agrum mediam praeterfluit insulam, eodem Pausania, et Ptolomaeo attestantibus. Discessit postea e Sardinia Æneas, relicta Turribus Iliensium Frassorum colonia, quae, teste Pomponio Mela, Solino, et Plinio, in ea celeberrima fuit. A qua existimatur nomen sumpsisse *Forum Trojanum*, quod in Sardinia meridiem versus fuisse testatur Antoninus Pius.

Circa haec tempora Ulysses decennio naufragus erravit, et in Sardiniam vectus parvis Sardiniae insulis adjacentibus, quae Ithacesiae, Ulyssis speculae, teste Plinio, vocantur, nomen dedit.

Leucosia etiam, insula Sardiniae, a Syrene ibi his temporibus sepulta nomen accepit, ut idem Plinius, et Marcianus Capella referunt.

LYDII.

Lydii populi, Maeones etiam dicti, qui inter Phrygiam, et Cariam, seu Lyciam juxta Mæandrum vivebant, mare obtinuerunt anno 2791 ut Eusebius tradit, et ex Manethone, Livio, et Valerio Maximo colligitur. Unde in Sardinia dominatos esse, et Maeonum locum, qui corrupte *Meilogu* nunc dicitur, ab eis nomen sumpsisse judicatur.

LOCRENSES.

Locrenses Graeciae populi Parnassum montem accolentes coloniam in Sardiniam deduxerunt, ut ex Solino constat; anno ut creditur 2912.

His temporibus Thespienses ex Sardinia in Italiam navigantes regionem circa Cumas, teste Diodoro, tenuere, et Daedalum Cumas detulere, ut Sallustius refert.

THRACES.

Thraces Europae populi, Scythes prius dicti, ut Eusebius refert, anno 2958 mare obtinuerunt. Unde in Sardinia imperasse, et urbes condidisse, creduntur.

RHODII.

Rhodienses populi ex Rhodo, insula maris Carpathii, obtinuerunt mare, ut insinuat Eusebius, anno 3047. Unde in Sardinia imperasse, et urbes construxisse existimantur. Obtinuerunt autem mare annos 23 ut refert Eusebius. Et ab eis *Rhodi* locus Sassaritanae regionis nomen sumpsisse creditur.

PHRYGES.

Phryges minoris Asiae populi Cariae, Lydiae, Mysiae, et Bithyniae finitimi post Rhodios mare obtinuerunt, anno 3070

ut Eusebius tradit. Unde in Sardinia dominatum tenuisse, et urbes condidisse putantur. Nam hoc tempore Idonesii coloni, qui teste Ptolomaeo in Sardinia sunt, ab Idaeis Phrygiae populis, qui Idam montem tunc incolebant, in Sardiniam, ut opinor, venerunt. Hi mare obtinuerunt annos 25 eodem Eusebio referente.

CYPRII.

Cyprii populi ex Cypro maris Pamphylii insula profecti ut insinuat Eusebius, mare obtinuerunt anno 3090. Unde eos in Sardinia regnasse, et ex ipsius Cypri Corpacca regione Corpacesios populos, qui in Sardinia, teste Ptolomaeo, sunt; venisse aliqui existimant. Hi mare obtinuere annos 40, ut idem Eusebius narrat.

PHOENICES.

Phoenices antiquissimi maritimae Syriae regionis populi navali et bellica arte, ut inquit Plinius, praestantes, mare obtinuerunt anno 3138, ut Eusebius insinuat. Unde in Sardinia eos imperasse, et plures colonias ad eam destinasse, Diodorus Siculus tradit. Obtinuerunt autem mare annos 41, eodem Eusebio teste.

ÆGYPTII.

Ægyptii populorum vetustissimi post Phoenices, ut tradit Eusebius, mare obtinuerunt anno 3179 et etiam postea annis 31. Unde in Sardinia eos imperasse, et Esaronesios populos ex Esare Ægyptii urbe in Sardiniam venisse, creditur: nam Esaronesios meridiem versus Sardiniam coluisse testatur Ptolomaeus.

MILESII.

Milesii, potentes et opulenti populi, ex finibus Joniae et Cariae egressi, mare obtinuerunt anno 3210, ut Eusebius

tradit, et quidem per annos 31. Unde et Sardiniae imperasse, et Milesiis Sardiniae colonis nomen dedisse, creditur.

CARES.

Cares populi minorem Asiam inter Lyciam, et Joniam incolentes, qui et Leleges, teste Herodoto, dicebantur, mare obtinuerunt anno 3241, ut tradit Eusebius. Unde in Sardinia imperasse creduntur, cum ab eisdem aliquae civitates conditae, et Carenses populi, ut refert Ptolomaeus, in ea reperiantur. Imperarunt Cares annos 48, ut inquit Eusebius.

LESBII.

Lesbii, populi in insula Æolica Ægaei maris habitantes, post Cares mare obtinuerunt anno 3289, ut refert Eusebius. Unde in Sardinia imperasse, et multa urbes construxisse, existimantur.

CORSI.

Corsi populi, Cyrnaei dicti, factionibus, et civili bello lacessiti sedesque mutare compulsi, ut refert Pausanias, in Sardiniam transiere anno, ut creditur 3350. Hi viciniore montuosa insulae parte, quae Septentrionem respicit, occupata, duodecim oppida sibi muniere, eodem Pausania, et Plinio teste. Ab incolis patrio nomine Corsi appellantur, et de illis meminit Ptolomaeus.

PHOCÆENSES.

Phocaei, Joniae populi assiduis Persarum bellis exagitati, et ab Harpago obsessi, communi consensu patriam relinquentes mare ingressi sunt, illudque obtinuere anno 12 Cyri Persarum re-

gis primi, qui fuit 3416, ut ex Thucydide, Herodoto et Clemente Schuberto colligitur: quo tempore in Emporia Sardiniae regione imperasse creduntur: nam et propinquam insulam Corsicae, teste Herodoto, occuparunt, et eodem modo Hispaniae Emporiis nomen dederunt. Unde Sylius

Phocaicae dant Emporiae . . .

His temporibus Jones Graeciae populi fuerunt a Cyro in servitutem redacti, quare Bias Prienaeus, ex septem sapientibus unus, illis suasit, ut communi classe solventes Sardiniam peterent, ibique una quadam civitate omnium Jonum constructa, absque servitute liberi foeliciterque viverent; nimirum insulam inter omnes maximam recepturi, aliis imperarent: quod saluberrimum consilium Jones spreverunt, cui tamen si obtemperassent, ipsis licuisset, ut inquit Herodotus, Graecorum omnium foelicissimis vivere.

CARTHAGINENSES.

Carthaginenses Aphricae populi post Phocæenses in Sardiniam venerunt, eamque occupare cupientes saepius bello Sardos appetivere. Cyri enim Persarum regis temporibus, anno, ut ex Orosio et Clemente Schuberto colligitur, 3433, Carthaginenses ex Sicilia in Sardiniam bellum duce Macheo transtulere: sed in eo victi a Sardis fuere, Liberato Frasso duce, et magnam partem exercitus amisere. Macheus etiam, et alii pauci, qui, superfuerunt, propterea a Carthaginensibus exilio damnati sunt, ut Orosius et Sabellicus referunt.

Temporibus quoque Darii Persarum regis, anno, ut ex Justino, et Schuberto colligitur, 3443, Carthaginenses duce Asdrubale Sardiniam bello repetierunt: in quo, Hasdrubal graviter vulneratus obiit, et Sardi, Liberato duce, fugatis Carthaginensibus, victores fuere. Hasdrubalis mortem tum luctus Carthaginensium, tum et dictaturae undecim, et triumphi quatuor insignem fecerunt. Sardis quoque animi crevere, veluti cum duce, Poenorum vires concidissent, ut ex Justino, et Sabellico constat.

Alia insuper certamina, periculaque magna pro potiunda

Sardinia Carthaginenses, teste Diodoro, subiere et tandem anno 3449, quo tempore classibus et maritimis viribus erant praepollentes, et non Africam modo, verum etiam pleraque Hispaniae et Siciliae loca obtinebant, omnes e Sardinia, praeter Ilienses, Jolaenses, et Corsos, in suam ditionem redegerunt: nam illi, habitaculis terrestribus humo efossis, lacte et carne armentorum, quorum plurima apud eos erat copia, in montibus vitam quietam duxerunt, et propter inaccessos, difficilesque locorum situs semper liberi perseverarunt. Iberi etiam, qui auxiliares cum Carthaginensibus in Sardiniam venerant, cum de praedae manubiirumque distributione cum Poenis contenderent, assumptis armis ab illis defecere, et ad montium secesserunt juga; ibique sedes suas constituerunt, et a Cyrnaeis post modum Balares fuerunt appellati; sic enim illi patria lingua transfugas vocabant, ut ex Polybio, Pausania et Diodoro, constat. Regnarunt in Sardinia Carthaginenses annos 272 usque ad finem primi belli Punici, quo ejecti a Sardis insulam Romanis cesserunt.

His temporibus, ut refert Pausanias, Carthaginenses condiderunt in Sardinia Syllos urbem, Vicecomitatus Syllurensis caput, ac etiam urbem Caralis. Unde Claudianus

Urbs Libyam contra, Tyrio fundata potenti
Tenditur in longum Caralis . . .

Alii tamen gravissimi auctores longe ante ab Aristaeo fuisse conditam, ut dixi, scripserunt.

Tradit etiam Aristoteles eo tempore Carthaginenses in Sardinia jussisse omnes arbores cibo idoneas exstirpari, nullamque in ea amplius plantari, poena capitali trucidandos eos, qui secus faciebant; quod et Volaterranus refert.

Ad insulam advenas accedere non permittebant: adeo enim imperium Sardiniae custodiebant, et peregrinos insectabantur, ut qui in eam adnavigarent mari demergendos curarent, teste Alex. ab Alexandro.

Per hoc tempus Darius Persarum rex summopere cupiebat Sardiniam tributariam sibi reddere: quare Histieus, Milesii tyrannus, pollicitus fuit Sardiniam in illius potestatem se redditurum; quod tamen non evenit: nam fallendi eum gratia id promiserat, ut refert Herodotus.

Aristagoras etiam Milesii tyrannus, post Darii ingentes victorias, decreverat cum suae factionis hominibus in Sardiniam profugere, et coloniam in ea condere: sed contrario Hecataei Hegesandri consilio non fuit deducta, eodem Herodoto teste.

Regnante postea in Macedonia Alexandro Magno, terror rerum ab eo gestarum universum orbem invasit: quare ut Orosius et Justinius tradunt, a Sardis missi faerunt legati, qui Alexandro veluti destinato sibi Regi adularentur verum quia audita legatione Alexander obiit, Macedones de Sardinia contendere, ut inquit Polybius, amplius non sunt ausi.

Per haec tempora Carthaginenses cum Romanis saepius foedera percussere, et de Sardinia pacta sanxere.

Anno enim primo post partam Sardiniam cum Romanis primum foedus, teste Polybio, injerunt, in quo inter caetera ita cautum fuit, « Romani, sociive Romanorum ultra promontorium Pulchri non naviganto: nisi, vel vi tempestatis, vel hostili impetu coacti ».

« Si quis ob hujusmodi causas eo applicuerit, nihil emito, nihilve sumito, nisi quantum ad sacra vel ad navigia opus sit ».

« Intra diem quartum inde abito. Iis, qui mercimonii gratia advenerint, immunitas esto, praeter scribam, et praeconem ».

« Quicumque praesentibus his in Africa, vel Sardinia venum jerint, de his publica fides esto etc. »

Interjectis deinde aliquot annis, ut idem tradit Polybius, secundum fuit sancitum foedus, et ita cautum inter caetera.

« In Sardinia, atque Africa nulli Romanorum, sociorumve negociantor, neve oppidum possidento, nihil emunto, praeter res ad sacra et ad navigia necessarias ».

« Si quas naves eo tempestas detulerit intra quintum diem abeunto, etc. »

Anno postea, quo Pyrrhus Epirotarum Rex in Italiam trajecit, eodem referente Polybio, fuit idem foedus paucis additis renovatum. Pyrrhus enim eo tempore Sardiniam et Siciliam suo adjicere imperio, teste Joanne Zonara, cupiebat.

Foedus tamen istud a Carthaginensibus fuit postea violatum, unde contra eos primum a Romanis fuit susceptum bellum, et anno 3703 Sardiniam omni studio invadere decrevere.

Quare Annibal cum classe, et quibusdam claris triremium ducibus in Sardiniam a Carthaginensibus mittitur; sed a Romanis in quodam insulae portu inclusus classem fere omnem amisit; ipseque per hostium manus dilapsus, a Carthaginensibus qui evaserunt captus, ob rem male gestam in Sardinia crucifixus, teste Polybio, occiditur.

Anno sequenti Carthaginenses in locum Annibalis pro Sardis defendendis Hannonem classis ducem in Sardiniam mittunt. Sed a L. Cornelio Scipione tunc Consule, qui Olbiam venerat, victus, amisso exercitu, ipse se confertissimis hostibus immiscuit, ibique interfectus est. Unde Scipio Sardiniam vastavit ibique Aleriae urbis excidio incolas terruit, omnique terra Poenos fugavit, multaque millia captivorum abduxit, et triumphum egit, ut Orosius, Eutropius, Florus, et Jornandes tradunt. Hinc Silius cecinit

Scipio ductoris celebrabat funera Poeni
Sardoa victor terra

Caeterum Jo. Zonara diversum refert, Scipionem scilicet exercitum in Sardiniam ducentem, classem Carthaginensium conspexisse, et in eam impetum fecisse; cumque illa, priusquam ad manus veniret, fugisset, Olbiam urbem invasisse, et ibi navium Carthaginensium conspectu territum, nec enim peditatus satis ad pugnam paratus erat, domum versus iter intendisse.

Anno 3720 Carthaginenses navali praelio superati a Romanis pacem petierunt, quae hac praecipue conditione, teste Polybio, Cornelio Nepote, Nauclero, et Volaterrano, data est « Poeni Sicilia, Sardinia, et omnibus insulis quae inter Italiam, et Africam sunt excedunto » Ex quo foedere Sardiniam ad eos spectare Romani, teste Appiano Alexandrino, asserebant.

Anno sequenti Carthaginensium milites ex Sicilia in Africam deportati, ob stipendium denegatum, arma contra Poenos capiunt. Eorum quoque exemplo milites qui in Sardinia erant Bostarem, et Poenos, qui cum imperio in insulam venerant in potestatem redactos crudeliter trucidarunt, et quadam arce occupata in apertam erupere defectionem. Hujus motus fama Carthaginem delata, confestim Hanno cum novo exercitu est in Sardiniam missus. Hunc novi milites, inita in Sardinia cum

veteranis conjuratione, cruci affigunt: nec duplici scelere contenti tertium adjiciunt, quoscunque Carthaginensium, qui in tota insula fuere, ad unum strangulantes, interficiunt: arcibus inde, et oppidis potiti insulam aliquandiu tenuere; legatosque ad Romanos miserunt insulam daturi. Orta postea inter eos, et Sardiniae populos discordia, milites expulsi in Italiam abierunt; atque ita Sardinia a Carthaginensibus contigit alienari, ut refert Polybius, et Sabellicus.

ROMANI.

Ejectis ex Sardinia Poenis, Romani suasionibus militum, qui e Sardinia ad eos transfugerant, pellecti, insulam occupare decreverunt. Itaque anno 3712 Carthaginenses, qui id resciverunt exercitum in insulam transmittere parant; quam occasionem nacti Romani bellum illis indixere, querentes, quod illum belli apparatum non tam contra Sardos, quam contra se ipsos facerent. Unde Carthaginenses, qui bello Africo domestico vexabantur, et se minime idoneos ad bellum cum Romanis gerendum intelligebant, ut omnem belli causam averterent, non modo Insulam Sardiniae cesserunt; verum etiam mille, et ducenta talenta Romanis miserunt, ut ex Polybio, Appiano Alexandrino, Jo. Zonara, Sabellico, et Sigonio constat.

Caeterum licet Carthaginenses Sardiniam Romanis reliquerint, Sardi tamen non sine armis Romanorum imperio subesse voluerunt. Itaque anno 3726 in Sardis decretum est bellum, et T. Manlius Torquatus Consul contra eos missus, ipsos devicit, de illisque triumphavit, ut Orosius, et Eutropius tradunt.

Nec ob id Sardi Romanis parere voluerunt, sed duobus aliis annis Romanorum bellum sustinuerunt, et quidem fortiter, et strenue, ut inquit Jo. Zonaras. Tandem a P. Cornelio Ædili prius, mox a M. Pomponio Coss. victi omnes, exceptis montanis populis, imperii jugum susceperunt. Erant autem montani populi Ilienses, Balari, Tarates, Sossinates, Aconites, et Jolenses, qui tunc Diatesbes dicebantur. Hi speluncas inhabitando lacte, caseo, et carne armentorum, quorum plurima

apud eos erat copia, vitam quietam ducebant, et a bellorum discrimine procul erant, Diodoro et Strabone referentibus.

Eo tempore P. Cornelius, et milites Romani multi epidemiae morbo in Sardinia obiere, ut tradit Jo. Zonara.

Anno 3728 Legati decem a Romanis missi, in provinciae formam Sardiniam redegerunt, et Romano magistratui administrandam subjecere; fuitque prima populi Romani Provincia, ut Pomponius J. C. in libris Pandectarum, et Onuphrius tradunt. Nam licet Sicilia antea victa fuerit, tamen non nisi Syracusis a Marcello captis in provinciae formam tota redacta est.

Biennio post, anno scilicet 3730 C. Papyrius Cos. contra Corsos missus, insulam illam in ditionem populi Romani adduxit, et in monte Albano de Corsis triumphavit, ut Plinius, et Valerius referunt.

Fuit eo anno Corsica Sardiniae attributa, atque ex duabus provinciis una provincia facta, et uno Sardinia nomine insignita, ut Ruffus, Sigonius, et Onuphrius referunt.

Anno deinde 3735 quatuor Romae creati sunt Praetores, ut duo ex his Romanus, et Peregrinus in urbe manerent, duo vero in Sardiniam Siciliamque novas provincias mitterentur; qui jus provincialibus dicerent, et si res cogeret bellum administrarent, Solino, Sigonio et Onuphrio referentibus.

Itaque Praetores infrascripti sub consulibus Sardiniae provinciam administrarunt annis 177 usque ad tempora Caji Julii Caesaris hac serie.

Anno 3735 M. Valerius fuit primus Sardiniae Praetor, Solino referente.

3736. . . . . Sardiniae Praetor.

Hoc anno Sardinia facta est consularis provincia, et sortitus est eam C. Attilius Regulus, Cuspiano, et Polybio referentibus.

. . . .

3745. A. Cornelius Mamula Sard. Praet. (Livio et Sabellico.)
3746. Q. Mutius Scevola Sard. Praet. (Livio)
Q. Manlius Torquatus Sard. Proprae. (Liv. et Syl.)
3747. Q. Mutius Scevola prorogatus S. P. (Livio)
3748. Q. Mutius Scevola prorog. S. P. (Livio)
3749. Q. Mutius Scevola prorog. S. P. (Livio)

3750. L. Cornelius Lentulus Sard. Praet. (Livio)
3751. P. Manlius Valsonius Sard. Praet. (Livio)
3752. C. Arunculejus Sard. Praet. (Livio)
3753. C. Arunculejus prorogatus Sard. Praet. (Livio)
3754. A. Hostilius Sard. Praet. (Livio)
3755. Q. Claudius Sard. Praet. (Livio)
3756. Cn. Octavius Sard. Praet. (Livio)
3757. T. Claudius Nero Sard. Praet. (Livio)
3758. P. Lentulus Sard. Praet. (Livio)
3759. P. Lentulus prorogatus Sard. Praet. (Livio)
3760. M. Fabius Buteus Sard. Praet. (Livio)
3761. M. Fabius prorogatus Sard. Praet. (Livio)
3762. L. Vellejus Tappullus Sard. Praet. (Livio)
3763. M. Porcius Cato Sard. Praet. (Livio)
3764. L. Attilius Sard. Praet. (Livio)
3765. T. Sempronius Longus Sard. Praet. (Livio)
3766. T. Sempr. prorogatus Sard. Praet. (Livio)
3767. C. Cornelius Merenda Sard. Praet. (Livio)
3768. L. Porcius Lycinius Sard. Praet. (Livio)
3769. Q. Salonius Sarra Sard. Praet. (Livio)
3770. L. Oppius Salinator Sard. Praet. (Livio)
3771. L. Oppius prorogatus Sard. Praet. (Livio)
3772. Q. Fabius Pictor Flamen Quirinalis Sard. Praet. (Livio)
3773. C. Stertinius Sard. Praet. (Livio)
3774. Q. Fulvius Sard. Praet. (Livio)
3775. C. Aurelius Scaurus Sard. Praet. (Livio)
3776. L. Posthumius Tempsanus Sard. Praet. (Livio)
3777. Q. Nevius Matho Sard. Praet. (Livio)
3778. Cn. Sicinius Sard. Praet. (Livio)
3779. C. Terentius Istra Sard. Praet. (Livio)
3780. M. Pinarus Sard. Praet. (Livio)
3781. C. Menius Sard. Praet. (Livio)
3782. L. Valerius Levinus Sard. Praet. (Livio)
3783. T. Ebutius Sard. Praet. (Livio S. D.)
3784. C. Mumius Sard. Praet. (Livio S. D.). Hoc anno facta est consularis provincia ob belli magnitudinem, et sortitus est eam T. Sempronius Cos.
3785. M. Popilius Lenas Sard. Praet. (Livio S. D.). T. Sem-

pronius Gracchus Proconsul in Sard. Eo anno consularis provincia remansit ob belli periculum.

3786. Cn. Cornelius Scipio Sard. Praet. (Livio S. D.)

3787. M. Attilius Sard. Praet. stetit in Corsica, (Livio S. D.) Cn. Cornelius Sard. Praet.

3788. C. Cirtejus Sard. Praet. stetit in Corsica, et M. Attilius Praet. in Sard. (Livio S. D.)

3789. Sp. Cluvius Sard. Praet. (Livio S. D.)

3790. L. Furius Philus Sard. Praet. (Livio S. D.)

3791. M. Recius Sard. Praet. (Livio S. D.)

3792. P. Fontejus Capito Sard. Praet. (Livio S. D.)

3793. C. Papyrius Carbo Sard. Praet. (Livio S. D.)

3794. M. Manlius Torquatus Sard. Praet. (Livio S. D.)

3795. M. Fontejus Sard. Praet. (Livio S. D.)

. . . . M. Porcius Cato Praet. (Vol., Plut. et Alex. ab Alex.)

. . . .

3835. . . . . Sard. Praet. L. Aurelius Orestes Cos. provinciam eo anno consularem administravit.

C. Gracchus eo anno Sardin. Quaestor. (Plutarcho et Livii Abbreviatore.)

3836. . . . . Sard. Praet.

L. Aurelius Orestes Proconsul in Sard.

M. Æmilius Scaurus senior stipendia in Sardinia facit, Cornelio Nepote referente.

. . . .

3848. M. Metellus Sard. Praet. (Ruffo et Eutropio)

M. Æmilius Scaurus junior Syllae privignus Sard. Praeturam obtinuit, in qua cum non satis abstinenter egisset a Sardis repetundarum accusatus, a Cicerone una cum quinque aliis defensus est, ut Volaterranus inquit, et extant fragmenta orationis Ciceronis, in quibus Bostaris Norensis viri fugientis e Sardinia ob Scauri adventum meminit.

3869. Q. Antonius Marianae factionis Sard. Praet. Livii Abbreviatore referente.

. . . . L. Philippus L. Syllae Legatus, occiso Q. Antonio, insulam pro Sylla administravit, teste Livii Abbreviat.

. . . .

3885. T. Albutius Sard. Praet.
Cn. Pompejus Sard. Quaestor.
3906. Appius Claudius Sard. Praet. Sabellico, et Plutarcho referentibus.

His temporibus anno scilicet 3736 fuit quaedam seditio apud Sardos orta, quae tamen a C. Attilio Cos. facile fuit composita, ut Polybius, Sabellicus, et Cuspianus tradunt.

Anno deinde 3744 Carthaginenses, conquesti Sardiniam fraude Romanorum interceptam, bellum secundum Punicum Romanis intulerunt. Dira prodigia statim in Sardinia visa sunt; nam equiti circumeunti vigilias baculus, quem in manu tenebat, arsit; littora crebris ignibus fulsere; scuta duo sanguinem sudarunt; et milites aliqui icti fulminibus fuerunt; solisque orbis minui visus fuit, ut Livius, Orosius, et Sabellicus referunt.

Eo anno Romani obsides a Sardis petiere, eosque Cn. Servilius classe 120 quinqueremium, teste Livio, et Polybio, accepit.

Anno autem 3746 ~~2036~~ quo Romani apud Cannas insignem acceperunt cladem, Cornelius Sardiniae Praetor, qui nec stipendium, nec frumentum habebat, nec sibi a populo Romano ob aerarii inopiam poterat subveniri, quantum argenti frumentique opus habuit a Sardiniensibus sociis Romanorum Civitatibus exegit, Livio, et Sabellico referentibus. Itaque anno sequenti Sardorum principes ab Hannibale Carthaginensium duce, ut inquit Eutropius, vel ab Arsicora Sardiniae Rege, ut Volaterranus, seu insulae primario, ut Livius, solicitati ad Carthaginenses clandestinam legationem miserunt, nunciantes, in Sardinia parvum Romanorum exercitum esse, veterem Praetorem Cornelium provinciae peritum inde decedere; novum expectari; ad hoc fessos jam animos Sardorum esse duritate imperii; et proximo iis anno acerbe, atque avare imperatum: gravi tributo, et collatione iniqua frumenti oppressos; nihil deesse aliud, quam authorem ad quem deficerent. Quo nuncio accepto, Hasdrubalem cognomento *Calvum* ducem in Sardiniam Carthaginenses deligunt, et 12 mille peditum, ac mille et quingentos equites cum praesidio LX. navium longarum decernunt.

Sub idem fere tempus A. Cornelius Mamula, qui adventu novi Praetoris Sardinia excesserat, Romae retulit, qui sta-

tus rerum in insula esset, ad bellum, et defectionem spectare. Q. Mutium qui successisset sibi, gravitate coeli aquarumque in adventu exceptum morbo non tam periculoso, quam longo, diu ad belli vim sustinendam inutilem fore; exercitumque ibi, ut satis firmum pacatae provinciae praesidium esse, ita parum bello, quod motum iri videretur. Quare patres decreverunt, ut Q. Fulvius Flaccus quinque millia peditum, quadrigentos equites scriberet, eamque legionem primo quoque tempore in Sardiniam trajiciendam curaret, mitteretque cum imperio quem ipsi videretur, qui rem gereret quoad Mutius convaluisset. Ad eam rem missus est Q. Manlius Torquatus. Is navibus longis Caralim subductis, navalíbusque sociis armatis, ut terra rem gereret, ex sociorum auxiliis supra veteres copias duo, et viginti millia peditum, mille, et ducentos equites confecit; cum his equitum, peditumque copiis profectus in agrum hostium, haud procul ab Arsicorae castris, castra posuit. Arsicoras tum forte profectus erat in Pellitos Sardos ad juventutem armandam, qua copias augeret: filius ejus nomine Jostus castris præerat. Is adolescentia ferox, antequam Arsicoras, et Asdrubal cum auxiliaribus copiis adessent, sub Manlii accessum castris ad praelium egreditur; nec magno certamine fusus, fugatusque est. Sardi viriliter pugnantes ad triginta millia caesi, et mille trecenti ferme vivi capti fuere; reliqui cum Josto ad urbem nomine Cornum, illius regionis caput, se receperunt. Pacata eo praelio Sardinia fuisset, nisi classis Punica cum duce Asdrubale, quae tempestate dejecta ad Baleares fuit, in tempore ad spem rebellandi advenisset. Manlius audito appulsu Punicae classis, Calarim se recepit, et Arsicorae occasio datur Poeno se jungendi. Asdrubal copiis in terram expositis, et classe remissa Carthaginem, duce Arsicora, ad sociorum populi Romani agrum populandum profectus, Caralim perventurus erat, ni Manlius obvio exercitu ab effusa eum populatione continuisset.

Primo castra castris modico intervallo sunt objecta; deinceps procursationes; leviaque certamina vario eventu inita; postremo descensum in aciem, signisque collatis justo prelio per quatuor horas pugnatum est, fortuna neutro inclinante.

Postremo Romanus victor Jostum cuspide transverberavit, duodecim millia hostium Poenorum, Sardorumque interfecit; mille, et quingenti sunt capti, et in his Asdrubal Imperator, Hanno, et Mago Barchini, sanguinis Hannibali propinqua cognatione junctus. Signa quoque militaria septem, et viginti cepit. Arsicora, qui cum paucis equitibus praelio vivus excesserat, audita filii morte nocte, ne cujusquam interventus coeptum impediret, mortem sibi conscivit. Caeteris urbs Corni, eadem, quae antea, fugae receptaculum fuit, quam Manlius victore exercitu aggressus inter paucos dies recepit: deinde aliae quoque civitates, quae ad Arsicoram, Poenosque defecerant obsidibus datis dediderunt sese; quibus stipendio, frumentoque imperato pro cujusque aut viribus, aut delicto Calarim exercitum reduxit; ibi navibus longis deductis, impositoque, quem secum advexerat, milite, Romam navigat, Sardiniam subactam, pacatamque nunciat Patribus, et stipendium Quaestoribus, frumentum Ædilibus, captivosque Fulvio Praetori tradidit, ut ex Livio, Silio, Eutropio, Volaterrano, et Sabellico constat. Eo anno Q. Ennius insignis Poeta cum Manlio in Sardiniam venerat, et ab ea postea non recessit, quousque M. Porcius Cato ex Sardinia Quaestor decedens eum Romam deduxerit, ut Silius, et Plutarchus tradunt.

Is Cato Sardiniam Praetor subegit, et in ea fuit ab Ennio Graecis literis eruditus aetate jam grandis, ut Volaterranus, et Nauclerus.

Annis sequentibus, usque ad belli Punici finem, insulam cum duarum legionum praesidio fere semper Praetores custodiere; et classem ad tuendam Sardiniae oram habuere. Cumque anno 3752 esset fama, navalem apparatum Carthagine esse, et Poenos navibus ducentis omnem oram Sardiniae, Siciliae, et Italiae impleturos, ad Sardiniae praesidium additae sunt quinquaginta longae naves, quas P. Scipio ex Hispania in Sardiniam Auruncule jo tunc Sardiniae Praetori transmisit. Et anno 3756 C. Octavius Sardiniae Praetor octoginta onerarias Poenorum naves, frumento, seu praeda Hetrusca, onustas, circa Sardiniam cepit. Itaque annis sequentibus bello Punico urgente, idem Octavius ex decreto Patrum navibus longis quadraginta maritimam Sardiniae oram est tutatus, et in ea ali-

quas Poenorum naves intercepit, ut apud Livium constat.

Sardi autem per haec tempora ingentem vim frumenti Romanis in bello, quod contra Carthaginienses variis in locis habebant, administrarunt, Livio referente.

549 Anno vero 3757 tanta frumenti copiam ex Sardinia Romam transmiserunt, ut horrea Romana non solum ea, quae jam facta erant, sed nova aedificata repleta fuerint. Cumque vestimenta Romano exercitui deessent, mille et ducentae togae, et duodecim millia tunicarum a Sardis data sunt, Livio etiam authore.

550 Anno etiam sequenti centum onerariae naves commeatu onustae ex Sardinia in Africam transmissae fuerunt. Et altero anno Sardiniae commeatus tantam vilitatem annonae effecerunt, ut mercator pro vectura nautis frumentum relinqueret, Livio referente.

Rom. 552 Coss. Cn. Cornel. Lentulo P. Elio Peto Cato. Anno deinde 3760 pax a Romanis Carthaginensibus data est, bellumque Punicum hac praecipua lege finitum, ut Sardinia, pro qua illud bellum susceptum erat, Romanorum esset, ac illis nullum post hac bellum a Carthaginensibus ejus gratia inferretur. Hac pace facta Sardorum animi, qui hujus belli expectantes eventum, varia fortuna per annos 17 suspensi, et distracti erant, hoc tempore conquievere. Itaque praesidium Sardiniae minui coepit, et tantum legio una, et decem longae naves, ac saepe pauciores ad insulae custodiam Praetoribus decretae fuere, Livio, et Polybio referentibus.

Anno 2762 Cn. Sergius militibus, qui in Sardinia diu stipendium fecerant, agrum ex decreto patrum in insula assignavit, ut ex Livio, et Polybio constat.

Anno autem sequenti, quo M. Porcius Cato erat Sardiniae Praetor, fugati ex insula foeneratores, et sumptus, quos in cultum Praetorum socii facere soliti erant, circumcisi, aut sublati, teste Livio, et Sigonio, fuere. Eo anno magni commeatus, et vestimenta exercitui Romano ex Sardinia missa sunt.

Anno etiam 3770 frumenti decimae imperatae sunt, cujus pars Romam, pars in Ætoliam ad exercitum transmissa fuit, ut Livius inquit. Post haec bellum cum montanis Sardiniae populis, Romani habuere: nam Ilienses, Balari, et alii, qui in montibus viventes, nunquam a Romanis, ut supra dixi,

debellati fuere, cum parum agri seminario haberent, et quem habebant segniter sererent, alios Sardiniae indigenas accurate colentes spoliabant, et quosdam trans aequora, praesertim Pisanos navibus invadebant. Quare Sardiniae Praetores ex Patrum decreto saepius eos bello tentarunt, et quosdam cohibuerunt, caeteros difficultate locorum obsterriti omisere, et liberos eos reliquere: observabant tamen ipsorum mores, qui post latrocinium dies plurimos praedae nundinas celebrabant, et tunc exercitum artibus quibusdam ductantes, eos invadebant, et multos in manus retrahebant, ut Strabo et Diodorus referunt.

Anno autem 5780 bellum ab Iliensibus Sardiniae populis renovatum est, et Corsi a Romanis defecere: Itaque M. Pinarus creatus Praetor secum in Sardiniam trajecit octo millia peditum ex sociis Latini nominis, et trecentos equites. In Corsica pugnatum est, et ad duo millia Corsorum in acie occisi sunt: qua clade compulsi obsides dederunt, et cerae centum millia pondo. Postea cum Iliensibus in Sardinia secunda praelia facta sunt; nunquam tamen a Romanis omni parte fuerunt pacati, ut testatur Livius et Diodorus.

Triennio post T. Ebutius Praet. filium ad Senatum cum literis misit, nuncians Ilienses, et Balaros montanos Sardiniae populos, provinciam pacatam invasisse, nec eis invalido exercitu resistere posse. Eadem etiam Sardorum legati nunciabant, orantes urbibus saltem opem Senatus ferret; jam enim agros populatos esse: quae legatio ad novos magistratus rejecta fuit.

Anno postea sequenti Caralitani, et nonnulli alii defecerunt: Itaque in Sardiniam duae legiones scribi jussae sunt; quina millia ducenti pedites et trecenti equites in singulas; et duodecim millia peditum sociorum, ac Latini nominis, et sexcenti equites, et decem quinqueremes naves. Cum eo exercitu T. Sempronius Gracchus Cos. trajecit in Sardiniam, ob belli magnitudinem provinciam consularem eo anno factam. Ibi (si vera sunt quae in quinta Decade sub nomine Livii edita traduntur) multis secundis praeliis Sardos perdomuit: quindecim millia hostium sunt caesa; omnes Sardorum populi, qui defecerant, in ditionem redacti; stipendiariis veteribus duplex vectigal imperatum, exactumque: caeteri frumen-

tum contulerunt. Pacata provincia, obsidibus ex tota insula 230 acceptis, legati Romam, qui ea nunciaret, missi sunt, quique ab senatu peterent, ut ob eas res ductu auspicioque T. Sempronii prospere gestas Diis immortalibus honos haberetur, ipsique decedenti de provincia exercitum secum deportare liceret.

Peracto anni curriculo, legati in urbem venerunt, et Senatus in Æde Apollinis, eorum verbis auditis, supplicationem in biduum decrevit, et quadraginta majores hostias Consules immolare jussit; ac M. Popilium illius anni Praetorem deprecatus fuit, ne in Sardiniam iret: sed illam T. Sempronio relinqueret, quem uti Proconsulem, cum eodem exercitu, eo anno in provincia manere voluit.

Altero autem anno T. Sempronius ex Sardinia reversus, ut inquit Volaterranus, caprarum greges, captivorumque, victor portavit, et triumphum egit.

Biennio post tabulam in aede Matris Matutae posuit, in qua Sardiniae insulae forma erat, atque in ea simulacra pugnarum picta, cum hoc indice, TIB. SEMPRONII GRACCHI CONSULIS IMPERIO AUSPICIOQUE LEGIO EXERCITUSQUE P. R. SARDINIAM SUBEGIT: IN EA PROVINCIA HOSTIUM CAESA AUT CAPTA SUPRA OCTAGINTA MILLIA; REP. FELICISSIME GESTA ATQUE LIBERATIS VECTIGALIBUS RESTITUTIS EXERCITUM SALVUM ATQUE INCOLUMEM PLENISSIMUM PRAEDA DOMUM REPORTAVIT; ITERUM TRIUMPHANS IN URBEM ROMAM REDIIT. CUJUS REI ERGO HANC TABULAM DONUM IOVI DEDIT. Haec omnia tradit author quintae Decadis, quae nomine T. Livii circumfertur. Et Cornelius Nepos, seu alius incertus author qui librum *De Viris Illustribus* scripsit, addit ob eam captivorum multitudinem proverbium fuisse celebratum, SARDI VENALES, quo postea Cicero contra Tigellium usus fuit. Sed apud Livii Abbreviatorem tantum legitur eo anno in Sardinia fuisse bellatum, et quidem (ut inquit Sabellicus) parum memorabili eventu: tantum enim in quasdam urbes saevitum fuit, et praecipue in urbem Caralis, illiusque gentem, quam, ut tradit L. Florus et Jornandes, contumacem repererat: reliqui autem montani populi invicti semper permanserunt, ut Livius in fine IV. Decadis, Diodorus, et Strabo tradiderunt: nec memoratum proverbium originem traxit ex eo

bello, sed longe ante, Romuli tempore, quando triumphum egit de Vejis Hetruriae populis, qui erant Sardiniani coloni, et Sardi dicebantur, Plutarcho, et M. Varrone referentibus.

Anno deinde 3790 binae decumae in Sardinia fuerunt imperatae, ac multum frumenti in Macedoniam portatum.

Anno autem 3835 Aurelius Horestes Consul, ut Abbreviator Livii, et Cuspianus referunt, Sardos, qui defecerant, subegit, et ob atrocem insalubremque hyemem vestem in exercitum imperavit. Sardi autem missis ad Romanos legatis excusationem dederunt; et Senatus jussit Horesti aliunde vestimenta militibus parare: deinde ob C. Gracchi tunc Sardiniae Quaestoris merita sponte vestem militibus dedere. Gracchus enim cum Sardis se bene gessit, deditque omnis specimen virtutis, ac alios Quaestores justitia, temperantia, et industria antecelluit, ut tradit Plutarchus, Sabellicus, et An. Gellius, qui, Cajum Gracchum ex Sardinia redeuntem, hanc orationem ad populum in concione habuisse, refert « Versa-« tus sum, inquit, in provincia quomodo ex usu vestro exi-« stimabam esse, non quomodo ambitioni meae conducere ar-« bitrabar, nulla apud me fuit popina, neque pueri eximia « facie stabant; sed in convivio liberi vestri modestius erant, « quam apud Principem ». Post deinde haec dicit: « Ita ver-« satus sum in provincia, ut nemo possit vere dicere assem, « aut eo plus in muneribus me accepisse, aut mea opera « quempiam, sumptum fecisse. Biennium enim fui in provin-« cia, si ulla meretrix domum meam introivit, aut cujusque « servulus propter me solicitatus est, omnium nationum po-« stremum, nequissimumque existimato: cum a servulis eorum « tam caste me habuerim, inde poteritis considerare, quo-« modo me putetis cum liberis vestris vixisse ». Atque ibi ex intervallo: « Itaque inquit, Quirites cum Roma profectus zo-« nas, quas plenas argenti extuli, eas ex provincia inanes re-« tuli. Alii vini amphoras, quas plenas tulerunt, eas argento « plenas domum reportaverunt ». Discesserat autem Gracchus ex Sardinia sua sponte, non veniente successore, ut Cornelius Nepos refert.

Anno etiam 3848 bellum cum Sardis renovatum est, de illisque M. Metellus triumphum egit, ut tradunt Eutropius, Sex. Ruffus, Cuspianus, et Onuphrius Panvinus.

Ortum est postea primum civile bellum inter Marium, et Syllam, qui anno 3879 victor Romam intravit, et dictatorem perpetuum se fecit, atque L. Philippum Legatum ad Sardos misit, qui pulso, occisoque Antonio Praetore Marianae factionis, insulam occupavit, teste Livii Abbreviatore. Eo tempore creditur *Syllanum* Sardiniae oppidum fuisse conditum, et nomen a Syllanis sortitum: nam et Syllam plerasque colonias misisse testatur Plutarchus.

Anno 3883 obiit Sylla, et M. Æmilius Lepidus Cons. Marianae partis assertor, contra Q. Lutatium Consulem Syllanae factionis in Sardinia molitus est bellum: sed post paucos dies distillationis morbo, ut inquit Appianus Alexan. vel moerore ob conjugis adulterium confectus, ut vult Plutarchus, re infecta obijt.

Anno 3893 Piraticum bellum Cneo Pompejo decretum est, nam Sardinia, et alia maritima loca piratarum incursionibus, et populationibus vexabantur. Pompejus lustrato Sardoo mari Sardiniae oram Lentulo Marcellino, et P. Attilio tuendam tribuit, eaque cura alia maria tutatus, intra paucos menses praedones omnes fudit, fugavitque, et tutum mare navigantibus reddidit, ut refert Sabellicus.

Anno sequenti idem Pompejus procurationi, et administrationi rei frumentariae praepositus, magnam vim frumenti ex Sardinia congessit, annonaeque angustiam levavit, teste Plutarcho in ejus vita.

Per memorata tempora, ut creditur duae coloniae in Sardiniam deductae sunt, colonia scilicet ad Turrim Libysonis Septentrionem versus, de qua Plinius, Ptolomaeus, Onuphrius, et Sigonius, et Usellis colonia Orientem versus, de qua Ptolomaeus, et Onuphrius: Caralis in super facta est urbs civium Romanorum, teste Plinio; et ut creditur, condita fuit in Sardinia civitas Tibula Septentrionem versus a Tiburtinis, et Latinis Romanorum sociis, a quibus per compositionem dicti sunt populi *Tibulatii*, de quibus etiam meminit Ptolomaeus. Ad haec Sardi quamplures ob eorum merita, et virtutes civitate Romana, ut, in oratione pro L. Cornelio Balbo, inquit Cicero, fuerunt donati.

ROMANI IMPERATORES.

Julius Caesar Reipublicae Romanae dictator, anno 3913 misso Q. Valerio cum legione una, Sardiniam a Pompejanis vacuam occupavit. Sardi enim Caesaris imperio cedentes M. Cottam Praetorem ex urbe Caralis, et insula ejecerunt; ac ultro Valerium receperunt, qui insulam eo anno administravit, Dione, Caesare, Paulo Orosio, et Appiano Alexandrino referentibus.

Anno sequenti Sex. Peduceum in Sardiniam Caesar delegavit, et navibus longis insulam munivit, ut Appianus Alexandrinus, et alii referunt.

Anno 3916 Q. Varro, M. Cato, multique alii Pompejani magna navium classe Sardiniae oram infestarunt; itaque Caesar, qui ex Sardinia auxilium commeatumque habuit, in Africam profectus eos vicit, et inde in Sardiniam reversus insulam lustravit et composuit. Sulcitanos, qui L. Nasidium cum classe Pompejana receperant H-S. centum millibus mulctavit, et pro decimis octavas pendere jussit, bonaque paucorum vendidit. Stetit in Sardinia dies decem et octo, et abiit Romam; ubi biennio postea a conjuratis viginti tribus vulneribus fuit confossus, postquam in Sardinia regnaverat annos quinque, et menses . . . Dione et Sabellico attestantibus. Interfecto Julio Caesare bellum civile fuit reparatum, sed anno 3920 Caesar Octavianus C. Julii nepos triumviratum cum Lepido, et Antonio conclusit, provinciasque partitus Sardiniam ex duplici foedere obtinuit, duabusque legionibus munivit, ut ex Dione, Sabellico, et Appiano Alexand. constat. Sex. autem Pompejus, Marcus, et Ænobarbus, ac alii proscripti et fugitivi factionis Bruti et Cassii, formidabili coacto exercitu, oram Sardiniae caedibus, et rapinis compleverunt, ac mari intercluso Sardiniae commeatum impediere, eodem Dione, et Appiano referentibus.

Anno sequenti, orta discordia inter Antonium et Caesarem, bellum reparatum fuit. Antonius, qui Sex. Pompejum fautorem habebat, Mennam cum Pompeii classe quatuor legionibus instructa ad Sardiniam sibi occupandam misit, insulamque

Caesari parentem facile est consequutus, ac duas legiones, quas in ea invenit ob Antonii cum Pompejo conspirationem metu territas, sibi assumpsit. Sed non multum eam tenuit; nam L. Coccei opera pacem cum Caesare resarcivit, et ex conditione novi foederis insulam illi restituit, ut refert Dion, et Appian. Alexand.

Biennio post Sex. Pompejus, audita Caesaris et Antonii pace, Mennam libertum cum magna navium classe in Sardiniam misit, qui copiis in terram expositis, obvio exercitu a M. Lucio tunc Praetore adortus, primo congressu terga dedit, postea firmatis, contractisque in unum locum copiis Lucium, qui nullo servato ordine milites insectabatur, vicit, et ex insula fugavit, Caralim postea obsidione cepit, et in ea Helenum Caesaris libertum, caetera quoque oppida, arcesque ex concordia obtinuit, et ad Caesarem Helenum dimisit, ut Dion., et L. Florus referunt.

Post captam Sardiniam, Pompejus navibus praedatoriis mare adeo infestum fecit, ut commeatibus impeditis Romam fame asperrima afflixerit; illis tandem ab Antonio obviam itum est, et pax hac lege facta, ut Sardiniam Sex. Pompejus haberet, quod tradunt Plutarchus, Dion, Sabellicus, et Appian. Alexand.

In sequenti anno Pompejus foederis conditiones rupit, ac Mennam Sardiniae Praetorem, sibi ex levissimis causis suspectum, legatis ad eum missis revocat; sed Menna legatos occidit, et Philadelphum Caesaris libertum, qui in insulam frumenti convectandi gratia venerat, ad Caesarem Octavium mittit, et Sardiniam cum tribus legionibus, et sexaginta navium classe illi obtulit, ut Orosius, Dion, et Appianus Alexandrinus tradunt.

Octavius, parta Sardinia, Lepidum abdicare coegit, Pompejum et Antonium vicit, atque ita, illis mortuis, singulare imperium ex S. P. Q. R. voluntate sibi uni stabilivit, provincias omnes disposuit; Sardiniam, et undecim alias S. P. Q. R. administrandas tradidit, teste Svetonio, et Onufrio Panvino. Regnavit Octavius et Sardiniae dominatus est annos 55, et post illius obitum caeteri Imperatores Romani usque ad quartum annum Fl. Antemii hac serie successerunt, et Sardiniae regno dominati sunt.

A Nativitati Salvatoris Jesu Christi

Anno 15 Tiberius Caesar Rom. Imperator est assequutus Sardiniam, et in ea regnavit annos 22 menses 6 dies 26: et obiit XVII. kal. aprilis.

Anno 38 Cajus Caesar cognomento Caligula Imperator Roman. accepit Sardiniam, regnavitque in ea annos tres menses 10 dies 9 et occisus est IX. kal. februar.

Anno 42 Claudius Caesar Rom. Imper. Sardiniam regere coepit, et in ea regnavit annos 13 menses 8 dies 20 et mortuus est III. idus octobris.

Anno 56 Nero Claudius Caesar Rom. Imp. Sardiniam obtinens, regnavit annos 13 menses 6 dies 28, et seipsum interfecit IV. idus junii.

Anno 69 Sergius Galba Rom. Imp. Sardiniam assequutus, regnavit menses 3 dies 5: et occisus est XVII. kal. febr.

Anno 70 Otho Sylvius invasit Imperium Romae, et Aulus Vitellius factus est a Germanicis exercitibus Imperator: unde Sardinia nemini accessit, quousque res Othonis ex tribus praeliis sub Alpibus circa Placentiam et ad Casturem factis superiores fuere. Tunc enim partes Imperatoris Othonis tenuit, quousque seipsum interfecit XII. kal. maii ejusdem anni, ut refert Cornel. Tacitus.

Eodem anno Aulus Vitellius Rom. Imp. mortuo Othone tenuit Sardiniam, et illi dominatus est menses 8 dies 5: occisus est IX. kal. januarii.

Anno 71 Vespasianus Rom. Imp. obtinuit Sardiniam, et regnavit annos 9 menses 6, et VIII. kal. julii obiit.

Anno 80 Titus Vespasianus Rom. Imper. regnare coepit in Sardinia, et imperavit annos 2 menses 2 et dies 20: et idibus septembris mortuus est.

Anno 82 Domitianus Rom. Imper. Sardiniam habuit, et regnavit annos 15 dies 6, et occisus est XIV. kal. octobris.

Anno 97 Nerva Caesar Rom. Imper. obtinuit Sardiniam, et in ea dominatus est annum 1 menses 4 dies 11: et mortuus est VI. kal. februarii.

Anno 99 Ulpius Trajanus Rom. Imper. assequutus Sardi-

niam, regnavit annos 19 menses 6 dies 15: et mortuus est VI. idus augusti.

Anno 118 Ælius Adrianus cum Rom. Imperio Sardiniam habuit, et retinuit annos 20 menses 10 dies 29: et VI. idus julii mortus est. Hic Sardiniam, et Corsicam, quae hucusque sub uno Praetore Sardiniae fuerunt administratae, sejunxit, et praesidiales, teste Ruffo, et Onuphrio, fecit.

Anno 139 Antonius Pius Rom. Imper. obtinuit Sardiniam, et regnavit annos 22 menses 6 dies 26: et obiit nonis martiis.

Septimius Severus, qui postea fuit Imperator, hoc tempore fuit Sardiniae Quaestor, Ælio Spartiano referente.

Anno 162 M. Aurelius Antoninus, et L. Antoninus Verus Rom. Impp. susceperunt Sardiniam, et regnarunt ambo annos circiter 9. M. Aurelius vero omnino regnavit annos 19 dies 11: et mortuus est XVI. kal. aprilis.

Anno 177 L. Commodus M. filius Rom. Imperium simul cum patre habuit, et regnavit in Sardinia annos 3 menses 3 dies 18: et eo mortuo solus regnavit annos 12 menses 8 dies 15: et occisus est pridie kal. januarii.

Anno 194 Helvius Pertinax Rom. Imper. accepit Sardiniam, et regnavit in ea menses 2 dies 28: et interfectus est III. kal. aprilis.

Anno eodem Didius Julianus Rom. Imper. assequutus Sardiniam, regnavit menses 2 dies 5: et kal. junii ejusdem anni fuit interfectus.

Anno eodem Septimius Severus Rom. Imper. obtinuit Sardiniam, et regnavit annos 17 menses 8 dies 3: et mortuus est pridie non. februarii.

Anno 199 Bassianus, qui Antonius Caracalla dicebatur, cum Severo patre regnavit in Sardinia annos 13; et, patre mortuo, annos circiter 6: et occisus est VI. idus aprilis.

Anno 218 Opilius Macrinus Rom. Imp. obtinuit Sardiniam, et imperavit annum 1 mensem 1 dies 28: et interfectus est VII. idus junii ejusdem anni.

Anno 219 M. Aurelius Antoninus, cognomento Heliogabalus, Rom. Imp. habuit, et regnavit in Sardinia annos 3 menses 9 dies 4: mortuus est VI. idus martii.

Anno 223 Aurelius Alexander, Mammeae filius Rom. Imper.

obtinuit Sardiniam, et regnavit annos 13 dies 9: et occisus est XV. kal. aprilis.

Anno 236 Julius Maximinus Rom. Imper. accepta Sardinia regnavit annos 2: et post aliquot menses occisus est.

Anno 238 Pupienus Balbinus, et Gordianus Rom. Impp. assequuti Sardiniam, regnarunt annum unum: et occisi sunt.

Anno 239 Gordianus Junior Rom. Imper. habuit Sardiniam, et regnavit annos circiter sex: et occisus est.

Anno 245 Philippus Christianus Rom. Imper. accepit Sardiniam, et regnavit una cum Philippo filio etiam Christiano annos 5: et interfecti fuere.

Anno 250 Trajanus Decius Rom. Imper. tenuit Sardiniam, et imperavit cum filio Decio annis 2: et occisi sunt.

Anno 252 Gallus Rom. Imper. habuit Sardiniam, et regnavit cum Volusiano ejus filio annum 1 menses 6: et interfecti sunt.

Anno 257 Licinius Valerianus, et Gallienus Rom. Impp. assequuti Sardiniam, dominati sunt annos 7: et Valerianus a Persis victus, et captus fuit.

Anno 264 Gallienus Rom. Imp. habuit, et regnavit in Sardinia cum fratre Valeriano, et filio Gallieno annos 8: et XII. kal. aprilis cum fratre et filiis occisus est.

Anno 269 Flavius Claudius Rom. Imper. accepit Sardiniam, et regnavit in ea annum unum, menses 11 dies 7: et pridie nonas februarii mortuus est.

Anno 271 M. Aurelius Quintillus Rom. Imper. obtinuit Sardiniam, et in ea regnavit dies 17: et occisus est X. kal. martii.

Eo anno Valerius Aurelianus Rom. Imper. obtinuit Sardiniam, et dominatus est annos 4 menses 11 dies 7: et fuit occisus IV. kal. februarii, fuitque interregnum mensium 8.

Anno 276 M. Claudius Tacitus Rom. Imper. obtinuit Sardiniam, et illi dominatus est menses 6 dies 20: et occisus fuit idibus aprilis.

Anno 277 Annius Florianus Rom. Imper. obtinuit et dominatus est Sardiniae menses 2 dies 20: et interfectus fuit V. nonis julii.

Eodem anno Valerius Probus Rom. Imper. habuit Sardi-

niam, et regnavit annos 5 menses 4: et occisus est IV. nonas Novembris

Anno 282 M. Aurelius Carus Rom. Imper. habuit Sardiniam, et regnavit cum filiis Carino, et Numeriano Caesaribus annum unum: et mortuus est.

Anno 283 M. Aurelius Carinus, et M. Aurelius Numerianus Rom. Impp. assequuti Sardiniam regnarunt annum unum: et mortui sunt.

Anno 284 Aurelius Valerius Diocletianus Rom. Imper. accepta Sardinia, regnavit in ea solus annos 2 et una cum Maximiano alios annos 18 et imperio se abdicaverunt XI. kal. maii.

Anno 304 Constantius, et Galerius Rom. Impp. partiti sunt imperium, atque ita Sardiniam, Italiam, Africam, et Gallias Constantius; reliquas partes Galerius obtinuit. Sed Constantius Gallia, Hispaniaqne contentus, Galerio Sardiniam, et caeteras partes reliquit; et ita in Sardinia regnavit Galerius annos circiter 2: postea Caesarem elegit Severum, cui Sardiniam, et Italiam commendavit. Hic Severus regnavit annum 1 et menses aliquot: et Ravennae interfectus est, ut ex Orosio, Eutropio, et Platina constat.

Anno 306 Maxentinus, Maximiani Herculei filius, Rom. Imp. assequutus Sardiniam, regnavit in ea annos circiter 6 et occisus est.

Anno 312 Constantinus Maximus Imper. Rom. habuit Sardiniam, et imperavit in ea annos 24 menses 9 dies 28: et mortuus est XI. kal. junii.

Refert Platina aliquos scribere (sine authore tamen) Sardiniam cum fundis suis hoc tempore fuisse a Constantino dono datam Ecclesiae sanctorum martyrum Marcellini Presbyteri, et Petri Exorcistae, quam ipse Romae in via Lavicana inter duas lauros aedificaverat, id etiam tradit Damasus in Pontficali.

Sunt et alii, qui asserunt omnes Italiae, et Occidentalium regionum provincias, atque ita Sardiniam, fuisse a Constantino beato Sylvestro Papae, et successoribus concessas, ut apud Isidorum, Ivonem, Photium, et in Gratiani decretis est videre: sed quia non desunt, qui id negent, dijudicandum acrioris ingenii viris relinquo. Zozimus tamen, et Onu-

phrius tradunt hoc tempore Constantinum Romanum imperium in Occidentale, et Orientale secuisse, et novas provinciarum distinctiones fecisse, novosque magistratus excogitasse; atque ita Sardiniam provinciam Praesidialem Italiae fecisse, quae a proprio Praeside quotannis creato regeretur, cui praeesset Vicarius urbis, et Vicario Praefectus Praetorio Italiae, qui post Imperatorem primus erat.

Anno 337 Constans, diviso cum fratribus imperio, Sardiniam obtinuit, et in ea regnavit annos 12 menses 9: et mense martii occisus est.

Anno 350 Fl. Magnentius Rom. Imper. Occidentalis obtinuit Sardiniam, et regnavit annos 3 menses 7: et acie profligatus fuit mense junii.

Anno 353 Constantius Rom. Imper. Occidentalis habuit Sardiniam, et regnavit annos 9 mensem 1: et obiit mense novembris.

Anno 362 Julianus, cognomento Apostata, Rom. Imper. obtinuit Sardiniam, et in ea regnavit annum 1 menses 8 dies 27: et VII. kal. julius occisus est.

Anno 364 Jovianus Rom. Imper. assequutus Sardiniam, regnavit menses 5 dies 22: et mortuus est XIII. kal. martii.

Anno eodem Valentinianus, diviso cum Valente fratre Rom. Imperio, Sardiniam obtinuit, et in ea regnavit annos 11 menses 8 dies 22: et mortuus est XV. kal. decembris.

Anno 375 Gratianus, et Valentinianus Junior Rom. Impp. habuerunt Sardiniam, et in ea regnarunt simul annos 7 menses 9 dies 9: et mortuus est Gratianus VIII. kal. septembris.

Anno 383 Fl. Maximus Occidentis Imperium, et cum eo Sardiniam occupavit, regnavitque annos 5 dies 2: et occisus est VI. kal. septembris.

Anno 388 Valentinianus Junior Rom. Imper. Occidentalis, Sardiniam habuit, et regnavit annos 3 menses 8 dies 18: et occisus est idibus maii.

Anno 392 Flav. Eugenius Rom. Imper. Occidentalis, Sardiniam accepit, et in ea regnavit annos 2 et menses 4 diesque 14: et occisus est VIII. idus septembris.

Anno 397 Honorius Rom. Imper. Occidentalis Sardiniam tenuit, regnavitque annos 28 dies 10: et mortuus est XVIII. kal. septembris.

Anno 423 Fl. Joannes Sardiniam, et Occidentis Imperium occupavit, ac illis annos duos imperavit. Postea idibus octobris, Placidus Valentinianus, Imperator creatus, obtinuit Sardiniam, et in ea regnavit annos 29 et menses 5 diesque 23: et occisus est XV. kal. aprilis.

Anno 455 Anicius Maximus Rom. Imper. Occidentalis Sardiniam assequutus, regnavit menses 2 dies 27: et pridie idus junii occisus est, fuitque interregnum 28 dierum.

Anno eodem Mecilius Avitus Rom. Imper. Occidentalis Sardiniam est nactus, et in ea regnavit menses 10 dies 8: et imperio se abdicavit XVI. kal. junii, fuitque interregnum mensium 10 et dierum 15.

Anno 457 Julius Valerius Majorianus Rom. Imper. Occidentalis consequutus est Sardiniam, et in ea est dominatus annos 4 menses 4 dies 2: et occisus est nonis augusti.

Anno 461 Vibius Severus Romanorum Imperator Occidentalis Sardiniam accepit, regnavitque annos 3 menses 8 et dies 28: et eo mortuo fuit interregnum anni unius mensium 7 et dierum 27.

Anno 467. Fl. Anthemius Imp. Occidentalis Sardiniam habuit, regnavitque in ea annos 4, et menses aliquot; et a Genserico Vandalorum rege, Sardiniam armis occupante, regno privatus fuit anno a Cajo Julio Caesare circiter 518.

Horum Imperatorum temporibus Sardi pacate vixere, nullumque memorabile bellum habuere; et urbes, quae plures in Sardinia, teste Ptolomaeo, et Antonio Pio, erant, hoc tempore maxime floruere, ac amplissimis, et sumptuosissimis aedificiis, quorum reliquiae adhuc visuntur, exornatae fuere. Via lata, quae adhuc in Sardinia apparet, fuit ab urbe Turrium, usque ad urbem Caralis, ultra 125 millia passuum magnis lapidibus strata. Et aquaeductus altitudinis sex cubitorum, et longitudinis 12 millia passuum, per quem fons *Aquae clarae* a Valle sancti Martini, usque ad urbem Turrium deducebatur, fuit tunc constructus, et illius pulcherrimae partes, et maximae hucusque extant.

Hoc etiam tempore, quo Sardi summa pace, et ocio fruebantur, dignatus est, Rex pacificus Dominus noster Jesus Christus venire in mundum, et genus humanum redimere:

anno enim 29 Imperii Octaviani Augusti VIII. kal. januarii natus est de Maria Virgine; 18 Tiberii Caesaris VII. kal. aprilis crucifixus; triduo post a mortuis resurrexit, et 40 die in coelum ascendit.

Quadriennio post, anno scilicet a Nativitate Christi 38 Tiberius Caesar quatuor millia juventutis Judeorum Urbe expulit, et in Sardiniam misit, ut Josephus, et Sabellicus referunt; et eodem anno Senatus Populusque Romanus Christianos omnes Urbe eliminari jussit, ut tradunt Orosius, Svetonius, et Eusebius: atque ita judicatur eorum plures etiam in Sardinia forte missos Sacrum Christi Evangelium disseminasse.

Beatus etiam Paulus Apostolus, qui liberatus a carcere anno circiter 60 salutare verbum, ut inquit Primus Cabilonensis Episcopus, in Corsica praedicavit; et S. Petrus Apostolus, qui totum Occidentem, ut refert Nicephorus, praedicando peragravit, in Sardinia Christi Evangelium disseminasse creditur. Caeterum in Sardinia illi tantum instituerunt Ecclesias, quos beatus Petrus Apostolus, vel ejus successores constituerunt Sacerdotes, ut tradit Innocentius Papa hujus nominis primus, quem Ivo, et Gratianus referunt: atque ita in Sardinia plures summi viri sanctitate perspicui, et miraculis clari his temporibus floruere.

Anno enim 82 Æmilianus, Priamus, Lucianus, et Felix foemina, sanctitate in Sardinia excelluerunt, et V. kal. junii miraculis clari migrarunt in caelum, ut inquit Usuardus.

Anno . . . . s. Sallustianus miraculis in Sardinia clarus obdormivit in domino VI. idus junii ut refert Usuardus. Hunc sanctum Justinianum appellat Maurolicius Abbas.

Anno . . . . . . Gabinus, et Crispolus sanctitate insignes, in Turribus Sardiniae martyrium passi III. kal. junii decenter honorantur, eodem Usuardo referente.

Anno 304 . . . Crescentianus, qui in praeclara Turrium urbe sanctitate, et miraculis fulsit, pridie kal. junii martyrio coronatus migravit in caelum, ut tradit Usuardus. Is etiam in metropolitana Turrium Ecclesia summo in honore habetur.

Anno . . . . Justa, Justina, et Henedina sanctitate in Sardinia fulgentes, pridie idus maii migrarunt in caelum; et in Cathedrali Sardiniae Ecclesia sub eorum invocatione erecta decentissime coluntur.

Anno circiter 125 Antiochus medicus nobilissimus, atque optimus, natione Maurus, ac fide Christianus ab Adriano Imperatore, tunc in Africa existente captus, ob fidei constantiam accerrimis tormentorum generibus cruciatur, et in ahenum ferventissimi olei, picis, et resinae mergitur: at cum signo Crucis, et Angeli tutela illaesus evaderet urso, leoni, atque pardo traditur; sed eorum feritatem oratione compressit, et Deorum idola comminuit. Unde jussu Adriani in Sardiniae Sulcitanam insulam, a plebe, et cultura hominum desertam, a Cyriaco deportatur: ibique in vastissimo antro vigiliis, jejunis, et orationibus Deo serviebat; et infirmos ex Sardinia ad eum confluentes curabat, pluresque ad fidem Christi vocabat; atque ita jussu praesidis captus oratione facta, ac voce de caelo audita, cunctis mirantibus, in caelum migravit idibus decembris, ut in illius historia, in Ecclesia Sulcitana recondita, constat. Ejus corpus in amplissimo templo sub ejus invocatione constructo Sardiniae populi frequentissimi venerantur.

Anno circiter 168 Potitus natione Sardensis, unicus Hilæ filius, patre relicto, daemonisque tentationibus superatis mira sanctitate floruit, multisque miraculis claruit. Nam in urbe Valeriana Quiriacam Agathonis conjugem lepra mundavit, et Romae Agnetem Antonini Pii filiam daemone liberavit; idola quoque oratione comminuit, et dissipavit. Itaque ab Antonino tunc Christianos persequente captus, et fustibus caesus, catenisque ferreis ligatus, in carcere fuit reclusus. Sed Angelus, catenis ad instar cerae liquefactis, eum mirabiliter est consolatus. Cum postea equuleo suspensus, exungulatus, ad bestias damnatus, et in sartaginem ferventis olei missus illaesus remaneret, jussu Antonini fuit, oculis effossis, et lingua abscissa, in Apulia decollatus idibus januarii: cujus anima in columbae speciem cunctis videntibus migravit in caelum; corpus autem a Christianis in Sardiniam delatum in loco Norae, nunc caput Pulae dicto, fuit honorifice conditum, ut ex antiquo MS. C. in archivio Ecclesiae Cathedralis Pisanae recondito, constat.

Anno 232 s. Calpurnius Pontianus 19 Romanae Ecclesiae Pontifex, instigantibus sacrificulis idolorum fuit, ob fidei confessionem, ab Alexandro Mammea Imperatore Urbe ejectus, et cum Philippo Presbytero in Sardiniam deportatus, in insu-

lam scilicet Buccinam, ut inquit Damasus. Is in ea duas scripsit epistolas, unam de honore, quo Sacerdotes prosequendi sunt, aliam de fraterna dilectione, et vitandis malis. Fecit ordinationes duas mense decembri, in quibus 6 Episcopos, totidemque Presbyteros, et Diaconos 5 creavit, ut ex Platina, Sabellico, et Damaso constat.

Anno 236, quo fuit sexta in Christianos persequutio, s. Pontianus Papa fustibus mactatus, martyrium in Sardinia consumavit XIII. kal. decembris, cujus corpus a Sardis Christianis decenter conditum per tres ferme annos Insulam decoravit, ut ex supra citatis, et ex Maurolicio Abbate, et Cuspiano constat.

Vacavit Sedes una die, teste Onuphrio, et s. Antherus, qui eo tempore, ut inquit Petrus Recordati, vitam monasticam in Sardinia ducebat, Pontifex Romanus fuit sacratus, eodem Onuphrio referente.

Anno 249 quo Philippus primus Christianus Imperator regnabat, s. Fabianus Papa fecit ex Sardinia Romam deportari corpus sancti Pontiani, et in coemiterio Callixti in via Appia sepelliri; ut refert Platina, Damasus, Sabellicus, et Bergomensis.

Anno circiter 290 Proptus, et Januarius Christiani Sardi Turritani ex Illiensibus Romam profecti a beato Cajo Papa ordinantur, Proptus Presbyter, et Januarius Diaconus, et in Sardiniam reversi in Turribus fidem Christi praedicant, ut in eorum historia, a magistro Garibaldo composita, constat.

Anno circiter 300 Proptus, et Januarius in urbe Turritana mira sanctitate florentes in saevissima Diocletiani, et Maximiani persecutione varia tormenta prò fide Christi constanter passi sunt; nam a Barbaro Sardiniae et Corsicae Praeside Proptus in Herculis insulam, *Linariam* vulgo dictam, deportatus fuit; et Januarius junior blanditiis, et donis tentatus, mox ambo equuleo suspensi, et ferreis ungulis excarnificati fuere.

Eodem tempore in Turribus floruit Gavinus Romanus miles, ex praeclara Sabelliorum, ut fertur familia, qui custos Sanctorum a Barbaro relictus, salutaribus eorum monitis fidem Christi amplexus, liberos abire permisit, et Sancto Spiritu repletus pro Sanctis causam dixit: unde postea pro constantia catholicae confessionis obtruncatus, ex invio suburbano Turrium, ubi Sancti latebant, quos magistros habuerat primum,

dimissos ad coronam vocavit, et cum se Sancti Dei obtulissent in Portu Balagai, in eodem loco, ubi beatus Gavinus, gladio occisi sunt VIII. kal. novembris.

Hi multis miraculis clari patroni sunt Ecclesiae Metropolitanae Turritanae, in qua eorum corpora decenter recondita magna totius insulae populorum frequentia coluntur, ut ex antiquo MS. ejusdem ecclesiae codice, et in historia ab Antonio Cano, et Salvatore Salepusio Archiepiscopis Turritanis constat. De sancto Gavino meminit etiam sanctus Gregorius in regestro: et mensis octobris, sancti Gavini mensis, a Sardis appellatur.

Anno 303 floruit Ephysus natione Graecus, ex Christophoro Christiano, et Alexandra conjuge procreatus, qui a Diocletiano Dux contra Christianos missus, voce de caelo audita ad Christum vocatus convertitur, et in Sardinia contra montanos Barbaracinos insulam devastantes proficiscitur, illosque acie instructa occurrentes, Crucis signo munitus, mirabiliter vicit, et profligavit. Inde Caralim abiit, et populum illum tunc idolorum cultorem ad Christum convertere laborat. Diocletiano quoque litteris ad eum missis, veritatem Christianae fidei praedicat, et se esse Christianum aperte declarat. Itaque jussu Imperatoris a Julsio Sardiniae Praesidae Sanctus Dei captus, fustibus mactatur, ferreisque ungulis excarnificatur; et ita in carcerem conjectus a Christo et Angelis mirabiliter reficitur. Cum postea e carcere ad sacrificandum duceretur, templum, et idola omnia ipsius verbo in terram conciderunt, et Praeses nimio pavore exterritus insula excessit; et provinciam Flaviano administrandam reliquit. Ab isto Flaviano Sanctus Dei multa tormenta passus est: nam prius igni fuit impositus, resina, pice, oleoque aspersus in ignitum clibanum magnis flammis exurentem missus fuit; tandem cum ab his illaesus divinitus evaderet, decollatus fuit in loco Norae, nunc Caput Pulae dicto XVIII. kal. februarii, cujus anima in caelum ab Angelis delata, corpus autem miraculis clarum fuit a Christianis in eo loco, ubi ossa beati Potiti conquiescebant, decentissime conditum; ut ex ejus vita, a Marco presbytero descripta, in Archivio Cathedralis Ecclesiae Pisanae constat.

Eisdem temporibus Juvenalis Archiepiscopus Caralitanus san-

ctitate pollebat, et premente Diocletiani persecutione in montibus Caralitanis latitabat. Hic post Ephysi passionem, populum Caralitanum ad fidem conversum baptizans, fuit a Flaviano captus, et catenis vinctus in carcerem detrusus; sed Angelus Domini apparuit ei, et de carcere illum extrahens ad montem excelsum in locum, qui dicitur, *Caput Passeris*, deduxit, et ibi illius regionis accolas Sacrum Evangelium docuit, illisque Presbyteros, et Diaconos ordinavit; et postea mortuo Flaviano ad urbem Caralis rediit, ut in eadem historia legitur.

Anno 304 Luxorius natione Sardus, et Christi miles pro verae fidei confessione, jussu M. Delasii tunc Sardiniae Praesidis, fuit fustibus graviter caesus, et decollatus prope Caralim, in loco *Frateria* appellato, XII. kal. septembris, sepultus fuit, ut ex antiquo MS. C. in Archivio Ecclesiae Metropol. Turritanae recondito constat. De hoc Sancto meminit etiam Divus Gregorius in regestro.

Eodem anno sanctus Cesellus, et s. Camerinus impuberes Sardi, pro Christi fide jussu Delasii gladio confossi sunt prope Caralim: et in loco, ubi postea templum B. Lucifero confessori dedicatum est, sepulti fuere. . . . . ut ex eodem supradicto MS. C. apparet.

Anno 311 premente in Sardinia Christianorum persecutione sancta Restituta cum duobus filiis Eusebio, et . . . . . . castitate clara, insula excessit, et Romam abiit, ubi mense martii a Papa Eusebio filius baptizatus fuit, et Eusebii nomine insignitus; ut tradit Petrus de Natalibus Episcopus Equilinus, et in Breviario Eusebiano constat.

Anno 314 floruit Quintianus, seu Quintus Episcopus Caralitanus, qui in secunda Arelatensi Synodo interfuit; et Catonus Episcopus Corsicanus, qui in Eliberitana stetit Synodo, ut in primo Conciliorum volumine constat.

Anno 325 in Synodo universali prima Nicena 318 Episcoporum, contra Arii blasphemias mense aprili collecta, praesens fuit Protogenes insignis vir, qui non erat Episcopus Sardicensis provinciae Daciae, ut quibusdam in locis mendose scribitur, sed erat Episcopus Sardiniae, ut etiam tradit Illescas in vita Julii Primi: nam Ecclesia Sardicensis nuncupata non reperitur in Dacia, sed ea est in Lydia, et illius Episcopus,

qui etiam in ea adfuit Synodo, Artemidorus appellabatur, ut in primo Conciliorum tomo constat.

Anno 331 beatus Eusebius Sardus fuit a s. sylvestro Papa ordinatus urbis Romae lector, ut refert beatus Hieronymus.

Anno 336 beatus Eusebius fuit a beato Marco Papa ob ejus sanctitatem, et doctrinam Presbyter ordinatus, ut in Breviario Eusebiano.

Anno 343 idem Eusebius fuit Episcopus Vercellen. a Julio Papa sacratus, et Liguriae, Galliae, ac totius Occidentis Legatus Apostolicus destinatus, ut inde Arianos eliminaret, et populis veram Christi fidem praedicaret; quod effecisse testantur s. Hieronymus, et Primus Cabilonensis Episcopus in Topographia: nam, ut inquit Nauclerus, is omnes Occidentis provincias, sicut Athanasius Orientis, sua doctrina ab Ariana peste purgavit, et Auxentium Mediolanen. Episcopum Arianum ab omnibus Christianis expulsum, damnavit, et sanctum Dionysium ibi Episcopum ordinavit.

Anno 347 in magna Sardicensi Synodo, in causa s. Athanasii congregata, convenit Protogenes Episcopus provinciae Sardiniae, ut ex epistola ejusdem Concilii, et ex Theodorito constat.

Anno 313 Lucifer Archiepiscopus Caralitanus doctrina, et eloquentia clarus, a sancto Liberio Papa Legatus Apostolicus creatus, ad Constantium Imperatorem una cum Pancratio, et Hilario Romanis clericis missus fuit: nam Constantius Synodum in Italia congregare, et Athanasium damnare, Arianisque consubstantialem esse patri filium denegantibus Occidentales Episcopos consentire, cupiebat; ut Platina, Nicephorus, et Hieronymus tradunt.

Anno sequenti congregata fuit Synodus aliquorum Orientalium, et trecentorum Occidentalium Episcoporum in civitate Mediolani, in qua Lucifer, et Eusebius Sardi interfuerunt. Cum autem in ea Constantius, et Orientales Episcopi ante omnia peterent Athanasium per Concilium damnari, et Alexandrina urbe interdici, Synodusque in eam adduceretur sententiam; soli isti duo Sardi, Eusebius et Lucifer cum Dionysio Italo ac Paulino Gallo, dolo deprehenso assurgentes vociferati sunt; Orientales evertendi Niceni dogmatis causa

condemnationem Athanasii urgere, et fraude Christianismum circumvenire; neque verbis ejusmodi de Athanasio agi, sed decretis rite de Deo olim factis insidias tendere. Itaque illis talia proclamantibus Concilium solvitur, et Constantius indignatus Eusebium et Luciferum, qui tam libere loquuti fuerant, perpetuo exilio damnat; ut refert Nicephorus, Sozomenus, Theodoritus, Platina, Volaterranus, et Sulpitius Severus.

Divus Ambrosius etiam tradit beatum Dionysium, qui ex simplicitate Arianorum chyrographo subscripserat, a s. Eusebio fuisse deleto chyrographo liberatum, Arianosque ipsos delusos, et increpatos: atque ita s. Eusebium fuisse in Orientis plagae exilium relegatum, prius Scytopolim, deinde in Cappadociam, ut inquit s. Hieronymo.

In eo exilio, ut idem refert Ambrosius, cum Eusebius animo invictus in fide permaneret, et Arianorum perfidiae communicare omnino denegaret, gravi vexatur supplicio: nam saepe per scalarum gradus supinis pedibus ad imum usque trahitur, et iterum ad summum revocatur, ac illiso capite, toto corpore quassatur; multo deinde effuso sanguine, in cavea, negato potu et cibo, septem diebus recluditur: et tandem in arcto positus loco, ubi se movere non poterat angelica visione, ut inquit Nauclerus, reficitur.

Hic in exilio scripsit Epistolam unam ad Presbyteros et plebes quasdam Italiae, qua de statu suo et vita illos commonefacit: habetur in codice antiquo Mediolani typis excuso, et in Lib. Aloysii Lypomani de Vitis Sanctorum diligentia Laurentii Surii impressis.

Scripsit etiam in exilio Lucifer Caralitanus librum contra Constantium Imperatorem, eique legendum, teste Hieronymo, et Platina, misit.

Hic liber nunc Parisiis excusus ad manus meas pervenit in sex divisus libellos, in quorum duobus primis pro s. Athanasio contra Constantium Imperatorem causam dixit. In 3 de Apostatis Regibus tractans, illis omnibus Constantem comparat. In 4 de non conveniendo cum haereticis scribit et demonstrat quare cum Arianis, et Constante convenire, et communicare non debebant. In 5 de non parcendo in hoc delinquentibus, Constanti non esse parcendum docet. Et in ul-

timo insinuat in ea Constantis persecutione potius moriendum esse pro Dei filio, quam Constanti ipsi, atque Arianis consentiendum: atque ita summa cum eloquentia, et fidei constantia, animoque ad martyrium praeparato, ipsum Imperatorem Constantem reprehendit, atque eum serpentem, belluam, immanissimam feram, latronem, sacrilegum, homicidam, carnificem, templum daemonum, religionis eversorem, idolatram, haereticum, apostatam, et antichristum appellat, ut in ejusdem opusculis latius apparet.

Anno 359 Synodus Ariminensis legatos ad Constantium misit, eum rogantes, ut Luciferum, et Eusebium, aliosque exules revocaret, redireque ad suos juberet, ut Nicephorus, et Theodoritus tradunt: quod nullo modo Constantius concedere voluit.

Anno tamen 362 mortuo Constantio Julianus apostata, qui Imperator successit exulum reditum permisit. Itaque Eusebius, et Lucifer Episcopi Sardi in Orientem Thebis superioribus pervenere, et ibi tractarunt, quemadmodum corruptam Ecclesiarum regulam repararent; placuit, ut Lucifer Antiochiam, et Eusebius Alexandriam iret. Lucifer cum Eusebio Diaconum misit, per quem professus est se ratum habiturum, quod esset Concilio ordinante constitutum, venit deinde Antiochiam, et Ecclesiam illam fluctuantem invenit ob sequaces Euzoii Ariani, et Miletii, qui in exilio vivebat: quare accitis duobus aliis confessoribus creavit Episcopum Antiochiae Paulinum, Eustachii Episcopi presbyterum, qui se nunquam haereticorum communione polluerat, et inde discessit, ut refert s. Hieronymus, Socrates, et Nicephorus.

Eusebius autem Alexandriam concessit, et cum Athanasio Concilium celebravit; et inde Antiochiam profectus, alios Paulinum, alios Miletium sequentes, et inter se divisos invenit: unde cum neutra parte communicavit, Paulinique ordinationem minime probavit; sed propter Luciferi reverentiam habito silentio Antiochia discessit, et ad Ecclesiam suam reversus est.

Hic in Psalterium commentarios edidit, quos de commentariis Eusebii Caesariensis Episcopi in Latinum a se conversis collegit, praetermissis multis, quae ad Arianam haeresim inclinare videbantur, ut beatus Hieronymus, et Volaterranus referunt.

Hoc etiam tempore s. Eusebius Sardus monachorum Orientalium exemplo, per Occidentem Anachoreticam vitam, teste Divo Ambrosio, et Petro Recordati, instituit; quae postea in Sardinia feliciter increvit. Nam in Gallurensi provincia Nicolaus, et Tranus Anachoritae sanctitate insignes, cum multis aliis floruere, et nomen Loco Sancto dedere: in cujus sylvis procul ab omni hominum coetu precibus, jejuniis, et vigiliis duriter victitando mortem obiere. Eorum corpora magna cum omnium Sardorum frequentia decenter coluntur in Ecclesiis, quae postea in eorum honorem fuerunt eodem in loco constructae, ut ex antiquo ejusdem loci Codice, a Ludovico Episcopo Civitatensi approbato, constat.

Lucifer, ubi electionem Paulini Eusebio displicere intellexit, perinde atque injuria affectus esset, succensuit; et cum Eusebio communicare amplius noluit: decreta etiam Synodi Alexandrinae per calumniam reiicere instituit. Sed quia confessionibus suis reperiebatur obstrictus, dum per suum Diaconum ratum se habiturum promiserat, quod a Concilio definitum esset, Ecclesiae fidem retinuit, simultatemque remisit; et in Sardiniam ad proprium thronum remeavit. Illi tamen, qui cum eo contristati, et Luciferani appellati fuerunt, secta constituta Ecclesiam Dei longo tempore oppugnarunt, ut Socrates, et Nicephorus referunt. Contra eos scribit s. Hieronymus.

Isidorus tamen, Gratianus, Nauclerus, et alii plures asserunt hos Luciferianos a Lucifero Smyrnae Episcopo sectam, et nomen habuisse, non autem a Lucifero Caralitano.

Anno 364 s. Athanasius de cöepiscorum suorum sententia, ad Jovianum Imperatorem de sinceriore fidei professione scripsit, ei testatus est eam catholicam, orthodoxamque fidem fuisse in omnibus Sardiniae Ecclesiis comprobatam, ut Theodoritus, et Nicephorus scribunt.

Anno 369 Magnus Basilius Caesareæ Cappadociae Episcopus Sanctitate insignis, ut tradit s. Hieronymus, et Panvinus, obiit, et ejus caput in Sardiniam delatum auro, argentoque clausum in urbe Oristani Sardi venerantur.

Anno circiter 371 Valentiniano, et Valente Impp. s. Eusebius Sardus insignis Vercellensis Ecclesiae Praesul, ab Arianis domo supinus extractus, et lapidibus obrutus kal. augusti miraculis

clarus decessit; et in Ecclesia Vercell. quam ipse costruxerat magna cum veneratione sepultus est, ut refert s. Hieronymus, Volaterranus, et Petrus de Natalibus. Ejus encomium Divus Ambrosius duobus sermonibus conscripsit, et de eo beatus Maximus Episcopus Taurinen. duos tractatus composuit, et Vercellensis Ecclesia hymnum canit

Gaude prole Sardinia,
Laudet mater Ecclesia,
Vercellis, et Italia,
Glorientur præsentia etc.

Ut in Breviario Eusebiano. Venerantur etiam eum in Urbe Turritana, et Sassaren. in ejusdem sancti antiqua Ecclesia magno cum populi concursu.

Anno circiter 380 beatus Satyrus s. Ambrosii frater, in portum Caralitanum facto naufragio evectus, Ecclesiam Caralitanam, cui Lucifer præerat, in schismate invenit: quare statim ex insula discessit, teste Divo Ambrosio in oratione funebri de excessu fratris, et refert Gratianus.

Anno 390 Imperante Valentiniano Lucifer Episcopus Caralitanus obiit, teste Platina, et Hieronymo. Sepultus fuit prope Ecclesiam Caralitanam, et sub illius invocatione templum constructum, ut in vita s. Luxorii legitur. Hic enim a suis contemporaneis, proximaque aetatis hominibus clarus habitus est, ac sanctus: et postquam e vita excessit beatus fuit appellatus, ut Jo. Tilus Episcopus Meldensis in Epistola ad Pium V. testatur: quare in Catalogo Sanctorum a Petro de Natalibus Episcopo Equilino, et quibusdam aliis collocatur: et inter viros Illustres a beato Hieronymo numeratur, qui et illum beatum appellat.

Divus etiam Ambrosius, et Hilarius illum summo in honore habuere, et a sancto Athanasio *homo Dei, famulus Christi, particeps Apostolorum, solatium fraternitatis, et magister veritatis* nominatur in Epistola, quam in exilio ad eum scripsit. Ecclesia quoque Vercellensis illi preces effundere videtur dum canit hymnum dicentem

Tunc paulatim comites
Vi rapuerunt praesules
Eusebium, Dionysium,
Cum eis et Luciferum.

Hos deprecamur sedule
Christi captos pro nomine
Sacris hymnorum meritis,
Caeli fruamur gaudiis.

Ut in Breviario Eusebiano, quo Ecclesia Vercellensis utitur, constat.

Anno 410 s. Sampsutius Archiepiscopus Turrensis floruit; hunc beatus Augustinus virum fidelem in suis epistolis appellat.

Anno 453 XII. kal. novembris undecim millia Virginum apud Coloniam Agrippinam martyrio coronantur: et duo eorum capita Sassarim postmodum translata in Ecclesiis sanctae Mariae in Bethlem, et Jesu Mariae, maxima in veneratione habentur.

Anno 461 sanctus Hilarus, *Hilarius* dictus, Crispini filius, Sardus, vir sanctitate, pietate, et doctrina clarus, ex Diacono creatus est summus Pontifex XIII. kalend. maii, et in Petri Cathedra sedit annos 6 menses 3 dies 10. Quo tempore tres Synodos, Nicaenam, Ephesinam, et Calcedonensem, ac etiam Tomum s. Leonis Papae approbavit. Eutychen, Nestorium, et Dioscorum haereticos cum sectatoribus suis damnavit. Praeterea constituit ne Pontifices deinceps successores sibi deligerent; quae institutio ad omnes Ecclesiasticos gradus pertinet. Ordinavit etiam poenitentes, vel inscios literarum, aut aliqua membrorum damna perpessos ad sacros ordines aspirare non debere. Pontificii Juris decreta in unum contulit, et per universum orbem publicavit, et de fide Catholica epistolas conscripsit. Ordinationes tres mense decembri in Urbe fecit, quibus Episcopos passim 22, et in Eccl. Rom. quinque et viginti Presbyteros, et quinque Diaconos creavit. Tria insuper aedificavit Oratoria in Baptisterio Constantinianae basilicae Urbis, distinxitque auro et preciosis lapidibus, ac sanctis Joanni Baptistae, Joanni Evangelistae, et Sanctae Cruci sacravit. Eorum januae erant argento caelato clausae, quae adhuc in Oratorio sancti Joannis Baptistae visuntur. In Oratorio autem Sanctae Crucis posuit lignum Crucis auro clausum, et ornatum gemmis. Stabat et eo loci Agnus aureus duarum librarum in columnis onychinis. Ante Oratorium erant columnae mirae magnitudinis; quae dicuntur *hecaton*, in fonte Joannis erat lucerna aurae librarum decem, cervi argentei tres octoginta librarum,

aquam fundentes : columba aurea duarum librarum. Addidit et Oratorium sancti Stephani baptisterio Lateranen. Duas quoque bibliothecas apud eundem locum aedificavit. Ad Lunam monasterium struxit, et ad s. Laurentium balneum. Monasterium, et basilicam s. martyris Bibianae aedificavit. Dona templis obtulit, quae prope infinita fuere ex auro, argento, marmoribus, et gemmis, ut ex Platina, libro Pontificali, et Martino Polono constat. Ubi autem Hilarus ea peregit, quae ad optimum Pontificem pertinebant, tum in extruendis templis, ornandisque, tum etiam docendo, admonendo, castigando, elemosynasque, ubi erat opus, praebendo, moritur V. kal. augusti, et sepultus est, ut inquit Platina, in crypta s. Laurentii, ad corpus beati Sixti; vel, ut tradit Martinus Polonus, in basilica sanctae Bibianae cum quatuor millibus, et ducentis sexaginta duobus Sanctorum corporibus, exceptis parvulis, et mulieribus.

Horum etiam Imperatorum temporibus floruerunt in Sardinia alii insignes viri: nam C. Julii Caesaris tempore claruit Phamea, vir Sardus, ipsius Caesaris familiaris, et amicus Caelii, M. Fabii Galli, Q. Pomponii Attici, et M. Tulii Ciceronis; qui cum in petitione Consulatus ejus favore uti speraret, pro eo quamdam causam contra pueros Octavianos susceperat: sed cum die constituto Cicero deesset ex amico habuit Phameam inimicum, et inofficiosum, ut ex ejusdem Ciceronis epistolis constat.

Floruit etiam eo tempore M. Tygellius Hermogenes Sardus, insignis musicus, qui dulciter cantabat, et jocabatur urbane. Hic fuit amicus, et familiaris C. Julii Caesaris, et Cleopatrae, ac etiam Octaviani Augusti: duos tamen praecipuos habuit inimicos M. T. Ciceronem, quod esset nepos supra dicti Phameae, et Q. Horatium Flaccum, quod quaedam illius carmina parum scite modulata fuisse notasset, ut referunt Acron, et Porphyrion; ob id Cicero in Epistolis contra eum scripsit, et Horatius satyrice haec cecinit

Omnibus hoc vitium est cantoribus inter amicos
Ut nunquam inducant animum cantare rogati,
Injussi nunquam desistant; Sardus habebat
Ille Tygellius hoc. Caesar, qui cogere posset
Si peteret per amicitiam patris, atque suam non

Quidquam proficeret: si collibuisset ab ovo
Usque ad mala citaret, Io Bacchae modo summa
Voce, modo hac resonans, quae chordis quatuor ima,
Nilae quale homini fuit illi: Saepe velut qui
Currebat fugiens hostem, persaepe velut qui
Junonis sacra ferret, habebat saepe ducentos,
Saepe decem servos, modo reges atque tetrarchas,
Omnia magna loquens; modo sit mihi mensa tripes, et
Concha salis puri, et toga, quae defendere frigus
Quamvis crassa queat: decies centena dedisses
Huic parco, paucis contento, quinque diebus
Nil erat in loculis, noctes vigilabat ad ipsum
Mane, diem totum stertebat, nil fuit unquam
Sic impar sibi. . . . .

De eo etiam praecedentem satyram scripsit, carpens eum esse largitorem adeo, ut omnibus musicis, et circulatoribus multa donaret.

Anicetus quoque Alexandrinus per tibias canere doctus, a Nerone veluti adulterii reus fuit Urbe ejectus, et in Sardinia non inops, ut inquit Cornelius Tacitus, et Svetonius Tranquillus, diutius vixit.

C. Cassius Longinus maxime authoritatis vir, et Jurisconsultus insignis ab Urbe Roma eodem tempore pulsus, in Sardinia usque ad tempora Vespasiani vixit, teste Bernardo Rutilio, Tacito, Svetonio, et Pomponio Jurisconsulto, qui circa tempus emendandus videtur in lib. 2. ff. de orig. Juris.

Constantianus etiam strator insignis, ad equos militares probandos a Valentiniano missus, Sardiniam hoc tempore venit, et in ea obiit, Ammiano Marcellino teste.

VANDALORUM REGES.

Romani, qui usque ad Valentiniani tempora multorum labore, et virtute Sardiniam, et alias quam plures provincias obtinuerant, eas deinde paucorum ignavia, et socordia amiserunt. Nam Valentiniano occiso, alii alias provincias invaserunt; Alani autem, et Vandali Africam duce Genserico occu-

Vedi vol. 2. Voyage en Sardaigne 416.

parunt, anno humanae salutis 427, ut tradit Onuphrius, Prosper, et Cuspianus.

Hi Africae occupatione non contenti, piraticam in mari exercentes Sardiniam, et caeteras Mediterranei maris insulas 'atrociniis, et praedis diu vexarunt, ut Paulus Diaconus, et Onuphrius referunt.

Anno postea 466 Sardiniam invaserunt, et a Romanorum Imperio eripere conati sunt; sed ipsi Marcelliani Ætii filii opera, et auxilio, qui magna navium classe, ut inquit Cuspianus, a Leone Orientali Imperatore fuit ad Sardiniam defendendam missus, a Sardis rejecti fuere, teste Procopio.

Cum Marcelliano in Sardiniam venerat Maruellus Ætius Estensis, Vicentiae dominus, et in ea diutius moratus, nulla superstite prole obiit, teste Jo. Baptista Pigna.

Anno tamen circiter 471 insulam longo bello afflictam, Romanisque praesidiis destitutam, Vandali de novo adorti, facile subegerunt, ut Victor Uticensis, et Franciscus Balduinus referunt.

Itaque Vandali Reges in ea per annos 60 usque ad Justiniani Imperatoris tempora hac serie regnarunt, ut ex Procopio, Zonara, et Bergomensi constat.

Anno igitur 471 Gensericus secundus Rex Vandalorum, primus obtinuit Sardiniam, et regnavit in ea annos 2 menses 3, et obiit anno 37 quo, post captam Carthaginem, in Africa regnare coeperat.

Anno 473 Hunnericus Genserici filius senior, tertius Vandalorum Rex, Sardiniam obtinuit, et in ea regnavit annos 8 et obiit.

Anno 481 Gundamundus Gensonis filius, quartus Vandalorum Rex Sardiniam obtinuit, et in ea regnavit annos 12: et obiit.

Anno 493 Transmundus Hunnerici filius, quintus Vandalorum Rex Sardiniam adeptus in ea regnavit annos 27: et obiit.

Anno 520 Hildericus Transmundi filius, sextus Vandalorum Rex Sardiniam nactus, in ea regnavit annos circiter 7, et a Gelimere regnis spoliatur.

Anno 527 Gelimer Gensonis filius, per tyrannidem Vandalorum regnum, et Sardiniam sibi occupavit, et cum in Sardinia annum circiter unum regnasset a Goda, quem ad cu-

stodiendam, regendamque insulam miserat, per defectionem fuit regno privatus, teste Procopio.

Anno 528 Goda vir genere Gothus, qui pro Gelimere Sardiniam custodiebat, sciens Justinianum Imperatorem contra Gelimerem arma movisse, et Africam debellare statuisse, protinus in tyrannidem inclinatus insulae tributum Gelimeri mittere destitit, et regnum Sardiniae per defectionem occupavit, Regisque nomen sumpsit, et satellites plurimos circa se posuit, auxilium a Justininiano petiit, qui per Eulogium legatum exercitum, et duces pollicetur, atque ita insulam per annum unum et menses 10 retinuit, et a Zazone Gelimeris fratre vita, et regno privatus fuit, ut scribit Procopius.

Anno 530 Zazon, qui a Gelimere fratre, cum quinque Vandalorum millibus et 120 navibus in Sardiniam fuit missus, in Herculis portum invectus Caralim repente cepit, et Godam tyrannum, et quidquid cum eo inexpugnabile videbatur sustulit, ac insulam Gelimeri restituit, Procopio rèferente.

Eodem tempore Justinianus Imperator milites quadringentos duce Cyrillo in Sardiniam, ut illam Godae custodiret, et reliquum omnem exercitum in Africam nihil hostile metuentem duce Belisario miserat. Cyrillus ea, quae Godae acciderant prope insulam accepit; et ideo mutato consilio in Africam navigavit, in qua Belisarius Gelimeris exercitum vicerat, et Carthaginem ceperat: unde Gelimer inscius eorum, quae in Sardinia acciderant, ita fratri Zazoni scripsit

« Existimo profecto non Godam in Sardinia a nobis deficientem, sed quoddam Vandalorum hoc tempore fatum, « teque ac caeteros fortissimos mihi surripuisse, ex quo contigerit omnes Gigerici opes, ac bona simul corruisse, non « enim ut insulam nobis servares a Goda hinc abiisti, sed ut « Africae totius Justinianus potiretur. Nam quod fortuna prius « sibi voluit, nunc licet ex eventis judicare. Belisarius igitur « parvo admodum exercitu contra nos venit, virtus autem solita Vandalorum omnino deficiens una secum fortunam etiam « abstulit. Amatus enim, et Gibamundus ob nostrorum ignaviam, et mollitiem perierunt; insuper equi, et navalia. « Omnis denique Africa cum ipsa Carthagine ab hostibus tenetur, quibus nunc quiescere licet pro labore, ac virtute bel-

« lica, filios, ac uxores, omnes denique opes nostras possi-
« dentibus; nobis tantum Bulae campus relictus, ubi si qua
« reliqua spes, nos, nosque defendat ac muniat. Qua propter
« tyrannidem, ac Sardiniam, omnemque circa ista loca cu-
« ram deserens, ad nos cum omni classe protinus advola:
« nam quibus de rei summa periculum imminet, stultum est
« alia curare. Simul enim in futurum pugnares contra hostes,
« vel fortunam pristinam recuperabimus, vel hoc saltem lu-
« crifaciemus; quod simul etiam ferre casus, quos nobis
« Deus inflixerit, assuescemus ».

Zazon etiam ignarus eorum, quae in Africa contigerant, eodem tempore Gelimeri literas misit, nuncians Godam tyrannum suis manibus periisse, et insulam iterum regno restituisse; et propterea victoriae festum, celebritatemque ageret; existimaretque reliquos hostes, qui Africam invadere sunt ausi, eundem fortunae exitum breviter habituros. Quae literae a Belisario interceptae fuere; literae autem Gelimeris tute ad manus Zazonis pervenerunt.

Is statim in luctus, et lamentationes conversus, relicto in Sardinia praesidio cum omni classe in Africam properavit; et cum Gelimere, et illius exercitu in Bulae campo se conjunxit, et inde Carthaginem versus processus cum exercitu Belisarii pugnat, ac in ea Belisarius fortissimos, atque optimos plures, ac etiam ipsum Zazonem caedit, reliquosque expugnat. Gelimerem quoque duce Fara in monte Papua capit: et Zazonis capite in Sardinia ostenso, Fara, et Cyrillus facile insulam Justiniano Imperatori acquisiverunt, ut ex Procopio, et Paulo Diacono constat.

His Vandalorum temporibus fuit magna Catholicorum persequutio in Africa, et Sardinia.

Anno enim circiter 474 Hunnericus Rex Ariana haeresi maculatus, omnes milites Catholicos militia solvit, et domibus illorum dirutis, et substantiis confiscatis in insulas Sardiniae, et Siciliae eos relegavit: trecentos quoque Episcopos tota Africa exterminavit, qui in Sardiniam venientes insulam doctrina, et sanctitate clariorem annis septem, quibus in ea steterunt, reddidere; teste Sabellico, Martino Polono, et Matthaeo Palmerio.

Anno autem 481 quo Hunnericus obiit, Guttamundus illius successor, vir quidem Catholicus et devotus ex Sardinia omnes Africae Episcopos revocavit, sedesque illis restituit, teste Bergomensi.

Anno tamen 493, quo Guttamundus obiit, Transmundus Ariana haeresi infectus Catholicis Ecclesias clausit, et ex Africa centum et viginti Episcopos, ut inquit Platina, et Sabellicus, vel, ut vult Paulus Diaconus et Jordanus de Saxonia, ducentos et viginti Episcopos ejecit, qui in Sardiniam, eisdem referentibus, venerunt, et insulam viginti octo annis, quibus in ea steterunt doctrina, et sanctitate clariorem reddiderunt: docebant enim, et praedicabant omnibus in locis fidem Catholicam; ac etiam ad partes ultramarinas de quamplurimis fidei quaestionibus interrogati, literas canonicas transmittebant, ut in vita beati Fulgentii, a discipulo ejus ad Felicianum scripta, constat.

Cum his Africae Episcopis venit etiam in Sardiniam sanctus Fulgentius doctissimus, et eloquentissimus Ruspensis Ecclesiae Episcopus, et sacrum Divi Augustini Corpus, ejusque mitram et baculum, aliasque multas sanctorum reliquias ex Africa, Vandalica persecutione profanata, in eam insulam transtulit. Ibi Corpus illud sanctissimum a Sardis simul cum clero obviam undique confluentibus inenarrabili laetitia, et reverentia fuit exceptum, et in urbe Caralis decenter collocatum in Ecclesia sub illius nomine constructa, ut ex Beda, Jordano de Saxonia, Hieronymo Romano, et Bergomensi constat, et in commentariis rerum ordinis Fratrum Eremitarum sancti Augustini, ac illorum horis canonicis traditur.

Eo tempore quidam vir coecus, qui devote Ecclesiam illam visitavit, et corpus sanctissimum reverenter osculatus fuit, visum mirabiliter recepit. Et quidam doctor nobilis, qui de corpore sancti Doctoris dubitabat, tanti miraculi magnitudine motus, suam incredulitatem publice confessus poenitentiam egit, et deinceps majorem devotionem erga sanctum corpus gessit, ut refert Hieronymus Romanus.

Populi etiam Sardiniae Deo gratias agentes, quod tantus Doctor dignatus fuerit insulam suo corpore decorare, et miraculis illustrare, in Patronum Sardiniae hunc sanctum elege-

runt, et illius natalis, et translationis ad Sardiniam festivitates quotannis solemniter celebrarunt, ut inquit Jordanus de Saxonia.

Per haec quoque tempora conventus ordinis Eremitarum sancti Augustini coeperunt in Sardinia esse. Nam Divus Fulgentius statim ubi Caralim pervenit cum monachis, et clericis, atque Illustri, et Januario Coepiscopis ejus, similitudinem cujusdam magni monasterii in parva domo effecit in qua communem habebant mensam, commune cellarium, communem orationem simul, et lectionem; nullus se super alterum insolenter efferebat, nec propriis fratribus amplius, aut peculiarius consulebat. Monachi tamen, qui beatum Fulgentium sequebantur, districtioris abstinentiae regulam custodientes, nihil omnino proprium possidebant, nec inter alios clericos, clericorum more vivebant. In ea demum pacis, et consolationis remedium afflicti, et discordes inveniebant; lectiones, disputationesque populus summa cum spirituali laetitia audiebat.

Paucis postea elapsis annis monasterium, juxta Basilicam sancti Martyris Saturnini procul a strepitu civitatis fabricavit, et relicta priori domo, congregatisque quadraginta, et amplius fratribus disciplinae coenobialis ordinem in eo conservavit illaesum, nemini dans licentiam professionis sanctae regulam praeterire: sed principaliter hoc observandum monachis tradidit, ut nullus eorum, quicquam sibi proprium vendicaret, sed omnibus omnia communia esse voluit, ut in praefata ejusdem sancti Fulgentii vita constat. Celebres alii conventus deinde in Sardinia fuerunt conditi, in quibus viri dignitate, eruditione, et pietate clari floruerunt. Sanctus Fulgentius autem quod reliquum vitae tempus habuit in monasterio sancti Saturnini, teste Bergomensi, consumpsit, et ut, inquit Illescas, in Sardinia libros multos composuit; e quibus hi praecipui sunt, videlicet, ad Euthymium *de remissione peccatorum* lib. duos. Ad Petrum *de fide* lib. unum. Ad Donatum *de fide* lib. unum. Ad Monimum *de duplici praedestinatione* et quibusdam aliis quaestionibus lib. tres. *Contra objectiones Arianorum* lib. unum. Ad Transmundum Regem *de mysterio mediatoris Christi* lib. unum. *De immensitate divinitatis filii Dei* lib. unum. *De Sacramento Dominicae Passionis* lib. unum. *Ad quaestiones Ferrandi Diaconi* lib.

unum. Septem quoque epistolas familiares scripsit. Primam *de conjugali debito, et voto continentiae* Secundam ad Gallam *de consolatione, et statu viduali.* Tertiam ab Probam *de virginitate, et humilitate.* Quartam ad eandem *de oratione.* Quintam ad Eugypium *de charitate habenda.* Sextam ad Theodorum Senatorem *de conversione a saeculo.* Septimam ad Venantiam *de poenitentia, et futura retributione.* Orationes etiam plures elegantes quidem, et graves habuit, ut constat ex Platina, Isidoro, Sabellico, Bergomensi, et ejusdem sancti vita ab ejus discipulo scripta; qui tamen non omnia in Sardinia scripsisse, nec in ea obiisse asserit. Haec opera nunc Antuerpiae impressa ad manus pervenerunt meas.

Hac tempestate floruit in Sardinia sanctus Brumasius Caralitanae Civitatis Antistes venerabilis, et Felicianus, qui postea in Ruspensi Episcopatu s. Fulgentio successit, ut in illius vita, ab ejus discipulo scripta, dicitur.

Floruit etiam per haec tempora santus Coelius Symmachus Sardus, Fortunati filius. Is anno 498 mortuo Anastasio secundo, creatus est Pontifex X. kal. decembris, seditque in Cathedra Petri annos 15 menses 7 dies 28. Fuit autem haec Symmachi electio tumultuosa, et cum ordinum magna discordia: nam dum una pars Cleri Symmachum apud Constantinianam Basilicam Pontificem decrevit, altera pars Cleri apud Beatae Mariae Basilicam, quae in via nova est, Laurentium sanctae Romanae Ecclesiae Praesbyterum Cardinalem, in locum demortui Anastasii suffecit; traxit haec initiatorum discordia continuo civitatem in diversa studia, estque non inter cives solum, sed inter ordines etiam opibus, et auctoritate certatum, cum Senatus in hunc propensior esset, ignobilis multitudo in illum: quare omnium consensu Concilium Ravennae indicitur, ut res coram Theodorico ex aequo, et bono discuteretur. Fuit statutum eum comprobandum esse, qui priori loco designatus esset, vel saltem cui plures suffragarentur. Itaque Symmachus, in quo hae conditiones fuerunt compertae in sede Apostolica fuit confirmatus. Hic anno sequenti magna clementia usus, tantum abfuit, ut Laurentium, quem tam infestum habuit, aliquo afficeret incommodo; ut Nuceriorum Antistitem creaverit.

Quadriennio post clerici quidam seditionibus gaudentes, adjuvantibus Festo, et Probino Senatorii ordinis viris Laurentium revocant, qua ex re indignatus Theodoricus Imperator, ut discordia haec e medio tolleretur Petrum Altini Episcopum Romam mittit, qui Symmacho, et Laurentio pulsis, sedem Pontifex teneret.

Caeterum anno sequenti Symmachus, habita centum et quindecim, vel 230 ut alii volunt, Episcoporum Synodo, causam tam constanter, et accurate dixit, ut omnium suffragiis sint Laurentius, et Petrus Altinas relegati. In ea Synodo Joannes insignis Ecclesiae Turritanae Episcopus interfuit, ut in 2 Conciliorum tomo apparet. Orta autem ex hac re tanta seditio Romae est, ut multi, tum ex clero, tum ex populo caederentur; nec sacris virginibus parcerent. Nec finis tantae caedis factus fuisset, ni Faustus Consul clericos miseratus, contra Probinum tanti mali authorem arma sumpsisset.

Symmachus stabilita dignitate Manichaeos Urbe expulit, eorumque libros ante fores Constantinianae familiae concremavit. Constitutiones fecit, ut die Dominico, vel Natalitiis martyrum caneretur hymnus, *Gloria in excelsis Deo*. Ne quis praeterea vivo Pontifice de alterius electione consilia moveret anathematis poena delinquentibus irrogata: et ne sacerdos nisi ejusdem sanguinis, et familiae in contubernio esset. Ordinationes fecit quatuor in Urbe per mensem decembrem, quibus passim Episcopos 117; Presbyteros vero in Ecclesia Romana 92 et Diaconos 16 creavit. Basilicas vero multas, aut ornavit, aut a fundamentis erexit: nam et templum beati Andreæ Apostoli apud sanctum Petrum aedificavit, multoque argento, et auro exornavit; et templum ipsius Apostolorum Principis, ac porticum cum marmoribus opere vermiculato in augustiorem formam redegit. Gradus quoque ipsius Basilicae ampliores fecit: aliosque gradus sub divo dextra, laevaque, Episcopia praeterea construxit. Ædificavit etiam Basilicam s. Agathae martyris via Aurelia in fundo Lardario: Basilicam sancti Pancratii cum arcu argenteo librarum quindecim. In Basilica sancti Pauli renovavit apsidem, cui ruina imminebat, picturisque ornavit; post apsidem vero aquam introduxit, balneumque a fundamento erexit. In Urbe autem Basilicam san-

ctorum Sylvestri, et Martini a fundamentis extruxit juxta Trajani thermas, ubi et supra altare ciborium fecit argenteum librarum centum viginti, arcus argenteos librarum decem; confessionem argenteam librarum quindecim; suggestum quoque erexit porphyreticis, et crustis marmoreis insigne. Fecit et gradus Basilicae s. Joannis, et Pauli post apsidem. Auxit et Basilicam Arcangeli Michaelis, aquamque introduxit. Sanctorum Cosmae, et Damiani Oratoria a fundamentis erexit. Et in via Tiburtina in fundo Paciano, adjuvantibus Albino, et Glaphyra illustribus viris, Basilicam s. Petro dedicavit. Reparavit etiam Basilicam sanctae Felicitatis et apsidem beatae Agnetis cum Basilica, quae ruinam minabatur, in meliorem formam restituit. Coemeterium quoque Jordanorum, vel fecit, vel in meliorem formam redegit. Fundavit ad usum pauperum habitacula ad Apostolorum aedes in Vaticano, et Hostiensi via; curavitque ne quid eis deesset, quod ad victum pertineret; amator enim pauperum fuit: et Episcopis, ac caeteris clericis in Africa, et Sardinia propter Catholicam fidem exulantibus pecunias, et vestes subministrabat. Redemit et captivos in diversis provinciis multa pecunia. Nihil postremo omisit, quod ad Omnipotentis Dei gloriam pertineret. Moriens ad Basilicam sancti Petri sepelitur XIV. kal. augusti annis 514, ut ex libro Pontificali, Platina, Sabellico, Onuphrio, et Gratiano constat.

Anno deinde 520, quo obiit Transmundus Vandalorum Rex, et Christianorum persecutor, successit in Regno Vandalico Idericus Rex Catholicus, qui materna pietate a teneris annis imbutus, omnes orthodoxae fidei Episcopos ex Sardinia revocavit, et in pristinam dignitatem restituit, permisitque ut suo viverent instituto; teste Sabellico, Paulo Diacono, et Martino Polono.

GOTHI.

Dejectis e Sardinia Vandalis anno 530, Justinianus Imperator insulam obtinuit, et anno 20 quo in ea regnare coeperat, Gothis illam invadentibus, amisit, teste Procopio.

Anno enim 551 Totilas Baduilla septimus Gothorum in Italia Rex, suae gentis primores quosdam cum classe in Corsicam emisit, qui nemine resistente insulam in potestatem redegerunt, et inde Sardiniam obtinuerunt; atque ita utramque insula Totilae vectigales fecerunt, ut inquit Procopius.

Eodem anno Joannes, qui in Libya exercitui Justiniani præerat, navium classem, ac hominum copias in Sardiniam contra Gothos misit. Hi ubi Caralim urbem propius pervenere positis castris eam obsidere animo agitabant: nam muros expugnare nil poterant obsistentibus Gothis, qui validum ibi habebant praesidium. Barbari itaque cognito Romanorum adventu eruptione ex Urbe facta, cum hos repente invasissent, nullo negotio multis jam interfectis in fugam vertunt: demum qui praelio superfuere fugientes se in naves recipiunt, ac paullo post inde solventes Carthaginem cum universa classe petunt; eodem Procopio referente. Regnavit Totilas in Sardinia annum unum, et in prælio occisus est; teste Procopio, et Blondo.

Anno 552 Teias nonus Gothorum in Italia Rex adeptus Sardiniam in ea regnavit annum unum, et prælio victus a Narsete Duce Justiniani occisus est, Gothique omnes ex Italia, et Sardinia pulsi sunt, ut ex Procopio, Onuphrio, et Jacobo Maynoldi constat.

His temporibus regio Gothiani, quae in Sardinia insignis Comitatus est, et insula Buccina, in qua ossa Divi Pontiani Papae diu teste Damaso conquieverunt, nomen a Gothis ibi considentibus, ut creditur, sumpserunt.

GRÆCI ORIENTALES IMPERATORES.

Post Gothos Orientales Imperatores Sardiniam obtinuere, teste Onuphrio, Maynoldi, et Zurita.

Anno enim 553 victo, et occiso Teia, pulsisque ex Sardinia Gothis, Narses Regnum Sardiniae Justiniano Imperatori Orientali acquisivit, pacatumque reddidit: atque ita Justinianus in ea regnavit annos 12 et menses 3; idibusque augusti mortuus est.

Justiniano I dal 527 al 565

Anno 565 Justinus junior Imperator Orientalis adeptus est Sardiniam, et in ea regnavit annos 10 menses 10 et dies 20: et obiit VI. nonis octobris. al 578

Anno 576 Tiberius Anicius Constantinus Imp. Orient. Sardiniam adeptus, regnavit in ea annos 6 menses 10 dies 8: et IV. idus augusti mortuus est. 582

Anno 583 Tiberius Mauritius Imper. Orien. Sardiniam obtinuit, et in ea regnavit annos 19 menses 3 dies 11: et coactus abdicavit XIV. kal. decembris. 602

Anno 591 Theodosius Imper. Orien. a patre Mauritio appellatus, regnavit cum eo in Sardinia annos 11 menses 7 dies 6: et cum patre occisus est VIII. kal. decembris.

Anno 602 Flavius Phocas Orient. Imp. adeptus est Sardiniam, et in ea imperavit annos 8 menses 4 dies 9: et VI. kal. aprilis occisus est. 610.

Anno 611 Heraclius Orient. Imp. adeptus est Sardiniam, et in ea regnavit annos 30 menses 2: et de mense maii obiit. 641.

Anno 613 Constantinus appellatus ab Heraclio ejus patre Imperator, regnavit cum eo in Sardinia annos 28 menses 2: et solus menses 4 et dies aliquot; et obiit.

Anno 641 Heraclius Constans Orient. Imper. Sardiniam adeptus, in ea regnavit annos 26 menses 8: et idibus julii occisus est.

641 - regnò 3 mesi
Eraclone regnò 7 mesi
Tiberio pochi giorni
Costante II. 668
Maurizio
Gregorio

Hic tributa Sardis imperavit non ex veteri forma, sed quantacunque extorqueri, vel abradi posse intellexit: et ejus quaestores tanta avaritia, et superbia exegerunt, ut multi non solum fortunis, sed etiam liberis, et uxoribus spoliati sint. Sacra etiam vasa, aliaque Ecclesiarum ornamenta ipsius jussu sublata fuere, Paulo Diacono, Blondo, et aliis referentibus.

Anno 654 Heraclius Constantinus, seu Poganatius, a patre Constante Imper. appellatus, regnavit in Sardinia cum patre, et fratribus Heraclio, et Tiberio Caesaribus annos 15 menses 4: solus cum filiis Caesaribus annos 16 menses 7: et coactus mense julii abdicavit exul factus. 685

Anno 696 Flavius Leontius Orient. Imperator Sardiniam nactus regnavit in ea annos 3 menses 2: et coactus mense julii abdicavit.

Anno 699 Tiberius Apsimarus Orient. Imp. qui Sardiniam

Giustiniano II 695
Leonzio 698
Absimaro 705
Giustiniano II
Filippico 711.

obtinuit, in ea regnavit annos circiter 7: et circa kal. augusti abdicavit, et occisus est.

Anno 706 Heraclius Justinianus junior iterum obtinuit Orient. Imperium, et Regnum Sardiniae, in quo regnavit annos 6: et idibus aug. occisus est.

Anno 712 Philippus Bardanes Orient. Imp. Sardiniam adeptus, regnavit in ea annos 2 menses 9 dies 7, et coactus abdicavit XII. kal. julii.

Anno 715 Artemius Anastasius Orient. Imp. adeptus Sardiniam imperavit annum 1 menses 3, et coactus abdicavit XIV. kal. septembris.

Anno 716 Theodosius quartus Adtramitenus Orient. Imper. Sardiniam obtinuit, et in ea regnavit menses 7 dies 6: et coactus abdicavit VIII. kal. aprilis.

Anno 717 Flavius Leo III. Orientis Imp. obtinuit Sardiniam, et in ea regnavit annos 3 et menses aliquot: et Saracenis Sardiniam invadentibus insulam amisit anno 186 quo Imperatores Orientales in ea regnare coeperunt.

His Orientalium Imperatorum temporibus anno circiter 535 fuit Sardinia Africae attributa, et facta illiūs Provincia Praesidialis a Justiniano Imperatore, qui sanxit Sardiniae Praesidem Praefecti Praetorio Africae subesse, et in ejus officio quinquaginta homines habere, ut in illius codice legitur. Praesides autem hi fuerunt

Anno 535 Cyrillus . . . . . Sardiniae Praeses.

. . . .

Anno 597 Gennadius . . . . . . Sardiniae Praeses.
Anno 598 idem Gennadius Sardiniae Praeses.

. . . .

Anno 601 Spes de Hospes Sardiniae Praeses.

. . . .

Eodem etiam tempore Justinianus mandavit Ducem in Sardinia a Belisario ordinari, qui milites pro locorom custodia necessarios in ea haberet, et Sardos ab omni hostium incursione illaesos defenderet, eorumque fines servaret, ut ex eodem Justiniani codice constat. Fuerunt autem Duces

Anno . . . .
Anno 588 Edatius . . . . . . Sardiniae Dux.

. . . .

Anno 590 Theodorus . . . . . . Sardiniae Dux . . . . . . Donatus, seu Doratus ejus officialis.

. . . .

Anno 593 Zabardus . . . . . . Sardiniae Dux.

. . . .

Anno 602 Eupator . . . . . Sardiniae Dux.

. . . .

Hi Duces in montibus Sardiniae jussu Imperatorum residebant: nam ibi aderant Barbaracini, populi illi antiqui, qui nunquam a Carthaginensibus, Romanis, et Vandalis, ut diximus, debellati fuere, quique ad eam usque aetatem idolorum cultores Christi fidem et Orientalium Imperatorum jugum recipere noluerant. Itaque Duces praefati cum illis variis praeliis certarunt, usque ad Mauritii, et Theodosii tempora, quibus Hospes eorum dux fidem Christi recepit, et pacem a Zabardo tunc Sardiniae duce petiit, atque eam hac conditione, ut reliqui Christiani fierent, habuit: quod ubi divus Gregorius tunc Romanus Pontifex cognovit, Felicem Episcopum, et Cyriacum ad eos misit, et Hospiti Barbaracinorum Duci ita scripsit.

« Cum de gente vestra nemo Christianus sit, in hoc scio, « quod omni gente tua es melior, quia tu in ea Christianus « inveniris. Dum enim Barbaricini omnes, ut insensata ani-« malia vivant, Deum verum nesciant, ligna autem, et lapi-« des adorent, in eo ipso quod Deum verum colis, quantum « omnes antecedas, ostendis. Sed fidem quam percepisti, e-« tiam bonis actibus, et verbis exequi debes, et Christo, cui « credis, offer quod praevales, ut ad eum quoscunque potueris « abducas, eosque baptizari facias, et aeternam vitam diligere « admoneas. Quod si fortasse ipse agere non potes, quia ad « aliud occuparis, salutans peto, ut hominibus nostris illic « transmissis, scilicet fratri, et Cöepiscopo meo Felici, filio-« que meo Cyriaco servo Dei, solatiari in omnibus debeas, « ut dum eorum labores adjuvas, devotionem tuam Omnipo-« tenti Domino ostendas; etiam ipse tibi in bonis actibus a-« djutor sit, cujus famulis solatiaris. Benedictionem vero « sancti Petri vobis transmisimus, quam peto, ut debeatis « benigne suscipere ».

Ad Zabardum autem Ducem Sardiniae has etiam literas paullo post misit.

« Scriptis fratris, et Coepiscopi mei Felicis, et Cyriaci
« servi Dei, gloriae vestrae bona cognovimus, magnasque
« Omnipotenti Deo gratias agimus, quod talem Ducem Sardi-
« nia suscepit, qui sic sciat, quae terrena sunt Reipublicae
« exsolvere, ut bene etiam noverit Omnipotenti Deo obsequia
« patriae caelestis exhibere. Scripserunt etenim mihi, quod
« eo pacto cum Barbaracinis facere pacem disponitis, ut eos-
« dem Barbaracinos ad Christi fidem adducatis. Hac de re
« valde laetatus sum, et dona vestra (si Omnipotenti Deo
« placuerit) citius Serenissimis Principibus innotesco. Vos
« ergo, quod coepistis, explete; Omnipotenti Deo devotio-
« nem vestrae mentis ostendite. Eos, quos illuc ad conver-
« tendos Barbaricinos transmisimus, quantum valetis adjuvate,
« scientes, quod talia opera multum vos, et ante terrenos
« Principes, et coram caelesti Rege praevaleant adjuvare ».

Felix igitur et Cyriacus in Sardiniam a Gregorio, ut dixi, missi Verbum Dei Barbaricinis illis populis disseminantes, et Christum mundi Redemptorem praedicantes, multos ad fidem Christi duxerunt, baptismatisque lavacro sacrarunt. Atque ita infra septennium regio illa in paroeciae formam redacta fuit, et in illius utilitatem mancipia comparari Gregorius, hac epistola Vitali Sardiniae defensori mandavit.

« Bonifacium praesentium portitorem, Notarium scilicet no-
« strum, ad hoc nos experientia tua illuc transmisisse cogno-
« scat, ut in utilitatem paroeciae Barbaricinae debeat man-
« cipia comparare. Et ideo experientia tua omnino ei studiose
« soliciteque concurrat, ut et bono pretio, et talia debeat
« comparare, quae in ministerio paroeciae utilia valeant, in-
« veniri etc. ».

Erant insuper eodem tempore in diversis Sardiniae pagis plures rustici infideles, qui ab ipsius insulae nobilibus, vel Ecclesiis possidebantur, et in Phausiana dioecesi multi, qui adhuc idola colebant, reperiebantur. Hi enim, ut idolis liberius sacrificare possent, Imperatoriis Judicibus pretium quoddam persolvebant: quod ubi Divus Gregorius, ex Felicis et Cyriaci relatione accepit, ejus rei indignitate motus, imprimis ad nobiles Sardiniae has literas dedit.

« Fratris, et Cöepiscopi mei Felicis, vel filii mei Cyriáci
« servi Dei, relatione cognovi, pene omnes vos rusticos in
« vestris possessionibus idololatriae deditos habere. Et valde hac
« de re contristatus sum: quia scio quod subjectorum culpa
« praepositorum deprimit vitam; et cum in subjecto peccatum
« non corrigitur, in eos qui praesunt sententia retorquetur.
« Unde, magnifici filii, exhortor, ut omni cura, omnique
« solicitudine animarum vestrarum zelum habere debeatis, et
« quas rationes Omnipotenti Deo de subjectis vestris reddi-
« turis estis aspicite. Ad hoc quippe illi vobis commissi sunt,
« quatenus et ipsi vestrae utilitati valeant ad terrena deservi-
« re, et vos per vestram providentiam eorum animabus ea,
« quae sunt aeterna, prospicere. Si igitur impendunt illi quod
« debent, vos eis cur non solvitis, quod debetis? id est, ut
« assidue illos magnitudo vestra commoneat, ab idololariae
« errore compescat, quatenus eis ad fidem ductis, Omnipo-
« tentem Dominum erga se placabilem faciat. Ecce enim mun-
« dum hunc, quia finis vicinus urget, aspicitis, quod modo
« humanus in nos, modo divinus gladius saeviat videtis; et
« tamen vos veri Dei cultores a commissis vobis lapides ado-
« rari conspicitis, et tacetis. Quid quaeso in tremendo judicio
« dicturi estis, quando hostes Dei, et sub potestate vestra
« suscepistis, et tamen eos Deo subdere, atque ad eum re-
« vocare contemnitis. Unde debitum salutationis alloquium sol-
« vens peto, ut magnitudo vestra attendere erga zelum Dei
« vehementer invigilet, et quis quantos ad Christum perduxerit
« suis mihi epistolis indicare festinet. Quod ergo vos agere
« ex aliqua occasione forsitan minime valetis praedicto fratri,
« et Cöepiscopo nostro Felici, vel filio meo Cyriaco, injun-
« gite, eique ad opus Dei solatium praebete, ut in remune-
» ratione vitae tanto possitis esse participes, quanto nunc bono
« operi solatium praebetis ».

Ad Januarium quoque Episcopum Caralitanum has literas transmisit.

« Fratris, et Cöepiscopi nostri Felicis, et Cyriaci Abbatis
« relatione cognovimus etc. Accidit autem aliud valde lugen-
« dum, quia ipsos rusticos, quos habet Ecclesia tua, nunc
« usque in infidelitate remanere, negligentiam fraternitatis

« vestrae permisit. Et quid vos admoneo, ut extraneos ad « Deum adducatis, qui vestros ab infidelitate corrigere negli- « gitis? Unde necesse est vos per omnia in eorum conversione « vigilare. Nam si cujuslibet Episcopi in Sardiniae Insula pa- « ganum rusticum invenire potuero, in eundem Episcopum « fortiter vindicabo. Iam vero si rusticus tantae fuerit perfi- « diae, et obstinationis inventus, ut ad Deum venire minime « consentiat, tanto pensionis onere gravandus est, ut ipsa « exactionis suae poena compellatur ad rectitudinem festinare.

Postremo in Phausania dioecesi Episcopum ab ipso Januario ordinari mandavit, cui has litteras scripsit.

« Pervenit ad nos in loco, qui intra Provinciam Sardiniam « dicitur Phausania, consuetudinem fuisse Episcopum ordinari, « sed hanc pro rerum necessitate longis abolevisse tempori- « bus. Quia autem nunc Sacerdotum indigentia quosdam illic « Paganos remanere cognovimus, et ferino degentes modo, « Dei cultum penitus ignorare, hortamur fraternitatem tuam, « ut illic secundum pristinum modum ordinare festinet Anti- « stitem, talem videlicet, qui ad hoc opus, moribus, ac verbo « existat idoneus, et oberrantes ad gregem dominicum pasto- « rali studeat aemulatione deducere, quatenus eo illic ad ani- « marum vocante compendium, nec vos inveniamini superflua « poposcisse, nec olim destructa fustra nos reformasse poe- « niteat ».

Ordinatus itaque fuit Episcopus dictae Ecclesiae Phausianae Victor praeclarus vir, qui doctrina, et exemplo multos ad fidem reduxit, atque baptizavit; ut ex literis Gregorii constat, qui Spei de Hospite Sardiniae Praesidi in hunc modum scripsit.

« Particeps procul dubio mercedis existit, qui bonorum se « operum exhibet adjutorem: quia ergo multi de Barbaris, « et Provincialibus Sardiniae ad Christianam fidem dicuntur, « Deo propitio, devotissime festinare, magnitudo vestra stu- « dium suum hac in causa decenter accommodet; et Fratri, « et Cöepiscopo nostro Victori in convertendis, baptizandisque « eis studiose concurrat, quatenus dum de interitu multorum « animae per baptismatis gratiam vobis fuerint sollicitantibus « liberatae, et apud homines laudem habere, et apud Omni- « potentem Dominum, quod summopere studendum est, ma-

« gnam mercedem possitis acquirere, atque nos vobis gratias « referentes, magnitudini vestrae possimus modis omnibus « existere debitores ».

Ceterum quia a Praeside, et aliis Imperatoris Judicibus, conversi ad fidem etiam solvere cogebantur, quae antea pro idolorum cultu pendere consueverant, populique duplici premebantur tributo, ideo ad Constantiam Augustam literas has dedit.

« Cum serenissimam dominam sciam de caelesti patria, at-« que animae suae vita cogitare, culpam me committere ve-« hementer existimo, si ea, quae pro timore Omnipotentis « Domini sunt suggerenda, siluero etc. Quidam rem mihi sa-« crilegam nunciarunt, quia hi, qui in Sardinia idolis immo-« lant Judici praemium persolvunt, ut eis hoc facere liceat, « quorum dum quidam baptizati essent, et immolare jam « idolis deseruissent, adhuc ab eodem insulae Judice, etiam « post baptismum, praemium illud exigitur, quod dare prius « pro idolorum immolatione consueverant etc. ».

Postea ad Innoentium Africae Praefectum literas in hunc modum scripsit

« Qui pravorum actuum eminentiam vestram judicem esse « desiderat, quid de aequitatis ejus bone sentiat, aestimatis. « Proinde reverendissimi fratris, et Cöepiscopi nostri Victo-« ris Phausaniensis Episcopi plenam vobis doloribus quere-« lam deferimus, ut et malos ab actione perpera corriga-« tis, et ab injustitia, quam sustinent, bonos eruatis. Queritur « siquidem supradictus frater noster, multas in illis locis vio-« lentias, multaque alia contra edicti morem Africanos Judi-« ces exercere. Denique ut duplicia illic tributa, quod auditu « ipso intolerandum est, exigantur. Et quia hujus mali emen-« datio vestram specialiter auctoritatem dignitatis expectat, « petimus, ut sub tali indignatione perquirere, et ita hoc, « Deo vobis imperante corrigere velitis, quatenus afflictis pro « mercede animae vestrae protectione justitiae sucurratis, et « hujus emendationis exemplo alios in futuro a pravis actio-« nibus arceatis ».

Cum etiam in Sardinia aruspices, sortilegique plures idololatris mixti reperirentur, contra eos Gregorius procedendum esse censuit, atque ita Januario Episcopo Caralitano scripsit,

« Pervenit ad nos etc. Contra idolorum namque cultores,
« vel aruspices, atque sortilegos, fraternitatem vestram vehe-
« mentius pastorali hortamur invigiliare custodia, atque publice
« in populo contra hujus rei viros sermonem facere, eosque a
« tanti labe sacrilegii, et divini intentione judicii, et prae-
« sentis vitae periculo adhortatione suasoria revocare. Quos
« tamen si emendare se, a talibusque corrigere nolle repere-
« ris, ferventi comprehendere zelo te volumus, et si quidem
« servi sunt verberibus, cruciatibusque, quibus ad emenda-
« tionem pervenire valeant, castigare; si vero sint liberi in-
« clusione digna, districtaque sunt in poenitentiam dirigendi,
« ut qui salubria, et a mortis periculo revocantia audire
« verba contemnunt, cruciatus saltem eos corporis ad deside-
« ratam mentis valeat reducere sanitatem, etc. ».

Hac igitur Gregorii pastorali solicitudine, et diligentia idololatrae, qui in Sardinia erant, ad fidem Christi conversi sunt, teste Nauclero. Judaei quoque plures, qui etiam tunc temporis in insula reperiebantur, ejus summo studio, et labore Christum amplexi sunt, ut ex Gregorii literis, ad Januarium Episcopum Caralitanum scriptis, constat.

Quia tamen acceperat hos Judaeos servos, ancillasque ad Ecclesiam fidei causa confugientes vendicare; vel eorum pretium extorquere consuevisse, ita eidem Januario Caralitano Episcopo scripsit.

« Satis quidem te ipsum pastoralis zelus instigare debuerat,
« etc. Pervenit et ad nos, servos, ancillasque Judaeorum,
« fidei causa ad Ecclesiam refugientes, aut infidelibus resti-
« tui dominis, aut eorum, ne restituantur, pretium dari.
« Hortamur igitur, ut tam pravam consuetudinem nullatenus
« manere permittas; sed si quilibet servus Judaeorum ad ve-
« nerabilia loca confugerit causa fidei, nullatenus eum patia-
« mini praejudicium sustinere. Sed sive olim Christianus, sive
« nunc fuerit baptizatus, sine ullo pauperum damno, religioso
« Ecclesiasticae pietatis patrocinio, in libertatem modis omni-
« bus defendatur, etc. ».

Haec omnia ex regestro Divi Gregorii constant.

Per haec tempora plures in Sardinia erant insignes Ecclesiae.

Nam aderat Ecclesia Turritana, in qua infrascripti Episc. his temporibus floruere.

Anno enim 645 floruit Pentusius sanctae Ecclesiae Turritanae Episcopus, qui in Bizantii Concilio contra Paulum et alios Monothelitas interfuit.

Anno 650 Valentinus sanctissimus Ecclesiae Turritanae Episcopus, qui in celeberrimo Lateranen. Romano Concilio, sub sancto Martino Papa hujus nominis primo, claruit, ut in secundo conciliorum tomo constat.

Episcopi hujus Ecclesiae Turritanae ex antiqua consuetudine, et sancti Martini Papae, hujus nominis primi, ac etiam beati Joannis Papae, hujus nominis quinti, constitutionibus a solo Romano Pontifice ordinabantur, et nulli alii suberant, ut inquit *Deusdedit*, in ejus libro qui in Bibliotheca Vaticana servatur, multosque suffraganeos, quibus præerant, habebant, quorum nomina incognita.

Insignis etiam erat hoc tempore Ecclesia Caralitana, in qua Januarius Episcopus s. Gregorii epistolis clarus floruit. Hic inter caeteros habebat in ejus Ecclesia Epiphanium Archipresbyterum, et Liberatum Diaconum a divo Gregorio nominatos. Erat Metropolitanus, et ex consuetudine, et sancti Gregorii institutione tenebatur bis in anno Concilia Episcoporum congregare, ut ex ejusdem Gregorii epistola ad ipsum Januarium missa constat, dum inquit:

« Episcoporum etiam Concilia, sicuti tam tuae mos dicitur » fuisse provinciae, quam quod sanctorum canonum authori« tate praecipitur, bis in anno celebrare te volumus; ut si « quis inter eos a sui forma propositi actionis, atque morum « qualitate, discordet sociali possit fratrum increpatione redar« gui, et pro securitate commissi gregis, animarumque statu « paterna valeat circumspectione tractari. etc. ».

Erant autem ejus suffraganei infrascripti Episcopi

Innocentius Episcopus . . . . in Sardinia.
Marianus Episcopus . . . . . in Sardinia.
Libertinus Episcopus. . . . . in Sardinia.
Agaton Episcopus . . . . . . in Sardinia.
Victor Episcopus Ecclesiae Phausianae in Sardinia. Ecclesia autem ista nunc suppressa est.

Hi omnes ex consuetudine, et divi Gregorii ordinatione, denuntiationem, et licentiam ad transmarina proficiscendi a

Caralitano Archiepiscopo accipiebant: nam illis ita Gregorius Papa scripsit.

« Cognovimus, quod mos vestrae insulae post Paschalem « festivitatem vobis euntibus, aut directis responsalibus ve- « stris ad Metropolitanum vestrum, utrum sciatis an minime « ipse vobis de venturo Pascha scripta debeat denunciatione « mandare: et quantum dicitur, quidam vestrum hoc facere, « secundum consuetudinem, postponentes, aliorum quoque ad « non obediendum corda pervertunt. Additur etiam, quod ex « vobis aliqui pro Ecclesiae suae emergentibus causis, tran- « smarina petentes, sine praedicti Metropolitae sui cognitione, « vel epistolis, sicut canonum ordo constituit, audeant ambu- « lare. Hortamur ergo fraternitatem vestram, ut antiquam Ec- « clesiarum vestrarum consuetudinem exequentes, tam de su- « scipienda Paschali denuntiatione, quam etiam si quemquam « vestrum pro causis propriis, ubicunque compulerit ambulare « necessitas, ab eodem Metropolitano vestro, secundum indi- « ctam vobis regulam, petere debeatis, nec eam postponere « in aliquo praesumatis; excepto, si, quod non optamus, « contra eundem Metropolitanum vestrum habere vos aliquid « causae contigat, ut ob hoc sedis Apostolicae judicium re- « quiratis: nam his qui petere festinant licentiam, quod scitis « per canones, etiam antiquorum patrum institutione, habere « permissum est ».

Post Januarium plures in ea Ecclesia Caralitana his temporibus floruerunt Episc.

Anno enim 604 claruit Venereus insignis Episcopus Caralitanus, ad quem idem Gregorius Papa quasdam scripsit epistolas, ut ex Gratiano, et Ivone Episcopo Carnotensi constat.

Anno 650 emicuit *Deusdedit* sanctissimus Ecclesiae Caralitanae Episcopus, qui in celeberrimo Lateran. Romano Concilio, sub s. Martino Papa hujus nominis primo, interfuit, et multa praeclare, docteque dixit, fecitque ut in eo concilio constat.

Post eum effulsit Justinus ejusdem Ecclesiae Episcopus, qui eidem Lateranen. Synodo subscripsit, ut in secundo conciliorum tomo apparet.

Anno deinde 681 Citonatus ejusdem Caralitanae Ecclesiae insignis Episcopus, in sexta Constantinopolitana Synodo claruit.

Praeterea in Sardinia erat Miriensis Ecclesia, in qua Severinus insignis Episcopis excelluit, et eo mortuo pro Episcopi ordinatione, et restitutione ministeriorum ipsius Ecclesiae, Gregorius hanc epistolam Petro Notario in Sardinia scripsit.

« Ministeria Ecclesiae Miriensis, quae secum Squillatrum « quondam Episcopus Severinus detulerat, praesentium sibi « portitores restitui postulabant, quia ergo res Ecclesiasticae « tanta debent solicitudine praemuniri, hoc nobis visum est, « ut in eadem Ecclesia seu Civitate Episcopus, cui ministe- « ria ipsa tradi possint, debeat ordinari; sed quoniam Leo- « nem Archidiaconum, aliosque clericos ejusdem Ecclesiae esse « illic commemorant; experientiae tuae praecipimus, quatenus « eos ad suam Ecclesiam proficisci, ac eligere ordinandum « Episcopum sibi commoneat, ut dum Deo illic fuerit propi- « tio consecratus, ipse Ecclesiae res sine aliqua ambiguitate « recipiat ».

Ex epistolis etiam divi Gregorii insinuatur, Felicem quendam Sardiniae Episcopum his temporibus a Joanne Primae-Justinianae Episcopo ordinatum, sub illius jurisdictione fuisse. Caeterum in antiquo manuscripto codice Michaelis Thomasii doctissimi Ilerdensis Episcopi, inveni hunc Felicem Episcopum non Sardiniae, sed Sardicae civitatis Lydiae fuisse, atque ita ab Episcopo Primae-Justinianae ordinatum.

Coepit habere eadem fere tempestate primum Sardinia suos Defensores, seu Legatos Apostolicos annis sequentibus, ut infra describuntur, qui causas, et praecipua Cleri negocia apud Romanam Sedem curarent, ut ex ipsius D. Gregorii ad quosdam missis Epistolis satis constat: itaque

Anno 590 Honoratus Diaconus Sardiniae Defensor.

Anno 591 Jo. Sed. Apostolicae Notarius Legatus in Sardinia.

Anno 592 Sabinus Defensor, et Joannes Legatus in Sardinia.

. . . .

Anno 596 Petrus Notarius Legatus in Sardinia.

. . . .

Anno 598 Vitalis defensor Sardiniae.

. . . .

Anno 600 idem Vitalis defensor, et Bonifacius Legatus in Sardinia.

. . . .

Anno 604 idem Vitalis defensor in Sardinia.

. . . .

Isti erant Cleri defensores, ut Judices gravaminum, quae ab Episcopis Sardiniae inferebantur, ut est nunc etiam, is qui *Judex appellationum* vocatur, quod ex epistolis Gregorii satis aperte colligitur. Is enim Sabino defensori in Sardinia ita scribit.

« Quaedam ad aures nostras gravia pervenerunt, quae quo-
« niam canonicam emendationem expectant, idcirco experien-
« tiae tuae praecipimus, quatenus una cum Jo. Notario, omni
« excusatione postposita, Januarium fratrem et Cöepiscopum
« nostrum summa huc exhibere instantia non omittas; ut eo
« coram posito ea, quae ad nos perlata sunt subtili valeant
« inquisitione perquiri etc. ».

Praeterea Vitali Defensori in hunc modum scripsit.

« Indicatum est nobis, quod quidam Caralitanae Ecclesiae
« clerici disciplinam sui refugientes Episcopi, contra eum so-
« latium tuae defensionis exquirant, atque per hoc illi, quod
« dici grave est, contumaces existant. Quam rem, si ita est,
« omnino dure suscepimus, dicitur etiam, quod suae actus
« deserentes Ecclesiae in aliorum se obsequiis et laboribus
« occupantes, ubi nomen dederunt militiae inveniantur extra-
« nei. Experientia ergo tua nihil deinceps tale aliquid facere
« praesumat, sed si cujusque Clerici, ut assolet, culpae casus
« emerserit, in qua te sibi petere debeat adjutorem, ad eun-
« dem Episcopum reverenter accede, et sicut causae meritum
« cognoveris, apud eum non defensor culpae, sed potius in-
« tercessor accede, ut hac provisione, et poscenti feras auxi-
« lium, et jura praepositi non turbentur. Si qui vero sunt,
« ut justa poposcerint, eis per te auxilium Sedis Apostolicae
« non est negandum, sed tamen ita servanda est uniuscujus-
« que Episcopi reverentia, ut Clericorum disciplina per defen-
« sionis tuae experientiam minime solvatur. Dictum est nobis,
« quod rustici possessionis ejusdem Caralitanae Ecclesiae cu-
« ram propriam deserentes in privatorum possessionibus cul-
« turam laboris adhibeant, ex qua re agitur, ut possessiones
« Ecclesiae propriae, in alio occupato cultore, depereant, at-
« que ad tributa sua persolvenda idoneae non existant. In

« qua re experientiam tuam volumus omnino esse sollicitam,
« ut tale fieri posthac nostra authoritate data tibi permittere
« non debeas, sciturus, quod si neglexeris nostros exinde de
« minori contra te solicitudine animos commoveri etc. ».

Similem etiam epistolam ad Januarium Caralitanum Episcopum dedit dicens.

« Pervenit ad nos, quod quidam de vestris Clericis spiritu
« elationis inflati, quod dici grave est, fraternitatis vestrae
« jussionibus obedire postponant, atque in aliorum se magis
« obsequiis ac laboribus occupantes suae desiderentur, ubi
« sunt necessarii, actus Ecclesiae, ex qua re nimie, admira-
« mur, cur in eis Ecclesiasticae non teneatis regulam disci-
« plinae, nec eos dissolute vagantes in deviis ad normam
« suscepti officii districti moderaminis freno restringatis. Dici-
« tur etiam, quod aliqui ex eisdem contumacibus Clericis,
« ut defendi contra vos valeant, ad Vitalis Defensoris nostri
« patrocinia convolarint. Unde ad eum scripta nostra direxi-
« mus, ne quemquam Clericorum vestrorum contra vos irra-
« tionabiliter denuo valeat defensare, sed si culpae casus
« emerserit, et gravis non est, sed veniam mereatur, interces-
« sor apud vos magis accedere debeat, quam defensor etc. ».

Per haec etiam tempora Caralitanae provinciae Presbyteri infantes baptizatos, sacro Chrismate confirmabant, quod ubi Gregorius novit, omnino prohibuit, ita Januario eorum Episcopo scribens.

« Satis quidem te ipse pastoralis zelus instigare debuerat
« etc. Praesbyteri baptizatos infantes signare bis in fronte
« Chrismate non praesumant. Sed Praesbyteri baptizandos
« tangant in pectore, et Episcopi tangere debeant in fronte etc. ».

Quae quidem prohibitio cum aliquibus in ea provincia molesta esset, idque Gregorius intellexisset, eidem Januario in hunc scripsit modum.

« Fratris, et Cöepiscopi nostri Felicis, et Cyriaci Abbatis
« relatione cognovimus etc. Pervenit quoque ad nos quosdam
« scandalizatos fuisse, quod Presbyteros Chrismate tangere
« eos qui baptizati sunt prohibuimus. Et nos quidem secun-
« dum usum veterem Ecclesiae nostrae fecimus; sed si omnino
« de hac re aliqui contristantur, ubi Episcopi desunt, ut pres-

« byteri et in frontibus baptizatos Chrismate tangere debeant,
« concedamus ».

Floruit his temporibus Isidorus Sardus vir eloquentissimus a Gregorio laudatus claruerantque Desideria, et Catella, pluresque moniales, et viri religiosi. Et monasteria infrascripta constructa fuere.

Monasterium sancti Viti a Vetulana conditum, in quo Juliana Abbatissa floruit.

Monasterium sanctae Hermae a Pompejana religiosa in domo propria erectum.

Monasterium . . . . . . a Theodosia jussu Stephani viri sui in civitate Caralis conditum, in quo reliquiae sanctorum ex Gregorii concessione fuerunt collocatae.

Monasterium . . . . jussu Petri in ejus domo constructum.

Monasterium Agelitanum, in quo Musicus erat Abbas.

Monasterium s. Gavini, et Luxorii, in quo Siriaca prius, mox Gavina, fuerunt Abbatissae.

Monasterium sancti Juliani . . . . .

Monasterium Urbani quondam Abbatis extra muros urbis Caralitanae constructum, in quo fuit Ordinatus Abbas Joannes, et plures reliquiae sanctorum fuerunt reconditae.

Alia quoque monasteria, quae ex relictis piis aedificanda in Sardinia erant; negligentiaque Praelatorum construi differebantur, a Gregorio jussa sunt aedificari. Is enim Januario in hunc modum scripsit.

« Satis quidem etc. Pro fundandis etiam monasteriis, quae a
« diversis jussa sunt construi, si injusta perspicis haec aliquos
« quibus indicta sunt, excusatione differre, solerter, secundum
« quod leges praecipiunt, admonere te volumus, ne piae defun-
« ctorum voluntates, tua quod absit, remissione cassentur etc. ».

In ea quoque Epistola magnam Januarii negligentiam circa monasteria constructa ita reprehendit, et increpat.

« Pervenit siquidem ad nos; minus te monasteriis ancilla-
« rum Dei Sardinia sitis, tuitionis impendere, et cum dispo-
« situm a tuis prudenter fuisset decessoribus, ut quidam de
« clero probati viri curam gerentes earum se necessitatibus
« adhiberent, nunc ita funditus esse neglectum, ut per pu-
« blicas personas pro tributis, aliisque muniis ipsae per se

« principaliter Deo dedicatae foeminae compellantur subire, « necessitatemque habeant pro supplendis fiscalibus per vil- « las, praediaque discurrere, atque virilibus incompetenter se « miscere negotiis: quod malum fraternitas tua facili corre- « ctione removeat, ut unum probatum virum vita moribus- « que, cujus etas; atque locus nihil de se prave suspicionis « objiciant, sollicite deputet, qui sic monasteriis ipsis cum Dei « timore possit adsistere, quatenus ulterius eis pro quibuslibet « causis privatis, vel publicis extra venerabilia loca contra « regulam vagari non liceat; sed quidquid pro iis agendum « est, per eum quem deputaveris, rationabiliter peragatur. « Ipsae vero referentes Deo laudes, atque cöercentes semeti- « psas in monasteriis suis nullam occasionem ulterius fidelium « mentibus pravae suspicionis injiciant. Si qua autem earum, « vel per anteriorem licentiam, vel per impunitatis pravam « consuetudinem ad lapsum deducta est, aut in futuram fue- « rat perducendam voraginem, hanc post adulterii competen- « tis severitatem vindictae in aliud districtius Virginum mo- « nasterium in poenitentiam redigi volumus, ut illic orationi- « bus, atque jejuniis, et sibi poenitendo proficiat, et metuendum « caeteris arctioris disciplinae praestet exemplum. Is autem, « qui cum hujusmodi foeminis in aliqua fuerit iniquitate re- « pertus, communione privetur, si laicus est; si vero clericus, « a suo quoque remotus officio, pro suis continue lugendis « excessibus in monasterium detrudatur, etc. ».

Erant praeterea in partibus Carälis duo celeberrima xenodochia Thomae Episcopi, et Hortolani; atque alia plurima super quibus Gregorius scripsit Januario in hunc modum.

« Oportebat siquidem fraternitatem tuam, ita de rebus piis « esse sollicitam, ut nihil ad explendas eas nostrae admo- « nitionis penitus indigeret: tamen quia quaedam ad nos per- « venerunt, quae sunt corrigenda capitula, nihil est incon- « gruum, si nostrae quoque vobis paginae authoritas accedat. « Quamobrem significamus pervenisse ad nos consuetudinem « fuisse, ut xenodochia, quae sunt in Caralitanis partibus « constituta apud Episcopum civitatis singulis quibusque tem- « poribus suas subtiliter rationes exponerent, eorum videlicet « tuitione, atque solicitudine gubernanda; quod quia tua hac-

« tenus fertur charitas neglexisse, hortamur, ut (sicut dictum « est) tibi singulis quibusque temporibus rationes suas xeno- « dochii, qui in eis sunt constituti, vel fuerunt, subtiliter « reddant, atque tales in eis, qui praesunt ordinentur, qui « vita, moribus, atque industria inveniantur esse dignissimi, « religiosi dumtaxat, quos vexandi judices non habeant pote- « statem, ne si tales personae fuerunt, quas in suum possint « evocare judicium, vastandarum rerum debilium, si quae illic « re jacent praebeatur occasio, de quibus rebus summam te cu- « ram gerere volumus, ut nulli sine tua licentia detur noti- « tia; ne usque ad direptionem earum ex fraternitatis tuae « perveniatur incuria etc. ».

Quae cum Januarius facere neglexisset ita Vitali Sardiniae Defensori scripsit.

« Experientia tua indicante comperimus xenodochia in Sar- « dinia constituta gravem habere neglectum; unde Reverend. « frater Coepiscopus noster Januarius vehementissime fuerat « objurgandus, nisi nos ejus senectus ac simplicitas et su- « perveniens aegritudo, quam ipse retulisti, suspenderet; quia « ergo ita est positus, ut ad aliquam ordinationem esse non « possit idoneus, Oeconomum ejus Ecclesiae, atque Epipha- « nium Archipresbyterum ex nostrae districte authoritate com- « monemus, ut eadem xenodochia sine periculo suo, sollicite, « ac utiliter studeant ordinare: nam siquis illis posthac ne- « glectus extiterit; nulla se noverint posse apud nos ratione « aliquatenus excusare etc. ».

SARACENI.

Post Orientales Imperatores Saraceni insulam obtinuere, hi enim anno 650 ex Africa per mediterraneum mare delati omnem insularum oram ferro, et igne, teste Sigonio et Sabellico, faedarunt.

Anno deinde 720 cum infectis excursionibus late maria omnia vagarentur, excursione in Sardiniam facta insulam, quae tunc exiguo Graecorum praesidio tenebatur in potestatem adduxerunt, a Leonis imperio eripuerunt, teste Sigonio, Raphae-

le Volaterrano, Hieronymo Romano, et Maurolicio Abbate. Sed ea parvo tempore sub eorum dominio stetit, nam paucis elapsis annis a Longobardis insulam totis viribus invadentibus regno privati sunt, ut mox dicetur.

Hoc tempore Saraceni in templa Sardiniae, et sepulcra omnia Sanctorum saeviere; et imprimis locum, in quem Sacra D. Augustini Hipponensis Episcopi ossa ex Africa translata fuerant, barbara impietate faedarunt. Quod ubi Luitprandus, Longobardorum Rex audivit, magno repente dolore exarsit, ac Legatis in Sardiniam missis magno illa precio a Saracenis redemit, et non parvo Sardorum luctu Papiam ad se transportari curavit. Qui posteaquam ea Genuam appulsa audivit; Papia egressus obviam eis illuc usque processit, eaque editorum miraculorum magnitudine percitus maximo honore coluit. Cum autem postridie a ministris nulla neque vi, neque arte moveri possent; vehementer ea re perturbatus, sancto Confessor (inquit) si tua hinc ossa tolli, et Papiam transferri propitius patieris, spondeo me templum in tui honorem aedificaturum. Quae ubi vota concepit, ossa subito nullo molimine sustulit, et Papiae in templo Sancti Petri ad Coelum aureum a se condito, in precioso, quod adhuc extat, monumento collocavit pridie kal. martii, Sigonio, Sabellico, Platina, Volaterrano, et aliis multis referentibus.

Eodem tempore Fratres Eremitarum, qui in Sardinia Sepulcro Divi Augustini adhaerebant, insula excedentes mitram, baculum, et pastorale sancti Augustini secum transtulerunt, et in Valentinae urbis monasterio, ubi adhuc visuntur, collocarunt, teste Hieronymo Romano.

LONGOBARDORUM REGES.

Longobardi, qui ex Pannonia a Narsete vocati amplissimum sibi Regnum in Italia acquisiverant, Agilulphi temporibus coeperunt teste Gregorio, mediterraneas insulas infestas reddere.

Anno autem 597 Sardiniam incursionibus, et populationibus afflixere, quod ubi Gregorius accepit, graviter doluit, atque ita Januario Caralitano Episcopo scripsit.

« Quid in Sardinia hostes nostri fuerint operati, priusquam « fraternitatis vestrae epistola ad nos perveniret, agnovimus. « Et quia hoc futurum dudum metuimus evenisse, quod praevi- « dimus, nobiscum nunc gemimus. Quod si secundum eum, « quae tam vobis, quam excellentissimo filio nostro Gennadio, « hoc fore nunciantes scripsimus, sollicitudo fuisset adhibita, « inimici illuc, aut non accederent, aut accedentes periculum, « quod fecerunt, moererent. Vel nunc ergo, ea, que conti- « gerunt, vigilantiam vestram in futura exacuant: nam et « nos quidquid prodesse, possumus facere domino auxiliante « nequaquam omittimus ».

Et licet deinde pacem cum Agilulpho Longobardorum Rege tractasset, et firmasset; tamen quia adhuc non erat sacramento sancita, nec admodum firmo vinculo constricta vigilandum esse his literis eidem Januario scripsit.

« Cognoscetis inquit, Abbatem, quem ad Agilulphum ante « multum jam tempus transmisimus, pacem cum eo, Deo pro- « pitio, quantum vobis Excellentissimo Exarcho scriptum est, « ordinasse. Et ideo quousque pacta de confirmatione pacis « ipsius conscribantur, ne forte hostes nostri in hac dilatione « ad partes illas iterum velint accedere, murorum vigilas, « et sollicitudinem in locis facite omnibus adhiberi. Et confi- « dimus in redemptoris nostri potentia, quia adversariorum « nobis incursus, vel Sardis denuo non nocebunt ».

Praeterea aliam Epistolam ad eundem Januarium ea de re dedit dicens.

« Quia vero non minorem de vobis, quam de nobis solli- « citudinem gerimus, hoc quoque pariter indicandum cura- « vimus, quod finita hac pace Agilulphus Longobardorum « Rex pacem non faciat, unde necesse est, ut fraternitas « vestra (dum licet) civitatem suam, vel alia loca fortius « muniri provideat, atque immineat, ut abundanter in eis « condita procurentur; quatenus dum hostis illic Deo sibi irato « accesserit, non inveniat, quod laedat, sed confusus absce- « dat. Sed, et nos pro vobis quantum possumus, cogitamus, « et his quorum interest, ut se ad obsistendum Deo adjutore « praeparare debeant, imminemus, quia sicut vos nostras tri- « bulationes vestras attenditis, ita quoque nos vestras afflictio- « nes nostras similiter reputamus ».

Marragoni ~~[illegible]~~ Coccia gens sarda emigrata in Pisam.

Itaque Sardi nunquam a Logobardorum armis tuti sine metu vixere. Hi enim quibusdam elapsis annis propinquam Corsicae insulam invadentes in eorum ditionem redegerunt, teste Jacobo Maynoldi.

Anno deinde 730 ut creditur, Luitprandus eorum Rex ex Corsica in Sardiniam magna classe trajecit, et insulam Saracenis ejectis suo adjecit imperio, ut refert Felinus, atque ita appellatus est Rex Sardiniae, ut scribit Petrus Recordati; regnavit deinde annos quatuordecim, et menses aliquot, et obiit Ticini.

Anno 743 Hildibrandus Rex Longobardorum vivente patre electus regnare in Sardinia coepit; sed paullo post Regno exactus fuit; et Rachis Longobardorum Rex creatus Sardiniam obtinuit, et regnavit annos quinque, menses sex, et abdicavit sponte.

Anno 749 Astulphus Longobardorum Rex creatus adeptus est Sardiniam, et regnavit annos septem, et obiit in venatione.

Anno 756 Desiderius Longobard. Rex Sardiniam adeptus, regnavit annos 18 et mense majo victus, et captus a Carolo Magno, et in exilium actus Italia et Regno Sardiniae privatus fuit; atque ita Sardinia sub Caroli Magni potestate adducta, Romano deinde Pontifici donata fuit, ut refert Adrianus Papa, Anastasius, et Carolus Sigonius, de qua re in sequenti libro exordiendum erit.

Hoc tempore anno nimirum 759 corpus sanctae Juliae, quae in Corsica XI. kal. junii Crucis supplicio, teste Usuardo fuit coronata, ab Ansa Regina Desiderii Longobardorum Regis uxore fuit Brixiam translatum, atque ibi insigne monasterium Domino Salvatori et s. Juliae martyri dedicatum, ut ex Petro de Natalibus, et Carolo Sigonio constat.

LAUS DEO.

Vetus Chronicon pisanum Marangonis.

An. 971. fuerunt pisani in Calabria

An. dom. MIIII Pisani fecerunt bellum cum Lucensibus et vicerunt illos in Aqualonga.

V. fuit capta Pisa a Saracenis.

VI. fecerunt Pisani bellum cum Saracenis ad Regium et gratia Dei vicerunt illos in die S. Xisti.

XII. Stolus de Hispania venit Pisas et destruxit eam.

XVI. Fecerunt Pisani et Ianuenses bellum cum Mugieto in Sardinea et g. D. vicerunt illum

XVII. fuit Mugietus reversus in Sardineam et cepit civitatem aedificare ibi, atque homines Sardos vivos in cruce murare. Et tunc Pisani et Ianuenses illuc venerunt et ille propter pavorem eorum fugit in Africam. Pisani vero et Ianuenses reversi sunt Turrim, in quo insurrexerunt Pisani et Ianuenses et Pisani vicerunt illos et ejecerunt eos de Sardinea (N. B. nel C. M. invece di Turrim dice in Turritano Iudicatu.)

M. XXX In Nativitate Dni Pisa exusta est.

XXXV. Pisani fecerunt stolum in Africam ad civitatem Bonam: G. D. vicerunt illos.

LXIII. Pisani fuerunt Panormiam. G. D. vicerunt. | Intrantes rupta portum pugnando catenam Sex ceperunt magnas naves,

LXXXVI. .... Eodem anno valida fames, maxima mortalitas fuit fere per totam Italiam. Vendebatur enim sextarium tritici solidos septem.

LXXXVIII. Fecerunt Pisani et Ianuenses stolum in Africam et ceperunt duas munitissimas civitates Almadiam et Sibiliam in die S. Sixti. In quo bello Ugo Vicecomes filius Ugonis vicecomitis mortuus est.

MCXIIII. Pisanus populus jussu dni papae Paschalis II perrexit Maioricam cum CCC navibus contro i Saraceni.

MCLXII. pr. id. madii Conettus qdam Conetti, operarius S. Ioan. ivit in Sardineam ad portum S. Reparate et trasportavit inde duas columnas lapideas magnas, quae fortuna venti et maris ad Portum Veneris ivit et VII. id. julii Pisas cum magno triumpho reversus est.

(C. M. dice Dni Conettus in Sardineam pervenit et inde reduxit de S. Reparata columnas.)

Eodem anno caritas magna fuit grani vini et olei. Vendebatur sextar. grani den. LXXXIIII. barile de vino den. XLVIII. libra olei den. XXIIII, fabae den. LXVI. milii den. LXXII, castanee den. LXIII, pesci den. LX ordeo den. XLVIII. Eodem anno fuit maxima mortalitas

M. CLX. In v. consulatu Cocci pisani cons. ... duas galeas in guardia maris stare fecerunt, quae galee cum sagitiis IIII de porto Turri ad insulam Capalbi de Sardinea super IIII galeas Saracenorum de Demaa quae magnam navem unam alexandrinam januensium captam habebant impetum magnum in Saracenos fecerunt eosque in fugam in periculo maris converterunt et praedictam navem alexandr. cum saracenis ... perdiderunt. — I Genovesi mandarono per domandarla a Pisani e questi la restituirono

Chron: Marangonis — Segue a quella che è nella pagina.

[An]no dni MCLXV. in mense apr. Parason jud. turr. cum fratribus et avunculis suis pisanis, Barile, ... nello, Paganello et Paulo, et domnicellus Petrus juden de Callari, frater jud. Parasonis de Turri fecerunt exercitum magnum super Parasonem judicem Arboreae pro multis injuriis sibi illatis, et mense Aprili in Arb. intraverunt, palatia et domos multas destruxerunt et igne cremaverunt, viros et mulieres et spolia multa inde abstraxerunt. Parason itaque judex Arboreae cum uxore sua aufugit ad mansionem de Capra. Pro qua injuria et opprobrio Parason judex misit suos legatos ad imperat. Federic. et Januenses promittens eidem Imper. XV millia librar. inter aurum et argentum si de tam turpi injuria eum vindicaret et si totam Sardiniam jurisdictioni Paras. jud. Arboreae supponeret. Imperator autem hoc audiens suos legatos cum VII galeis Januens. et unam galeota ad Jud. Paras. in Arboream direxit.

Anno MCLXV. In mense madio Ildebrandus qdam Rannucii Canari consul pisanor. et legatus in Sardineam pro sedanda discordia Judicum fecit omnes judic. Sard. omnia praecepta sua et sociorum jurare. Hoc jurato Consul praedictus treguam usque ad redditum Judicis Arboreae posuit. Audientibus namque pisanis quod Januenses iverant cum octo galeis in Sardin. VIII similiter galeas armaverunt et in Sard. cum Rainerio Alferoli Cons. pro guardia maris et Sardinee direxerunt. Qua propter legati imperatoris et Januenses nullam vindictam nullamque offensionem in Sard. timore pisanorum galearum quae ibi erant fecerunt. Judex vero cum legatis imperatoris promittentibus adimplere omnia quae ab Imp. postulaverat cum XXX M. libris in eisdem galeis Januam navigavit deinde ad Imper. Fredericum apud Papiam ivit.

Anno dn. MCLXV IV. Id. aug. Imper. Freder. cum magno honore Papiae coronavit Parasonem Jud. Arb. de Sardinea, de qua corona Henricus de Cane et Benedictus cons. et legati pisan. ad Imperator. valde tristati sunt; partim quia securitates et omnia praecepta et fidelitatem pisanis cons. fecerat, ideoque corona dignus non erat; partim quia coronam, pisanis invitis meruerat. Judex denique cum consul. et sapientibus Januae qui ad imperat legati erant, Januam reversus est; quem Januenses cum honore receperunt et ibi moratus est usque ad X Kal. dec. ibique praeparavit magnum exercitum militum fere 200 et peditum et sagittariorum et galeas VIII et tres magnas naves pro exercitu militum portando in Arbor. pro recuperanda terra et pro suae jurisdictioni subjuganda tota Sardinea; pro quo exercitu et expensis et fidelibus suis acquisitis, Januenses ultra XXX mill. libras dolose et fraudulenter ei mutuo dederunt; et sic praedictus Judex cum hoc exercitu X Kal. dec. Janua exivit et navigare coepit. Interea ceteri Sard. Judices hoc audientes contristati et turbati sunt et tota Sard. cum eis; unde Judex turrit. et donnicel. Petrus juden de Kallari cum Gainello, qui cum una galea in eorum adjutorio iverat et cum exercitu magno militum et pedit. et sagittariorum, in mense Sept.) intraverunt Arboream et mansionem de Caprato ... destruxerunt, majorem partem Arboreae igne cremaverunt, ... boves et equos occiderunt, et inde abstraxerunt spolia multa. Castrum tamen, in quo erat thesaurus non ceperunt. Pisani vero haec omnia audientes velociter galeas VI praeparaverunt et armaverunt, in quibus Ildebrandum Bambone consulem cum sapientibus, videl. Lamberto quondam Lanfranchi, Marquo Gaitani et Herro Caralim direxerunt pro eius defensione et guardia et totius Sardineae

Anno dni MCLXV VI. Kal. martii. Miserunt legatos ad Caesarem in Alamaniam et omnia quae ab e[o]
postulaverunt digna et utilia R. Imp. et pisanae urbi diligenter eis imp. exhibuit, Consilio nam
que archiepiscopor. episcopor. et ducum aulae imperialis principum totam Sardineam pisanae civi
tati in feudum dedit praesentibus etiam consule atque legatis Januensium et Barasonem regem
Sardiniae ab eo in Lombardiae partibus coronatum et omnes judices et ipsius insulae civita
tes pisanae ~~civitati~~ ditioni subjugavit et plenam potestatem omnium quae in ipsa insula conti
nentur et ad eam spectant Ugucioni consuli pro communi pisano recipienti tribuit et regali scept[ro]
de ipso feudo ipsum investivit et vexillum inde in ejus manum commisit, et ut perpetuo
feudum istud conservetur et inviolatum permaneat principem Boemorum potentissimum utique
virum jurare fecit, manuque sua firmavit, in quo mille librarum auri poenam imposuit
omnibus personis tam magnis quam parvis qui contra haec facerent
Anno dni MCLXV Januenses cum Judice Arbor. et ejus exercitu ivere in Sardin. pervenerunt
que in Longoni sard. et ibi sagittias IIII pisanorum, in quibus erant milites et negotiatores
ceperunt. Hoc audientes pisani XI galeas cum magno vigore armaverunt et in Sard. cum duo[bus]
cons. Petro et Gulielmo ad expellendos Januenses miserunt... Venientibus quidem Janu[ensibus]
cum Judice in Arbor. milites Judicis in terra posuerunt, Judicem vero propter pecuniam
quam dare debebat in terram non posuerunt; quibus Judex ~~[illegible]~~ pro pecunia obsides atque
item pecuniae et cum in terra ponerent dare voluit; qui partem, nisi totam solverit
non receperunt. Cum haec agerentur Januenses audierunt quod VII galeae [quae carali erant] pisanorum de pisis veniebant
super eos et consul cum magno exercitu per terram et XI galeae de Pisis veniebant, re
lictis militibus et negotiatoribus et navibus et sagittiis pro timore pisanorum cum Ju
dice usque Januam fugerunt; qui VII Id. Febbr. Januam applicuerunt; de quo facto Januenses
magnam habuerunt tristitiam et Judicem in carcere tenuerunt. Pisani itaque consules qui
in Sardinia erant milites et negotiatores Januens. ceperunt et totam Sardin. sub tributo
et fidelitate expulsis Januen. posuerunt
Anno MCLXVI, Pisani, qui in Turri erant cum XI galeis praedictis pisanorum consuli
bus invitis et contradicentibus infra terram ad villas Turris iverunt easque praedabantur
et devastabant, Sardi vero hoc audientes cum magna multitudine militum et peditum
in Pisanos IV. id. Maii qui fuit vigilia ascensionis Dni impetum fecerunt et de eis LXX
in villa quae dicitur Vetavo gladio occiderunt,
Anno MCLXVI, Barason jud. turrit. et Petrus ejus frater Judex callaritanus et Judex
de Gallurl, qui in turri cum suprascriptis pisanor. consulibus erant, audientes quae gesta
erant magnum dolorem et tristitiam habuerunt et Pisas in galeis cum cons. pro hono
re et satisfactione facienda venerunt. Barason quidem judex in parlamento facto in burgo
S. Michaelis propter timorem propinquorum et interfectorum in Sardinea juravit ad sancta
Dei evangelia, quod mortem praedictorum Pisanorum non invenit nec cum alio consiliatus

est, immo doluit, et insuper omnia praecepta et fidelitatem cons. pisan. et successor. juravit et terram in feudum pro praedictis tenere et libras VI m. dare ac censum libr. C et falcones paria XII omni anno supradictis cons. eorumque successor. juramento dare promisit. Praedictus siquidem Consul Gulielmus cum Leone Sulta, qui in legatione obiit et Carone cum una galea judices Barasonem et Petrum cum aliis Sardis in Sardineam in portum turritanum in mense Julii transvexere.

Anno dni MCLXVII. Januenses cum cogitarent pisanos cives non posse cum eis in mare, propter XII galeas de Provincia redeuntes, quae Dei judicio perierant, unam magnam navem in Arboream miserunt pro mercibus portantis pro debito Judicis Arboreae quem tenebant in vinculis, solvend. Pisani haec audientes V. galeas armavere, at ad Arbor. direxerunt ibique navim supradictam cum h. jannen. X Kal. juni cepere. Galeae redeuntes aliam navem jan. super Caputalbi XI Kal. iu. ceperunt, quae naves plus quam VIII millibus libris valuere.

Anno eod. in mense Junii Januens. haec omnia audientes pro dolore magno navis captae in Arborea VIIII galeas velociter armaverunt et usque ad Callarim eas miserunt et securitates cum Judice Petro contra pisanos fecerunt (certi patti)

Pisani haec audientes XVII galeas cum duob. cons. Feriolo et Vetulario festinanter armavero et eas direxerunt, et Januensium praedictas galeas in costa de Callari revertentes errines viderunt, quas pisani in fugam converterunt et januens. pro timore usque Januam fugiere.

Anno dni M.CLXXI Pisani consules miserunt Caronem cons. et socium cum una galea legatum in Sardineam pro concordia facienda cum judicibus et sardis, cum duobus sapientibus, Turchiarello legis doctor et Guidone Barbellae. Ma presso l'isola d'Elba fu presa dai Genovesi .III. Kal. junii

Anno dni MCLXXIIII. Magna fames per totum annum et plus fuit et grandis penuria,

Anno dni MCLXXV. Supradicti consules mense madii miserunt duas galeas in Sardineam cum duobus consul. Pane et Porro videlicet et Carone et sapientibus pro ea recuperanda, quia Januenses partem Sardiniae invaserant et eam recuperaverunt. Judices omnes et Sardi pacem cum Pisanis fecerunt et omnia praecepta pisanor. consulum et omnia devota a Pisanis consulibus facta et imposita et Pisanos sanos naufragosque salvare, sacrosanctis evangeliis firma tenere et observare juraverunt. Haec audientes Januenses sex galeas armaverunt et usque in Sardineam supra Bosam navigaverunt, et Pisanorum galeas praedictas revertentes in fugam converterunt et unam ex eis XVII Kal. jun. cepere alia vero cum dictis cons. et sapientibus Pisas redit.

Cronaca di Ranieri Sardo.

Nel 1004 i Saracini di Barbaria, di Spagna e di Sardigna vennero fino a S. Pietro di Roma e ne menarono molti incatenati. I Pisani sconfissero i barbari e ripresero i prigionieri

Nell'anno seguente essendo i pisani per mare in Sardigna col re Mugetto la loro città fu as-
salita da' Lombardi e Lucchesi, e tornando parte de' Pisani sconfissero i Lucchesi
Nel 1006 essendo i pisani a oste in Calavria, la gente saracina del Re Mugetto, il quale tenea la
Sardigna vennero a Pisa e la presero e la gente fuggì a' monti
Nel 1017 lo papa colla sua chericìa mandò a Pisa a predicare la croce in Sardigna contro i Sara-
lo Cardinale di Ostia. Il comune obbligossi e ricevette lo gonfalone vermiglio, fu privilegiato
Sardigna, e l'esercito vi passò e fece gran danno.
Nel 1021. lo re Mugetto fece ogni sforzo e venne in Sardigna e prese la corona di Re, e cacciona-
ni che vi erano. Ma poco dopo la Sardigna ritornò a' Pisani.
Nello stesso anno (la Sardigna essendo stata ripresa) i pisani fecero compagnia co' genovesi a conquistare
Sardigna, la presero per forza e misero a ruba, e per patto toccò a Genovesi il tesoro a' Pisani la
Nel 1026 Mugetto co' Saracini di Barbaria essendo i pisani iti per mare per ricoverare la Sard
venne a Pisa e arsela.
Nel 1030 i Pisani presero la città di Cartagine e il Re Mugetto e lo menarono a Roma e fu fa-
scinno dal Papa e fu coronato re di Cartagine.
Nel 1050 lo re Mugetto con suo sforzo prese la Sardigna e fecevi città e molte castella. I pisani
andando per cacciarlo furon tenuti in Corsica dal cattivo tempo, e lo Re Mugetto ciò sapendo ar-
la Sardigna e se ne ritornò in Barberia. I pisani presero Corsica, poi ricoverarono la Sar-
gna e vi fecero grandi fortezze.
Nel 1120. Papa Calisto II privilegiò la Sardigna a Pisa e diede l'insegna vermiglia.
Nel 1137. Papa Innocenzo fece arcivescovo il vescovo di Pisa, (Piero) e diedli suoi suffraganei i vesc
di Populonia, Maremma, di Alleria, di Sagona, di Caggia, di Corsica, di Civita e di Galtelli
Sardigna e fecelo patriarca di tutta Sardigna e qui legato per la chiesa di Roma
Nel 1217. li Pisani fondarono Castello di Castro di Sardigna.
Nel 1237. quando i Pisani presero le 25. galee co' prelati che in esse andavano a Roma per
porre Federigo furon privati dell'isola di Sardegna. Indi a poco fu bandito passaggio so
Nel 1241 mandarono i pisani, i conti di Donoratico e i marchesi di Malaspina e molti altri
ricoverare la Sardigna e le terre che lo marchese Chianni avea dato a Genova. Li pisani la
ricevettero e lasciarono le terre a chi le volesse e dieano moneta a chi non le volse e per
ebbero li Conti in Callari, li Visconti in Gallura, li marchesi in Logudoro e i Conti
Capraia in Arborea.
Nel 1292. Papa Bonifacio VIII diede in feo la Sardigna allo re di Aragona e l'isola
sica, spogliandone Pisa
Nel 1300 li pisani fecero tregua co' Genovesi di 29. anni e perchè la ditta pace li guelfi esciti
Pisa non volessero tornare e i ghibellini bianchi di Toscana guastarono col Re di Aragona
occupare la Sardigna, i Pisani diffecero le terre e tolsero Gallura alli Visconti che non avea
gato il censo a tempo, loro Judicato di Callari alli conti Donoratico guelfi, a messere Tesora
gli Uberti da Firenze lo Judicato d'Arborea e indici Mariano Giovanni ne fecero venire
Nel 1324 essendo Nello del Monte alla casa podestà di Pisa messer Ugetto Judice d'Arborea traditte Pisa
fece uccidere molti pisani che erano andati al suo soldo

JOHANNIS FRANCISCI FARÆ

DE REBUS SARDOIS

LIBER II.

EX RECENSIONE VICTORIUS ANGIUS.

Devictis Longobardis, et capto Desiderio eorum rege, ac exulare coacto, Carolus cognomento Magnus Romae existens Apostolicae Dei Ecclesiae Beatoque Adriano Papae praesenti et ejus successoribus in perpetuum adeptam Sardiniam et Corsicam, aliaque multa donavit anno salutis 774 atque hujus donationis tabulas sua, Episcoporum, Abbatum, graphicorumque manu subscriptas super altari in s. Petri confessione, ut testata sacris monumentis robustiora essent, deposuit, ac solemni se suosque successores juramento devinxit, aliasque tabulas priorum exemplo per apostolicum scriniarium exoratas secum deportavit, ut ex Folieta, Sigonio, Maynoldi, Anastasio, Adrianoque constat.

Anno deinde 817 Paschalis Papa I., Theodoro nomenclatore misso, confirmationem dictae donationis regnorum Sardiniae et Corsicae à patre avoque ejus, decessoribus suis, factae in hunc modum a Ludovico Imperatore obtinuit, ut ex Gratiano, Volaterrano, et Carolo Sigonio (L. IV. § *Ludov. Imp.* etc.) constat.

« Ego Ludovicus Imperator Augustus statuo et concedo per
« hoc pactum confirmationis nostrae Tibi B. Petro principi
« Apostolorum, et per Te Vicario Tuo domino Paschali summo
« Pontifici ac universali Papae, et successoribus ejus in per-
« petuum, sicut a praedecessoribus vestris usque nunc in ve-
« stra potestate et ditione tenuistis, et disposuistis civitatem

806 I saraceni fecero una invasione in Corsica, il Re di Italia Pepino si appresto a combat
813. I pirati del Nord (Danesi) ricominciarono le loro invasioni sulle coste d'Italia, saccheggiarono Nizza e più isole del mediterraneo.

Questi pirati si erano mostrati nel porto di Narbona nell'806 (?) il che fece piangere Carlomagno prevedendo il peggior avvenir.

808 Il connetabile Burchardo inviato da Carlo magno alla difesa della Sardegna mise in fuga [illegible] saraceni presi ne mandò a fondo 13 vascelli.

« Romanam cum suo Ducatu et suburbanis, atque viculis « omnibus, et territoriis ejus . . . . » Et infra « Et insulas Corsicam Sardiniam et Siciliam sub in« tegritate cum omnibus adjacentibus ac territoriis, maritimis « litoribus, portubus ad supradictas . . . . . . insulas « pertinentibus . . . . » Et infra « Has omnes « supradictas provincias . . . . et patrimonia jam dictae « Ecclesiae tuae, B. Petre Apostole, et per Te beato Vicario « tuo spirituali patri domino Paschali Summo Pontifici ac « universali Papae, ejusque successoribus usque in finem sae« culi, eo modo confirmamus, ut in suo detineant jure, prin« cipatu, atque ditione. . . . . » Et infra « Ceterum, sicut diximus, omnia superius nominata ita « ad nostram partem per hoc nostrae confirmationis decretum « roboramus, ut in vestro vestrorumque successorum perma« neant jure, principatu, atque ditione, ut neque a nobis, « neque a filiis, vel successoribus nostris per quodlibet ar« gumentum, sive machinamentum, in quacumque parte mi« nuatur vestra potestas, aut vobis de suprascriptis omnibus « vel successoribus vestris inde aliquid subtrahatur . . . . « ita ut neque nos subtrahamus, neque quibuslibet subtrahere « volentibus consentiams, sed potius omnia, quae superius « leguntur, idest provincias, civitates . . . . et pensio« nes Ecclesiae B. Petri Apostoli et pontificibus in sacratissima « illius sede in perpetuum residentibus in quantum possumus « defendere nos promittimus ad hoc, ut omnia ea nullius jus « ditionis ad utendum et fruendum atque disponendum firmi« ter valeat obtinere, nullamque in eis nobis partem atque « potestatem disponendi vel judicandi, subtrahendi vel mino« randi vendicemus, nisi quando ab illo, qui eo tempore « hujus sanctae Ecclesiae regimen tenuerit, rogati fuerimus. « Et si quilibet homo de supradictis civitatibus ad vestram « Ecclesiam pertinentibus ad nos venerit, subtrahere se volens « de vestra jurisdictione vel potestate, vel quamlibet aliam « machinationem metuens aut culpam commissam fugiens, « nullo modo eum aliter recipiemus, nisi ad justam pro eo « faciendam intercessionem; ita dumtaxat si culpa, quam com« misit, venialis fuerit inventa, sin autem comprehensum

Nel 808 i Saraceni si impossessarono della città d'Aleria in Corsica.

« eum ad vestram potestatem remittemus, exceptis iis, qui « violentiam vel oppressionem potentiorum passi ideo ad nos « veniant, ut per nostram intercessionem justitiam accipere « mereantur . . . . » Et infra « Haec autem, ut ab « omnibus Dei Ecclesiae fidelibus, et nostris firmum esse cre- « datur . . . . pactum nostrae confirmationis, roboramus « et per legatum s. Ecclesiae Theodorum nomine domino « Paschali Papae direximus etc. » ut apud citatum Sigonium, et constat ex Bibliotecario, Mario Pandulfo, et Raymundo Ru 'o.

Anno deinde 962 Otho I. Imp. sub Johanne Papa XII. in haec se subscripsit. » Ego Otho Imperator pro animae nostrae, « filiique, ac parentum nostrorum salute haec omnia supra- « dicta tibi B. Petre, successoribusque tuis libenter concedo ». Et subscripsere Episcopi X., Abbates II., Comites V., Obtimates VIII. ut ex authographo bibliothecae Vaticanae antiqui libri refert Raphael Volaterranus L. III.

Gratianus praeterea tradit eumdem Othonem ipsi Johanni Papae XII. jusjurandum in hunc praestitisse modum: « Tibi, « domino Johanni Papae ego Rex Otho promittere et jurare fa- « cio per Patrem Filium et Sp. Sanctum, et per lignum hoc sa- « lutiferae Crucis, et per has reliquias Sanctorum, quod si, « permittente Domino, Romam venero, sanctam Romanam « Ecclesiam, et te Rectorem ipsius exaltabo secundum meum « posse, et vitam aut membra nunquam, neque ipsum hono- « rem, quem habes, mea voluntate, aut meo consilio, aut « meo consensu, aut mea exhortatione perdes; et in Roma « nullum placitum aut ordinationem faciam de omnibus, quae « ad Te, aut ad Romanos pertineant, sine tuo consilio, et « quidquid de terra s. Petri ad nostram potestatem pervene- « rit, tibi reddam, et cuicumque Italicum regnum commisero, « jurare faciam illum, ut adjutor tui sit ad defendendam « terram s. Petri, secundum suum posse ».

Itaque Romani Pontifices regnum Sardiniae sic sunt adepti, ut etiam referunt Innocentius Papa III. et Johannes de Imola tit. *de verborum obbligationibus*; atque in hac serie dominati sunt annos circiter LXXX., videlicet.

Anno 774 Hadrianus Papa I. Sardiniam adeptus regnavit annos circiter 21 et obiit VII. kal. januarii.

795 Leo III. habuit Sardiniam annos 20 menses 5 dies 26, et obiit pridie idibus januar. Fuit interregnum dierum 20.

816 Stephanus IV. Sardiniam habuit menses 6 dies 26, et obiit VIII. kal. febr. Fuit interregnum 2. dierum.

817 Paschalis I. Sardiniam habuit annos 7 menses 3 dies 17, et obiit pridie id. maii. Fuit interregnum dierum 4.

824 Eugenius II. Sardiniam habuit annos 3 menses 6 dies 24, et obiit idib. decembr. Fuit interregnum unius diei.

827 Valentinus I. Sardiniam habuit mensem 1 dies 10, et obiit VIII. kal. febr. Fuit interregnum dierum 3.

827 Gregorius IV. Sardiniam habuit annos 16, et obiit VIII. kal. febr. fuitque interregnum dierum 15.

844 Sergius II. Sardiniam habuit annos 3 menses 2 dies 3, et obiit. Fuit interregnum mensium 2 dier. 15.

847 s. Leo Papa IV. habuit Sardiniam annos circiter 7, et a Saracenis insulam invadentibus regno privatus fuit, teste Thoma Facello.

His Romanorum Pontificum temporibus erant Judices in Sardinia, qui pro illis ad instar regis dominabantur insulae; atque Leo IV. Saracenorum arma veritus, ab eo Judice, qui tunc temporis Sardiniae praeerat, auxilium his verbis petiit.

Leo Papa IV. Judici Sardiniae

« Celsitudinem vestram duximus obsecrandam, ut nobis, « quantum tua providerit magnificentia, armatos, sive pue« ros, sive adultos ac juvenes, cum armis suis mandare di« gnemini, qui nobis quotidie jussa quotidiana possint ex« plere, etc. ».

Alias insuper literas ad eundem Sardiniae Judicem nova quaedam et inusitata petentem idem Leo misit in hunc modum:

Leo Papa IV. Judici Sardiniae

« Nec mos, nec noviter introducta consuetudo nostrae Ec« clesiae, praedecessoribus nostris fuit contra sanctorum ca« nones nova vel inusitata praesumere. Quamobrem devotius « vellemus vestras petitiones suscipere, si in iis Nos sanctorum « patrum censura juvaret. Sed ideo quia synodicae pagine in « hoc favere non videntur, Nos tantam novitatem praesumere « non possumus, et ab illo rectissimo tramite deviare etc. ». Haec ex ipsius Leonis regesto refert Johannes . . . . Episcopus.

Hoc etiam tempore anno circiter 851 coloniae ex Sardinia et Corsica ad Ostiam urbem deductae sunt, deficientibus in ea habitatoribus propter inflictas clades a Saracenis, ut referunt Piatina, Sabellicus, et Matthaeus Palmerius.

Praeterea hoc tempore floruit Thomas Episcopus Sardiniae qui Epiphanium diaconum suum misit procuratorem ad synodum VIII. universalem, ut ex Concil. tom. 3 constat.

SARACENI.

Saraceni, qui jampridem, ut diximus, insulam Sardiniae amiserant, eam recuperare cogitantes, anno salutis 806 maxima classe partim ex Africa, partim ex Hispania coacta, prius Sardiniae litora reddiderunt infesta; mox Corsicam invaserunt. Quare Pipinus tum Italiae Rex et Romanae Ecclesiae defensor, classe in Liguria, ut narrat Ubertus Folieta, comparata, et in Corsicam ductu Audomari Genuae Comitis missa Saracenos ejus adventu inopinato perculsos, inde se proripere compulit teste Sabellico et Sigonio. Ea enim tempestate Corsicae imperium Genuensi populo adjunctum, ac veluti bello partum, a Romanis Pontificibus fuisse confirmatum refert idem Folieta.

Anno sequenti 807 Saraceni qui in Hispania erant, opulenta classe collecta Sardiniam et Corsicam adorti utramque sibi insulam conantur adjungere. Sed Sardi ad arcendos a populationibus agrorum occurrentes signa contulere, et fortiter pugnantes tribus circiter millibus barbarorum caesis reliquos trepida fuga ad mare compulere: ubi non minor trepidatio fuit, dum in conscendendis navibus turba se mutuo certamine impediente majorem tumultum Sardus a tergo premens injecit. Nec minor ibi caedes, quam in praelio fuit; nam ad quinque millia eorum interficiuntur. Ceteri omnes a Burchardo etiam a Corsica fugantur, et eorum terdecim naves eripiuntur, ut ex Paulo Æmilio, Ænea Sylvio, qui postea fuit Pius II., Wolphango, Blondo, Sigonio, et Zurita constat.

Anno deinde 809, quo inter duo imperia magna orta erat discordia, Saraceni qui Hispaniam incolebant, Christianorum

dissidium in suum commodum vertentes Sardiniam, unde duobus abhinc annis cum insigni caede suorum fuerant repulsi, ex improviso invadunt. Indeque subito aversi Corsicam petunt Aleriaque urbe direpta, praeter illius antistitem et senes admodum paucos, ceteram multitudinem captivam inde avehunt, Sabellico et Sigonio referentibus.

Anno 812 Saraceni ex Africa et Hispania armis sociatis ad litora Italiae depopulanda concurrunt. Classe tamen Caroli Imperatoris deterriti Italiam omittentes alii se in Sardiniam, alii in Corsicam intulere; ex quibus qui attigere Sardiniam prope omnes occisione occisi sunt, teste Sigonio, et Petro Mestie in histor. Imperat.

His cladibus Saraceni Hispaniae et Ambulachus Rex Cordubae animis consternati pacem cum Sardis et Carolo Magno Imperatore fecerunt. Saraceni tamen Africae eam aspernati anno 813 Corsicam invadunt, dumque praeda onusti Hispaniam navigant ab Hermengario Comite Emporitano invasi praedam et octo naves cum quingentis Corsis captivis amiserunt. Quum autem resarcire damnum cupiunt malum malo cumulant, et nova instructa classe Centumcellas in Hetruriae ora occupant, captam urbem diripiunt, ferroque et igni vastant: tum Nicaeam Provinciae et Narbonensem oram populati Sardiniam invadunt. Sed ibi, qui se et sua pari audacia defenderent, atque ipsis obsisterent, invenere. In hos licentiosius palantes Ermengarius cum insulanorum manu repente fecit impetum, fusosque cum multa caede ad mare agit. Hic dum naves tumultuose ascendunt a Sardis caeduntur ad satietatem; atque ita graviter affecti magnaque classis parte amissa in Africam trajecere, ibique quievere aliquandiu nihil moventes, ut referunt Pius II., Sabellicus, Sigonius, et Zurita.

Saraceni etiam Hispaniae praedae dulcedine iterum allecti non cessabant frequenter Sardiniam invadere et populationibus omnia complere. Quare anno 815 Bernardo Italiae Regi, qui Sardiniae et Corsicae tuendi curam habebat, degebatque Romae, adfuerunt Caralitanorum legati ex Sardinia quaerentes pacem tertio anno cum Ambulacho Saracenorum rege constitutam sibi et universae insulae calamitosam, praesertim Ambulacho defuncto, quo in humanis agente pax satis fida fuisset. Cete-

rum eo sublato omnia mutata, nullum suis rebus laxamentum dari a Saracenorum latrociniis, nec illos unquam ab injuria cessaturos, nisi armis, ut saepe antea, arcerentur. Rex Sardorum querelis permotus jussit bellum Saracenis indici, etsi res Italiae adhuc fluctuabant, ut ex Sabellico et Blondo constat.

Anno deinde 828 cum demandata esset Bonifacio Comiti cura Sardiniae et Corsicae tuendarum, ipse assumpto fratre Bethario, atque aliis quibusdam e Thuscia sociis, parva classe, Sardiniam et Corsicam perlustravit, et nullo ibi praedone reperto in Africam provectus inter Uticam et Carthaginem ingentem incolarum manum occurrentem, quater cum ipsis congressus, concidit, tantamque Saracenorum stragem egit, ut coacti sint Mauri, quemadmodum olim a Scipione vexati Carthaginenses, revocare suos e Sicilia, qui laboranti patriae auxilium ferrent. Ita liberata Sicilia, rediit in Corsicam Bonifacius, cum classe victrice, ingenti praeda onustus, ut ex Platina et Sigonio accepimus.

Annis sequentibus Saraceni non cessarunt confertissima classe Sardiniam, Corsicam, et Siciliam, ipsamque Italiam saepe invadere, earum urbes diripere, ingentesque praedas asportare. Sicque capta Sicilia, ac urbe Roma etiam devicta Sardiniam et Corsicam subjugarunt anno ferme 853, ut ex Onuphrio Panvinio, Thoma Facello, et Mattheo Palmerio liquet. Sardinia tamen non penitus neque ex omni parte fuit subacta, quamquam majorem ejus partem occupaverint, ac per annos 160 tenuerint, quousque a Pisanis insula pulsi fuere. Corsos ex sua insula et patria ea tempestate Saraceni depulere; eisque sic pulsis Leo Papa IV., qui munitionem Vaticanam, urbem Leoninam appellatam absolvit, anno 854 habitandum tradidit Platina, Sabellico, et Sigonio referentibus.

Anno 861 Audalisus, Beneventanus dux, perfidiae suae contra Ludovicum Imperatorem, a quo precibus Nicolai Pontificis rebellionis veniam obtinuerat, poenas metuens, in Sardiniam, teste Illesca (historia pontificalis), confugit. Quo tempore Saraceni non cessabant Italiae oram reddere infestam, et ipsam Beneventi Urbem invadebant. Sed semper repulsi fuere et vigilantia Nicolai, et Imperatoris auxiliis, qui ibi semper aderat, ubi opus esset, teste eodem Illesca.

Anno 953 Saraceni in Italiam revertentes Genuam captam, direptamque incenderunt et everterunt, imbelli multitudine partim caesa, et partim capta. Nam ceteri habitatores, qui arma ferre poterant, aberant, in expeditione alio profecti. Hic tamen mox reversi, et Saracenos insecuti, eos ad insulas Buccinarias haud procul a litoribus Sardiniae adepti in eos victos omnem efferatorum animorum rabiem effuderunt, omnibus praeter perpaucos, qui manus victorum subterfugerunt veluti pecudum more trucidatis: tum naves hostiles captas secum trahentes cum captivis recuperatis in patriam reverterunt, Uberto Folieta referente. Saraceni tamen non destiterunt classibus suis Italiam infestam tenere, et cum Pisanis et Genuensibus bellum constanter in Sardinia et Corsica gerere, ut mox dicemus.

MUSACTUS SARACENUS - PISANI - GENUENSES.

A Saracenis, eorumque Rege Musacto, Pisani et Genuenses Sardiniam et Corsicam eripuere.

Anno 1005, cum a Johanne Papa XVIII. edictum fuisset, ut cuilibet Christianorum liceret insulas Sardiniae et Corsicae possidere, modo eas a Saracenis liberarent, Pisani hanc expeditionem suscipientes Sardiniam invaserunt, et Musactum Regem, qui eam tunc detinendo, non modo Romam, verum et totam mediterranei oram, infestabat, insula deturbare tentarunt. Irritus tamen fuit eorum conatus. Nam quum ipsi, et totum juventutis robur, domo absunt, Lucenses, qui veteres simultates cum ipsis fovebant, occasione allecti, Pisanum agrum invadunt, et oppidum Valdiserchium capiunt: atque ita Pisanos ab incoepta in Saracenos expeditione desistere, patriamque remeare coegerunt, ut referunt Sigonius et Volaterranus.

Pisani statim post reditum usque a Ripam-francam Lucenses fugarunt; nec multo post Rhegium Calabriae urbem a Saracenis occupatam invadunt.

Nactus hanc occasionem Musactus, acceptae injuriae memor, anno 1006 munita classe Pisas se contulit; atque inermi multitudine ad vicinos colles refugiente, repente captas incendit. Quo nuncio accepto, Pisani, Rhegii obsidione soluta, do-

mum contenderunt, atque patria in die festo s. Xisti recuperata aedificia confestim restituere curarunt, testibus iisdem Sigonio, et Volaterrano: ac postea excurrente sexennio, anno videlicet 1012 dolore et ira illatae a Musacto injurie accensi Pisani Sardiniam repetunt, et Musacto inde ejecto, insula potiuntur. Musactus tamen non multo post reversus Sardiniam recuperavit, ut refert Folieta.

Ea re commotus Benedictus Papa VIII. Cardinalem Episcopum Ostiensem misit, qui Sardiniae et Corsicae insulas, a Saracenis occupatas, amplissimis tabulis donaret Pisanis, eisque vexillum rubrum, alba cruce intextum, traderet. Ergo

Anno 1018 Lamberto praesule Pisano, et ipso Cardinali Ostiensi, impellentibus, Pisani classe instructa, Sardiniam repetentes victoria sunt potiti, et insula capta, atque liberata, Musactoque fugato, illius possessionem sunt adepti. Verum post triennium scilicet

Anno 1021 Rex Musactus ex Africa cum ingenti Saracenorum copia ex improviso in Sardiniam irrupit, et Pisanos inde cum omnibus Christianis turpiter ejecit, insulamque in ditionem suam redegit, ut tradunt Christophorus, Laudinus, Sigonius, et Volaterranus. Cum deinde Musactus Pisanorum et Genuensium litora quotidianis incursionibus depraedari non desisteret; hinc sequenti

Anno 1022 contracta invicem societate, communibus opibus, bello Saracenos aggressi sunt, atque illos tandem ex Sardinia vi ejecerunt. Praeda, ex pacto invicem inito, Genuensibus, Sardinia Pisanis cessit, ut Cyprianus Manenti, Jacobus Mainoldus, Carolus Sigonius, aliique referunt.

His aliisque rebus, annis sequentibus, prospere contra Saracenos a Pisanis gestis, exaratum fuit Pisis, et in fronte templi maximi positum anno 1034, hoc epigramma:

HIS . MAJORA . TIBI . POST . HÆC . URBS . CLARA . DEDISTI

VIRIBUS . EXIMIIS . CUM . SUPERATA . TUIS

GENS . SARACENORUM . PERIIT . SINE . LAUDE . SUORUM

HINC . TIBI . SARDINIA . DEBITA . SEMPER . ERIT

A. D. M.XXXIII.

Anno 1023 Musactus Rex, imprudentibus, aut frustra repugnantibus Pisanis, antiquam Sardiniae possessionem recuperavit, atque insulam multis castellis et aedificiis ornavit, Volaterrano referente.

Anno 1051 Pisani a Leone Papa IX. impulsi classem instructam in Sardiniam intulerunt, ac tempestate in Corsicam delati primum partem insulae Genuensibus ademerunt, deinde ad Sardiniam sedata tempestate appulsi tantum Musacto terroris incusserunt, ut bonis, quae asportare non poterat inflammatis excesserit. Ea res primas inter Genuenses et Pisanos simultates excivit, quae postea in apertas et perniciosas bellorum contentiones exarserunt, ut iisdem verbis narrat Carolus Sigonius L. VIII. ad ann. 1051 et consentit Volat. L. V. *Res Pisanorum.*

Anno 1052 Regis Navarrae filia e paterna domo rapta, et tempestate in Sardiniam acta, sedes suas cum sociis collocavit in regione Agugliastri, ubi s. Mariae *Navarresae* inde dictae templum ab ea conditum adhuc cernitur. Has sedes postea ob malignitatem loci mutare coacta in Arborensem regionem maritimam Incontratae s. Marci de Sinnis dictae, seccessit, ut oppidum a Saracenis desertum incoluit.

Alii etiam Christiani fere undique, hac tempestate, Sardiniam commigrantes brevi eam populosam reddiderunt: et Pisani in quatuor partes divisam, neque Turritanum, Galluritanum, Caralitanum et Arborensem, singulas singulis judicibus commendarunt, uti suo loco, ubi de Sardiniae judicibus erit sermo, dicemus.

Praefata Corsicae invasio a Pisanis, anno 1051 facta belli caussa fuit. Nam Genuenses injuriae a Pisanis illatae memores Sardiniam et Pisarum maria perlustrantes infesta reddidere armis hostilibus, et terras ipsas complevere ruinis, quibusdam occupatis locis, praesertim ab Auriensibus, qui ut Hispani referunt auctores Algarium et Castrum Genuense aedificarunt anno 1102, et muniere.

Anno 1110 Genuenses impulsi a Mariano, qui Judicatu Caralitano a Pisanis fuerat spoliatus, viginti duarum triremium classe Caralitanam provinciam invadentes urbem Caralis expugnaverunt, et Marianum in pristinum statum restituerunt: qui

pro hujusmodi beneficio libram unam auri quotannis pendere est pollicitus; et ut tuto a Pisanorum armis in Judicatu viveret, Genuensibus fidelitatis jusjurandum praestitit, ut Augustinus Justinianus, Hieronymus Zurita, et alii Hispani auctores referunt.

Anno 1112 marchiones Malaspina classe instructa Sardiniam appulerant, et urbem Bosam-novam, ut referunt Hispani auctores condiderunt.

Anno 1115 Genuenses octodecim triremium classe Sardiniam, populabundi, teste Interiano, invasere.

Anno 1119 mense majo, iterum Genuenses, sexdecim triremium classe magnum Pisanorum numerum, cum ingenti auri vi, ex Gallura Sardiniae provincia Genuam asportarunt, ut refert Folieta.

Anno 1120 ibidem Genuenses bellum prosequentes contra Pisanos octoginta triremium classe, et corbitarum quatuor, aliorumque minutiorum navigiorum, quam conscenderunt sociorum navalium et bellatorum viginti duo millia, terrorem maximum incusserunt hostibus, eosque ad pacem adegerunt, Corsica et captivis Genuensi reip. restitutis, simul cum jure inaugurandorum in ea insula episcoporum, ut tradit idem Folieta.

Anno 1122 Pisani post has iniquas pacis conditiones, diu illis ferendis aequo animo impares, fidem fregerunt, novumque bellum pararunt. Quare Genuenses eorum fines ingressi cladibus et ruinis omnia compleverunt.

Anno 1124 Genuenses, qui septem triremibus maria perlustrabant, quasdam Pisanorum naves onerarias, sardoarum mercium et annonae onustas, triremiumque praesidio destitutas, ceperunt, et arcem s. Angeli, quam Pisani adhuc in Corsica retinebant, vi expugnarunt.

Anno 1125 Pisani instructa numerosa triremium classe arcem s. Angeli recuperarunt, et plura Corsicae oppida acquisiverunt, totius ferme insulae potentes facti. Quare Genuenses sequenti triennio, emissis classibus infestam reddiderunt ipsam Pisarum urbem, litoraque Ethruriae, Corsicae, et Sardiniae; et anno 1129 praefatam arcem s. Angeli iterum expugnarunt, ut ex Volaterrano et Folieta constat.

Anno 1130 Innocentius Papa II., cui graves admodum erant discordiae Pisanos inter et Genuenses, ad inducias paciscendas prius utrosque induxit, moxque firma pace conciliavit.

Anno 1131 Comita Judex Arborensis armis Pisanorum oppressus ad Genuenses confugit, eorumque patrocinium sibi firmavit sacerdotio s. Petri de Claro Genuensi Ecclesiae s. Laurentii attributo, et dimidia parte montium, ubi sunt argenti fodinae, dono data, ut referunt Justinianus et Folieta.

Anno 1132 Genuenses arma intulerunt comitibus Lavaniae in Corsica non satis obedienter populum Genuensem colentibus, arcemque Riparoli, quae eorum cervicibus immineret, aedificarunt: ac anno sequenti eorumdem comitum arces everterunt, ipsosque ad praestandum fidelitatis juramentum, et ad obsequium abstrinxerunt, eodem Folieta referente.

Anno 1144 Lucius Papa II. remisit Genuensibus vectigal anniversarium librae unius auri, ob Corsicae datum ipsis a Pontifice imperium, pendi solitum.

Verum Fridericus I. Imperator, *Barbarossa* vulgo dictus, vectigal Sardiniae et Corsicae imperio tantum deberi asserebat: nam donationes ab Impp. Romanae Ecclesiae, et a Romanis Pontificibus factas populo Pisano et Genuensi, ratas noluit habere. Propterea

Anno 1158 Dimisso conventu, quem ad Roncalias edixerat, evocatis utrjusque regni principibus, Imper. Fridericus nuncios Conradum Episcopum Eistatensem, et comitem Emichonem in Sardiniam et Corsicam ad eas constituendas insulas misit, eosque Pisanis et Genuensibus commendavit. Verum, Pisanis et Genuensibus insularum retinere possessionem volentibus, legati non trasmiserunt. Qua re iratus Imperator propius Genuensium finibus movit, ac Poscum progressus, cognito Genuenses novo metu exterritos in urbis munitione persistere, legatos eorum ad se mitti postulavit, et cum eis pacem pepigit, ut iisdem verbis refert Carolus Sigonius.

Annis sequentibus Pisani piraticam exercentes plures Genuensium naves ceperunt. Quare anno 1161 Ubertus Spinula oras Sardiniae et Corsicae quinque triremibus perlustravit, atque illa maria tuta navigantibus reddidit, ut refert Augustinus Justinianus.

Anno 1162 mercatores Genuenses Constantinopoli degentes a Pisanis invaduntur, et eorum aliquot interficiuntur. Qua re comperta, Consules Genuensium duodecim triremibus in portum Pisanum invectis, turrim in conspectu civium evertunt, nonnullasque eorum naves incendunt. Eodemque tempore quatuor Genuensium triremes vi tempestatis ad litora Corsicae et Sardiniae compulsae complures Pisanorum naves ceperunt; in quibus triremis fuit, quae Bonacursium unum ex Pisanis consulibus vehebat; qui Genuam missus cum nonnullis aliis Pisanis, qui caedi superfuerunt, carcere inclusus est, cum multi eorum in captis navibus ab Othone Ruffo jugulati fuissent recenti dolore filii Constantinopoli necati ad ejus mortem ulciscendam paternum animum stimulante. Pisanum consulem paullo post dimiserunt Genuenses a maximo Caesaris scriba exorati, quo etiam se interponente uterque populus per nonnullos dies a se mutuo laedendo abstinuit. Nec tamen diu conquieverunt Pisani; triginta sex triremibus ac nonnullis aliis navigiis armatis per caussam ut praesidio essent navibus et negotiatoribus suis ultro citraque commeantibus, a quibus duae onerariae Genuenses captae sunt. Cujus rei nuncio ad triremes Genuenses, quae in portu Lunensi substiterant, perlato, hostilem classem duces confisi navium celeritate invadere non dubitarunt. Sed Pisanis pugnam detrectantibus Genuenses in insulam Planasiam ditionis Pisanae iter avertunt, qua eversa in Corsicam et Sardiniam contendunt, magnaque per circumjecta maria hominum et rerum Pisanorum praeda facta in portum Lunensem se recipiunt. At Genuae captarum navium nuncio accepto classis in Pisanos decreta est, quae dum comparatur et instruitur, magnus Caesaris scriba ejus jussu Genuam ivit, cujus auctoritate apparatu bellico ob utroque populo intermisso, utrique Augustam Taurinorum, ubi tum Imperator constiterat, evocati sunt, qui de jure suo, Caesare ipso disceptatore, dissererent. Ita eiisdem ferme verbis Ubertus Folieta.

Anno 1164 Genuenses qui omnes Sardiniae populos devotos subditosque sibi reddere, et Pisanorum imperium in insula latius patens, quam suum, perimere cupiebant, quatuor marcarum millibus datis, Barisonem judicem Arborensem eorum amicum totius Sardiniae Regem constitui a Friderico Impera-

tore, Pisanis frustra renitentibus, obtinuerunt; regemque ipsum postmodum in custodia quousque pecuniam persolveret, Genuae detinuerunt, ut inferius in Judicum historia copiosius dicemus.

Anno 1165 Pisani violatis induciis, quae fuerant constitutae, navim Genuensium ejectam ad Asinariam insulam compilarunt, atque apud Fridericum id factum excusarunt, quod Genuenses injuste in custodia Barisonem tenerent. Cum autem pax per Conradum sacerdotem Friderici in Portu-Veneris tractata convenire non potuisset, res in apertum bellum evasit; atque in Sardinia, aliisque pluribus in locis certamina, praedationes, caedesque odio inexpiabili promiscue utrinque commissa sunt, ut refert hisce verbis Carolus Sigonius, et alii. Ad hoc Ubertus Folieta scriptum reliquit tres triremes a Genuensibus in Sardiniam missas, e quibus ad locum Turrim appellatum in terram egressi complura aedificia Pisanorum incenderunt, totamque circumjectam regionem direptionibus, ruinis, omnique belli clade pervastarunt.

Hisce diebus Pisani et Turritani viri aberant, qui IV. id. maii cum omni exercitu contra Arborenses urbe egressi, dimicarunt, et apud Otanam de illis victoriam reportarunt, uti in antiquis monumentis inveni.

Anno 1166 Recalatus Genuensium Consul, quum coram Caesare de jure Sardiniae esset inter Genuenses et Pisanos disceptandum, ut ostenderet Genuenses in pacifica possessione medietatis regni Sardiniae esse, tribus triremibus instructis in Sardiniam venit, cui incolae praefecturae Arborensis, et inter hos primarii regionis homines, qui *Liberi* appellabantur, non quod dominatu judicis essent soluti, sed quod ab omni onere et collecta ex judicis privilegio liberi, immunes, et exempli essent, honorifice excepto ad obedientiam et debitam fidelitatem significandum, septingentas libras tributi nomine pependerunt. In officio quoque fuit Caralitanus Judex Petrus, qui consule reverenter salutato, atque hospitio comiter excepto jusjurandum fidelitatis in publico conventu civitati Genuensi, et archiepiscopo palam detulit, decem librarum millibus quadrima die solvi promissis, atque anniversario tributo centum librarum reip. Genuensi, ac librae unius argenti puri archiepiscopo constituto, ut Folieta, Justinianus, et Interianus referunt.

Eodem anno Pisani jus Sardiniae terdecim librarum millibus ab Imperatore Friderico, intercedente Episcopo Moguntino, redemerunt. Quare Genuenses legati, quorum princeps Ubertus Spinula, coram Imperatore de jure Sardiniae cum Pisanis certarunt, asserentes id in fraudem Genuensium fieri non posse, cum jam inde ab insula e manibus christiani nominis hostium erepta, ac Musacto Rege capto, atque ad Caesarem a Genuensibus adducto, satis quidem de eorum Genuensium jure in rebus Sardiniae constaret. Hoc ipsum docere ajebant exempla etiam et testimonia tum ab exteris, quam a Sardis ipsis summi imperii omnibus temporibus Genuensibus data, quae protulit, in quibus duo illa commemorarunt, vectigal scuti pane onusti, ac duorum vasorum piperis plenorum, duorum vini cadorum a regni neapolitani mercatoribus et negotiatoribus, Sardiniam commerciorum causa adeuntibus, vetustissimo ac perpetuo usurpato more offerri Genuensibus; recusantesque a magistratibus Sardiniae cogi; et tributum casei, quantum plaustrum boum trahit, a Sardis ipsis quotannis die resurrectionis festo Genuensibus pensum; quae res certissima essent signa summi ac vetusti Genuensium in Sardinia juris et dominatus. His auditis Imperator causam ex integro cognosci mandavit, et duos antistites, nempe Moguntinum et Rainaldum Archiepiscopum legatos, hunc Genuam, illum Pisas mittit, qui in re praesenti pro communibus amicis ac disceptatoribus res componere studeant.

Anno sequenti **1167** Caesaris legati pacem inter Pisanos et Genuenses conciliare conati pluries sunt, sed frustra: nam uterque populus liberam sibi Sardiniam relinqui petebat, et ad se spectare contendebat. Hinc factum est ut Genuensium consul, mense octobris in Sardiniam profectus, in Judicatu Caralis et Arboreae, veluti dominus, usque ad mensem februarii, steterit, cum magno populorum assensu ut tradunt Folieta, Interianus, Justinianus, et Sigonius.

Anno **1169** Ugo Tornellus in Sardiniam cum duabus triremibus venit ad res populi Genuensis firmandas.

Anno **1171** Bariso Rex Sardiniae cum octo annos Genuae tamquam in custodia fuisset, tandem a quatuor Genuensium triremibus, quibus praefuit Otho Caffarus unus ex consulibus in Sardiniam trajectus est.

Anno 1172 Christianus Archiepiscopus Moguntinus Germaniae cancellarius, Caesaris legatus per totam Italiam, Genuensium et Pisanorum legatos Senas accivit, et ad concordiam eorumdem animos reducere studuit. Licet Genuenses se in illius arbitrio, injurias, a Pisanis illatas, litesque remissuros sponderent; Pisani tamen in pristina pertinacia perstiterunt; atque inde, tamquam communis tranquillitatis hostes, a Caesareo legato proscripti, privilegio regni Sardiniae, ceterisque beneficiis imperiabilibus, spoliati fuere, ut docent Sigonius, Justinianus, Interianus, et Folieta. Multae parvae expeditiones eo anno a Genuensibus factae ad Pisanorum res multifariam carpendas. Ex memorabilioribus una fuit septem triremium, quam Corsus Sigismundus unus ex consulibus induxit in Arnum, circumjectam regionem ferro atque igne late vastans; altera sex triremium, Rubaldo Bisaccia profecto adversus tres Pisanorum triremes, quae nonnullas Genuensium onerarias magni pretii mercibus, onustas ceperunt; quas noctu ad litora Sardiniae nihil tale opinantes adeptas sine ullo certamine Genuam ovantes traxerunt. Ita Folieta.

Anno 1173 Genuenses rebus terrestribus constitutis in maritimas verterunt curas, atque classe octo triremium Lanfrancum Albericum miserunt Sardiniam, qui suas res ibi firmaret, ac Judices in officio et fide erga populum Genuensem contineret.

Annus 1175 Laetus civitati Genuensium fuit, re saepe frustra tentata tandem ad effectum perducta, ac perhonorifica nomini Genuensi pace tandem inter Genuenses, Pisanos, Florentinos, Lucenses, Friderici Caesaris auctoritate, ipsoque disceptatore, Papiae composita, cum legatos eorum populorum ad se in eam urbem vocasset. In conditionibus enim pacis, dimidia Sardiniae pars, quae res utrique populo arma induerat Genuensibus accessit; quam etiam Caesar pro jure summi imperii illis ratam fecit; atque ita finis molesto bello impositus; quod duo hi populi latrociniis magis, quam justi belli more per multos annos exercuerunt, mutuis ac parvis damnis sese continenter carpentes, quum numquam totis viribus signisque conlatis concursum sit, neque universae pugnae fortuna tentata. Ita Folieta.

Anno 1187 Pisani in Sardinia violata pace ac jurejurando, Ge-

nuenses mercatores ex Judicato Caralitano exegerunt, eosque spoliarunt suis rebus. Ne tantam injuriam tantamque perfidiam inultam sinerent Genuenses, magnis terrestribus et pedestribus copiis coactis Pisas petunt. Maritima classis Falcone Castellio Praefecto circumiens non exigua detrimenta Pisanis intulit, ac in Corsica arcem Bonifacii a Pisanis aedificatum expugnavit, ac solo aequavit, ut tradit Folieta, et consentit Sigonius, Interianus, Justinianus.

Hoc anno, qui fatalis fuit nomini Christiano, Christianis principibus in Syria ingenti praeliu a Saladino victis, Gregorius Pontifex hujus nominis VIII. ut Pisanos cum Genuensibus reconciliaret Pisas ire intendit ratus hos populos maximum ad bellum Orientis momentum afferre posse. Verum ubi eo accessit, morbo et ipse intempestive oppressus est: et XVII. kal. januarius obiit. Ita Sigonius.

Anno 1188 Clemens III. qui in apostolica sede Gregorio successerat, exemplo Gregorii Genuenses et Pisanos ad compromissum in se faciendum adduxit, atque auctoritate sua omnem dissidii materiam sustulit, ac protinus legatis ad diversas terrarum partes dimissis rursus Crucem indixit, eodem Sigonio referente ad dictum ann.

Anno 1189 Stephanus Sigismundus, nobilis Pisanus, Carae filius, a quo postea fuit Carafa dictus, Sardiniae partem occupavit, eamque paullo post amisit. Nam a Judicibus, aliisque primoribus Sardis, qui ejus nimis acerbo imperio premebantur armis ex insula fuit deturbatus. Inde Neapolim profectus nobilissimae Carafae familiae originem dedit, ex qua Paulus Papa IV., octo Cardinales, et nonnulli principes, duces, marchiones, comitesque insignes processere, quos refert Petrus Recordati.

Annis 1190-91-92 inter Genuenses et Pisanos nihil memorabile gestum traditur, qui in pace vixisse creduntur. Unde anno 1191 plures insignes Genuensis reip. viros pro ejusdem Reip. componendis in Sardinia rebus, in eam insulam commigrasse, testis est Augustinus Justinianus.

Anno 1193 Wilhelmus marchio Judicatum Caralitanum invasit, et Petrum legitimum judicem abdicare coegit, ut inferius dicemus. Ea res Pisanos inter et Genuenses discordiae et

belli reintegratio fuit. Nam Pisani partes Wilhelmi marchionis contra Genuenses tenebant; et

Anno 1194 eo stimulante odio, Genuenses et Pisani gravi contentione inter utrosque exorta perniciosissime classibus Messanae pugnarunt, quod bellum statim per inducias fuit compositum Marcoaldo in speciem pro communi amico se interponente.

Anno 1195 ad invidiam pacti jurisjurandi violati a publico consilio amovendam, nonnullos cives suos piraticam facientes Pisani submiserunt, qui in colle Bonifacii iterum occupato oppidum condiderunt, et ex eo latronum receptaculo Genuensem ditionem ac circumjecta maria et commercia infesta Genuensibus fecerunt praeter verborum contumelias: quibus injuriis irritati Genuenses non solum laudatum castrum, sed multas etiam naves a Pisanis eripuerunt, ut referunt Sigonius, et Folieta.

Anno 1196 quum Pisani occulte misissent, qui Bonifacii castrum occuparent, Marcellinus Drudus Mediolanensis Genuensium praetor triremes aliquot adversus eos eduxit. Illis autem inde profectis copias ad Caralim exposuit, et cum marchione Wilhelmo, qui caralitanum Judicatum occupaverat, atque ut liberiore uteretur dominatu a Genuensibus ad Pisanos defecerat, bello decertavit, et complura praelia semper Genuensibus secunda fecit, quamvis marchio magnum Sardorum et Cathalanorum numerum coegisset. Tandem quum Genua praevalida copiarum supplementa ad praetorem venissent, marchio quoque Pisanorum subsidiis auctus esset ad universum dimicationem deventum est; in qua Genuensis victor copiis marchionis profligatis oppidum et castrum S. Igiae expugnavit, et spolia multa, et res pretiosas, quae amplissimae in palatio marchionis et oppido reperta fuerunt, Genuam adsportavit, castro magna ex parte exscisso, ut Sigonius, Justinianus, Interianus et Folieta referunt.

Anno 1197 Pisani cognito discessu Genuensium, cum munitissima arx Bonifacii Sardiniae cervicibus imminens quiescere illos non sineret, piratis nationis suae undique corrogatis iterum Bonifacium obsidione cingunt, varioque telorum ac bellicarum machinarum genere magno impetu adoriuntur. Ge-

nuenses re audita, dum ipsi interea se comparant, expeditam navim bellicis apparatibus refertam Montarione Auria praefecto Bonifacianis subsidio mittunt, qui paullo incautius navigans ab hoste exceptus est. Paullo post consecuta est Genuensium classis decem et septem triremium, quam duxit Ansaldus Guaracus. Qui cum Bonifacium incolumis appulisset, ejus adventu perculsi Pisani tabernaculis propere detensis, machinisque quas vexerant praedae relictis, trepido discessu sese in Sardiniam recipiunt; decemque et novem triremibus raptim coactis reversi, Genuensibus non detrectantibus concursum est: isque exitus praelii magno certamine accensi fuit, ut Genuenses tres, Pisani unam tantummodo triremem amiserint. Ex Folieta.

Anno 1199 Genuenses armarunt octo triremes ad tutelam commerciorum, quibus praefuit Ubertus Marocellus, qui ingentem Pisanorum navim onerariam *Buccanigram* dictam in portu Caralitano cepit.

Anno 1203 Genuenses aliam Pisanorum navim *Rosam* dictam in Sardinia adoriuntur, et depilant.

Anno 1207 cum audissent Genuenses Pisanorum classem, quae erat octo triremium ac decem navium in Sardiniam appulsam ad res in insula novandas, e vestigio missus est Nicolaus Auria cum pari corbitarum numero ac totidem triremibus. Re cognita Pisani haud sanum consilium rati cum hostili classe numero superiore fortunam pugnae tentare, sese in Caralitanum portum, quae urbs in ipsorum partibus tum erat, recipiunt, valloque ostium obstruunt. Quae res irritos Auriae conatus fecit, quum modo vallum perrumpere, modo ignem classi injicere tentasset. At Pisani suis, qui erant in Sardinia, timentes septemdecim triremes extemplo laborantibus submittunt.

Idem faciunt Genuenses novo motu Pisanorum cognito, supplemento quatuordecim triremium, quas Falco Castellius unus ex consulibus duxit, misso. Ceterum, quum Pisanorum subsidium celerius, quam Genuensium fuisset, Nicolaus Auria, metuens ne medius circumsisteretur, hoste appropinquante, illico incoepto omisso discessit, quem atrox tempestas adorta classem disjecit; duaeque naves a classe separatae in hostes, qui veniebant, incidentes a Pisanis captae sunt. Ita Folieta, cum quo consentit Justinianus, et Interianus.

Anno 1208 consilia de pace componenda inita sunt abbatibus Tilieti et Gorgonii sese interponentibus. Quae, ut magni moliminis et diuturnioris temporis res, quum subito componi non posset, omne arbitrium et judicium ad venerabiles viros de utriusque populi voluntate rejectum est, induciis interea inter utrumque pactis. Ex Folieta.

Anno 1210 Abbates, quos nominavimus, causis discordiarum et controversiis diligenter cognitis, judicium tandem tulerunt, legatisque utriusque populi Ericem convocatis pacem composuerunt ab utrisque haud retractanter acceptam. Cujus fides apud Pisanos fluxa ac parum stabilis fuit per usitatum piratarum artificium infracta, quorum quinque triremes totidemque corbitae nonnullas Genuensium naves privatae negotiationis caussa navigantes, nihil tale suspicantes, ceperunt. Quapropter Genuenses consules eadem arte hostes ludificandos censentes auctores fuerunt quibusdam naves armandi, qui eadem specie piraticam facientium Pisana commercia ipsi quoque quantis plurimis possent damnis continenter carperent. Interposuit auctoritatem suam in res pacandas Otho Cesar, atque utrumque populum ad biennales inducias adegit, compluribus utriusque populi captivis in custodiam tamquam obsidibus datis. Ex eodem Folieta et aliis.

Hic Imperator nunquam voluit habere ratas donationes Sardiniae et Corsicae Romanis Pontificibus ab Imperatoribus, atque a Pontificibus factas Pisanis ac Genuensibus; propterea plura Ecclesiae loca infesta reddidit. Quare anno 1210 ab Innocentio Papa III. fuit excommunicatus, imperioque privatus. Ejus in locum suffectus est Fridericus II. qui anno 1213 eidem Innocentio Sardiniae et Corsicae donationes confirmavit, teste Zurita L. V. Annalium ad annum M.CCC.III.

Annus 1217 insignis est pace inter Pisanos et Genuenses tandem composita, Honorio Rom. Pontifice auctore; conditionibus pacis in ipsius Pontif. arbitrium rejectis, cujus omnes curae in sacrum bellum versae erant; qui ea de caussa Ugolinum Episcop. Ostien. ad utrumque populum legavit, quo hortante mille utriusque civitatis primores cives in pacem jurarunt, Raymundo a Volta et Nicolao Barbavaro oratoribus Pisas missis ad jusjurandum exigendum, cum ad eamdem rem duo

Pisanorum legati Genuam venissent, Scorza Lupus, et Alexander Suavicus, missique ad Pontificem sunt bini Oratores, quibus Pontifex re plane cognita conditiones praescripsit, pacemque, gravi poena pro jure sacrosanctae potestatis in violatores pronunciata, sancivit; ut ex Folieta, et Justiniano.

Hisce pacis conditionibus Corsicam fuisse ab Honorio Papa III Genuensibus concessam auctor et Petrus Recordati.

Anno 1222 in Syria ingentes turbae inter Pisanos et Genuenses excitatae sunt, acri praelio in urbe Ptolemaide, quam recentiores Acconem appellarunt, inter eos commisso.

Annis sequentibus Gregorius Papa IX. ira et indignatione exarsit contra Fridericum II. Imperatorem, qui, spretis promissis et reverentia sedi apostolicae debita, jus Sardiniae et illius vectigalia sibi usurpare conabatur, Encioque filio suo naturali Sardiniae Rege creato, infestas reddebat pontificias urbes. Quare anno 1240 concilium generale, ut eum ab imperiali throno deponeret, indixit Romae. Sed Fridericus praecipua Pisanorum opera usus, illud impedire curavit, itinera omnia Episcopis terra marique praecludendo, et contra quosdam Cardinales atque antistites ex Gallis accersitos, qui Genuensium classe Romam adnavigabant, Encium Sardiniae Regem misit. Qui apud Meoram scopulum ad portum Pisanum Genuensem classem invasit, eaque subacta, Cardinales et Episcopos cepit, qui Apuliam ab Imperatore missi sunt, atque in carcerem conjecti. Hac injuria commotus Gregorius Papa IX. Encium et Pisanos sacris interdixit, regnumque Sardiniae et privilegia ab apostolica sede jampridem Pisanis impertita abrogavit, ut ex Nauclero, Sabellico, Villanio, et Volaterrano constat.

Pisani tamen in ea insulae possessione, in qua prius erant, perstiterunt, et pro ea bellum cum Genuensibus, aliisque gesserunt.

Anno 1256 Novae inimicitiarum ac bellorum caussae ad vetera dissidia inter Genuenses et Pisanos additae sunt. Quarum origo fuit Chianus marchio et Judex Caralitanus. Is quum ferre non posset Judicis Arborensis opes Pisanorum societate innixas in Sardinia supra suas excellere; ut pari potentia se muniret, Genuensium amicitiam beneficio suo provocatam sibi

adjunxit, Castelli Castri oppido in Judicatus Caralitani finibus illis donato, quod oppidum traditum acceperunt Ogerius Scottus et Johannes Pansanus, ea de causa cum duabus triremibus in Sardiniam missi; quarum praefectus ex familiaribus praetoris erat, cui in consilio additi tres Genuenses cives Peschettus Mallonius, Dietisalvus Dietisalvius, et Petrus Advocatus: quae cum octo Pisanis congressae haud incruento certamine victas eas capiunt, captasque Genuam ducunt. Quibus successibus Genuenses confirmati, ut nullum locum Pisanos urgendi relinquerent, quatuor et viginti triremes de integro deducunt, quas omnibus rebus abunde instructas Simone Guercio et Nicolao Cicada praefectis Pisas mittunt. Quae portum Pisanum ingressae tribus onerariis, ac nonnullis minutioribus navigiis captis, iter in Sardiniam dirigunt. Eo appulsae res tristes offendunt, morte Chiani marchionis ab inimicis suis interfecti. Huic Gulielmus Cepolla avunculus successit, qui societate ac foedere cum Genuensibus renovato, Genuam venit, subitoque morbo correptus, republica Genuensi haerede nominata, decessit. Quae iisdem verbis testatur Folieta.

Anno 1257 Pisani Comitem Ugolinum cum classe in Sardiniam miserunt, qui expositis in terram copiis, oppidum s. Igiae, presidio Genuensium satis munitum, obsedit, et cum Sardis a Mariano Judice Arborensi Pisanorum fautore missis dictum oppidum XI. kal. aug. expugnat, capit, igneque ac ferro foedat, et desolatum relinquit. Cujus accolae in Villaeecclesiarum oppidum confugerunt, quod mox Ugolinus invasit, cepit, et in suam ditionem redactum moenibus cinxit, atque munivit.

Interea Marianus Judex Arborensis cum Castellum Castrum Genuensium copiis munitum vi expugnare non posset, militum corona circumdedit. Quare Genuenses Nicolao Vento et Jacobo Nigro, ambobus ex nobilium corpore sexdecim triremium praefectis adversus Pisanos missis suppetias obsessis ferre studuerunt. Duces autem isti in insequendis septem Pisanorum triremibus tantum temporis insumpsere, ut Genuenses milites qui erant in praesidio oppidi Castri extrema fame victi Judici Arborensi deditionem fecerint. Illae autem triremes Pisanorum in Sardiniam confugientes, praesidium cujusdam turris et Sar-

dorum opera tutae e Genuensium manibus evasere, ut ex Folieta, Justiniano, Interiano, et antiquis monumentis constat.

Genuenses accepto nuncio deditionis supradictae, marchionis avunculo suadente, qui ea de causa protinus Genuam se contulerat, spemque fecerat, si auxiliis Genuensium adjuveretur, sese ex Fano Giliae oppidum et cetera amissa loca recuperaturum, haud gravate delectam alam centum et quinquaginta cataphractorum equitum illi decreverunt, quam Jachino Calderario ducendam dederunt. Hanc Philippus Calderarius classis hujus praefectus creatus, in Sardiniam trajiciens, in itinere navim Pisanum magnam argenti vim vehentem cepit. Genuenses Fanum Giliae introducti occultis consiliis nonnullorum civium oppidi Pisanis tradendi detectis, auctores proditionis comprehensos horribili ignis supplicio necarunt. Ita Folieta.

Anno 1258 Egregium Lucensium amicitia ac fidei erga Genuenses extitit officium duobus millibus marcarum argenti dono missis ad difficultates publicas sublevandas, tot impendiis in res syriacas et sardas factis, totque detrimentis acceptis. Ex Folieta.

Anno 1282 Petrus Aragoniae Rex, Pisanorum, ut inquit Zurita, amicus, ex Africa in Sardiniam cum mugna classe venit, et in ea nuncios defectionis Siculorum expectavit. Ibi Joannis Prochytae impulsu conjuratum est in Gallos, omnibus hujus nominis per armatos insulanos trucidatis. Quae vis erupit vesperarum hora, et ad campani aeris sonitum datum signum discurrentibus ad caedem, unde adagium illud *Siculae vesperae* ad subitam caedem in multos editam significandam. Acceptis nunciis rex Aragonius non multum in Sardinia desedit; nam a Siculis accersebatur, Panormumque applicuit incolumi classe, et ex tota insula magno hominum numero ad eum confluente, eorum magno favore Rex salutatur. Ita Sabellicus, Platina, et Aeneas Sylvius.

Eodem anno Pisani contra Genuenses longe alias res agentes Corsorum animos tentarunt gentis ingenio inquietae ac novandarum rerum perpetuo cupidae, omnique levi aura spei ad defectionem paratae. Facile igitur fuit Judicem a Ginerca virum magnae in ea insula potentiae, magnarumque clientelarum, ac compluriumi oppidorum dominatu fultum, ingentibus

promissis oneratum, ac spe majorum opum latiusque proferendi dominatum inductum, ad deficiendum a veteribus dominis impellere. Hoc viro in suas partes traducto, cujus auctoritatem reliquam Corsicam sequuturam sperarent, Pisani non jam cunctandum rati bellum orsi sunt, idque a parvis initiis. Nam triremem Gulielmi a Mari Genuensis captam in Bajanis litoribus a duobus Pisanorum navigiis Pisas cum praefecto duxerunt. Eodemque tempore Judex a Ginerca defecit, compluribusque corrogatis atque armatis hominibus Genuenses Bonifacii incolas vexare cepit, in quorum finibus arcem communivit latronum receptaculum, ex qua incursionibus ac latrociniis totam circumjectam regionem infestam fecit.

Monitus fuit Ginercae Judex a Genuensibus, ut injuriis finem faceret, a defectione desisteret, et de illatis damnis satisfaceret. Qumque nollet adquiescere, Genuae confestim quatuor triremes armatae sunt, quae ducentos equites, ac quingentos pedites, quorum treceuti hastati erant, ducenti scorpionibus armati, veherent, quibus tam navalibus, quam terrestribus copiis praefecti sunt Franciscus Camilla, et Nicolaus Petratius. Qui in terram egressi, Bonifacianis sibi adjunctis, primo adventu munimentum a Ginercio excitatum expugnant, ipsumque congredi ausum fundunt ac fugant. Ille Aleriam se recipit, inde Pisas confert, atque in Pisanorum fidem et ditionem tradit, in illorumque imperia jurat, Palmerio Mignardo J. C. ea de causa a Genuensibus Pisas misso nequidquam reclamante, Deum atque homines testante jus aperte violari in Ginercio veteri Genuensium imperio subjuncto. Cujus oratione Pisani spreta, in fidem Ginercium acceptum pedestribus et equestribus copiis armant, cum interea Camilla et Petratius in Corsica Tallam, Istriam Ornanum, Roccam vallis, Contendulum castella expugnassent, totamque Ginercii ditionem octo et triginta dierum spatio in potestatem redegissent. Post quae copiae in Corsicam missae peracto stipendio, locisque captis praesidio firmatis, domum reversae sunt. Quare fuit facile Ginercio in Corsicam reverso cum centum ac viginti equitibus ac ducentis peditibus a Pisanis acceptis, atque ab illorum navibus vectis, loca a Genuensibus paullo ante capta recuperare. Pisani neminem sibi obstaturum rati remigio et copiis

a Genuensibus dimissis, cum viginti duabus triremibus, quarum praefectus fuit Ginicellus Sigismundus cursu propero Portum-Veneris contendunt, exscensioneque facta insulam vastant cum ne sacrae quidem aedi parcerent, ex qua tintinnabulum abstulerunt. Hoc fuit initium belli quod atrocissimum fuit omnium, quae inter hos duos populos praepotentes gesta sunt. Haec ex Folieta.

Genuenses majore mole et majore, quam in reliquis, consilio sibi hoc bellum capessendum statuentes, magistratum quindecimviralem creant, cui a consilio civitatis et a capitaneis amplissima omnium rerum potestas mandata est. Atque ut omnia rite fierent Matthaeus Canis cum triremi in Corsicam et Sardiniam mittitur, qui bellum cum Pisanis commissum tota utraque insula pronunciet. Ita ex Folieta.

Anni 1283 initio, Genuenses ut par Pisanis referrent, Sardorumque arma in illos verterent, compluribus ejus insulae primoribus spe praemiorum, et veteris imperii taedio in suas partes traductis, classem unius et viginti triremium bellatoribus refertam, in quibus fuit Emmanuel Malaspina ab ipsis in gratiam acceptus atque honorifico stipendio conductus, quem cum quinquaginta equitibus e ditione sua adductis in Sardiniam miserunt sub Petro Arcanto, et Caccianimo a Volta praefectis ad res in ea insula seditionibus et tumultibus miscendas. Quae classis maxima detrimenta Sardis, qui in partibus Pisanorum erant, terra et mari intulit.

Ex altera parte Pisani non minus impigre bellum gerentes per eadem tempora classem sexdecim triremium, Roscio Buzacharino praefecto, in Corsicam mittunt; quae exscensione in terram facta, copiis Ginercii sibi adjunctis circumjectam regionem *Sanctae Mansae* vocatam haud exiguis cladibus vastarunt. Sed longe pluris Genuae aestimata est decoris jactura, cum Idesius Mallonius et Montanarus Squarciaficus novem triremium praefecti adversus totidem Pisanas missi, quae delectam bellatorum manum in Corsicam adversus Genuenses vexerant, mandatis non observatis ac re male gesta, ignominiae pleni Genuam revertissent. Quare Genuenses damnorum et ignominiae dolore incensi e vestigio classem quatuor et triginta triremium, quarum sex tantummodo stipendio merebant,

Buonacorso Buzzacharini navigando con 25. galere in Corsica e trovandovi un'armata di Genovesi l'affrontò fugò guadagnò tre galere e restò vittorioso senza opposizione. Ron.

Ma i genovesi non tardarono a rendergli il contraccambio perchè con armata di 35. gal. guidata da Tomm. Spinola saccheggiarono l'isola di Pianosa, e avendo ottenuto il castello per accordo non serbarono ~~loro~~ fede nessuna a' terrazzani e menarono con loro gran numero di prigionieri, e navigarono alla Sardegna, presero 5. navi cariche di grano ed altra robba. Ma avendo l'ammiraglio Spinola certo avviso che i Pisani venivano a lui con 54 gal. tornossene presto in Genova e consegnò più di 1000 prigionieri.

reliquae voluntariae fuerunt, omnibus rebus necessariis instructam, atque haud exigua armatorum manu aetate et viribus florente firmatam e portu emittunt, praefecto Thoma Spinula, qui quum celeri navigatione Planasiam ditionis Pisanae insulam tenuisset: primo adventu suburbia occupat, turrimque demolitur, ac centum quinquaginta mortales capit. Quibus rebus confectis cum Sardiniam petere decrevisset, ut expeditius navigaret captivos, ac saucios Genuenses cum tredecim triremibus Genuam remittit. Qua re cognita Pisani continuo ipsi quoque praevalidam classem quatuor et quinquaginta triremium omnibus rebus instructam, Andreotto Saraceno praefecto, adversus Genuenses mittunt; quae classe Genuensi ad Planasiam non inventa in Sardiniam cursum dirigit, Genuensique classi nusquam obvia facta, ne frustra omnino in ea loca venisse videretur, cum insulam tenuisset, copiis in terram expositis Algarium castellum privati dominatus gentis Auriae aggreditur; quod aliquot dierum obsidione in deditionem accipiunt certis pactis, quorum fides observata non est. Interea Spinula agmen Pisanarum triremium atque navium onerariarum opulentis mercibus plenarum non incruenta victoria cepit, unde Genua habuit praeter captivos viginti octo millia marcarum argenti; ex quibus decem millia inchoatae portus aedificationi decreta sunt. Ceterum ne Pisanorum animi inflarentur, quod, Genuensibus opem ferre non audentibus, oppidum Algarium expugnassent, Genuenses totidem, quot Pisani, triremes armant, quibus praefectus est Conradus Auria Uberti filius, qui nuncio accepto classem Pisanorum e Sardinia reversam in portum, qui vulgo Felesi dicitur, ad Plumbinum se recepisse, eo contendit, et portu ingentibus molibus obstructo, obsedit. In qua obsidione quatuor cepit naves ex quindecim, quae in clade paucis ante diebus a Spinula accepta fuga se in portum Caralitanum subtraxerant, reliquis undecim in terram ejectis non sine magna jactura. Ita ex Folieta consentientibus Justiniano et Interiano.

Eodem anno Petrus Remenatus Sassaritanus Genuensium amicus a Sassarensibus Pisanorum studiosis, urbe propria eliminatus fuit. Quare Genuenses illum in patriam restituere cupientes, multis triremibus et copiis in Sardiniam transmiserunt,

Andreotto va con 52. gal. con il comando di ricuperare Sassari e l'Alghiera, che si erano ribellate alla Rep. Pervenne egli in Sassari, attese alla sua ristaurazione e fortificazione e lasciatovi un grosso presidio volse a Sardegna, assediò l'Alghiera dalla parte di mare, mentre Mariano di Capraia l'assediava da terra. Gli assediati non soccorsi si arresero e fecero il simile i Sassaresi, e castigati i capi della ribellione lasciò in Sardegna Bastiano Badia per supremo capitano con 10 galere e se ne venne a Piombino. Roncioni.

Corrado Doria amm. di Genova con più di 60 galee si mosse da Portopisano e andato presso Piombino, tentò danneggiare le galere pis., ma non potè queste essendosi ritirate sotto la rocca di Piombino. In questo venne con prospero vento il capit. Badia per unirsi all'armata del Saraceno, e coraggioso passò fra' genovesi, affondò nel primo impeto due galee genovesi, ma egli ne perdette quattro.

Corrado essendo dallo tempo costretto a salvarsi in Portovenere, Andreotto con 50 galee tornossene a Portopisano. Ronc.

In quest'anno Bindo Bassani, famosissimo corsale uscì da Pisa con due galere, e Genova gli mandò contro Filippo Cavaronco con 5. galere. Ronc. Così queste due Rep. si andavan consumando. Ronc.

I Pisani nel mese di Sett. posero in mare 64. galee facendone ammiraglio Buonaccorso Gazzarini, il quale danneggiò la riviera di levante e Porto Venere; alcuni pisani operando contro l'ordine del capitano patirono danno; ma non è vero che i Pisani fuggissero. Ronc.

- Giovanni Scornigiani di Pisa armò a sue spese due galee per corseggiare. Ronc.

I Pisani avendo saputo certi tumulti nati in Sardegna disegnarono mandarvi loro vicario il Conte Bonifacio della Gherardesca, gli diedero 30 galere comandate da Guido Zacci gran cittadino di Pisa. Perciò i genovesi mandarono a impedirlo Guido Adorno con 35 galee, e lo raggiunse la squadra. La pugna fu delle più accanite; i genovesi vi perdettero gal. 13, i pisani 15, il C. Bonifacio fu prigioniero come dice il Villani. Rone.

I Pisani diedero cento galere a Buonaccorso Burzacarini, il quale saccheggiò il castello di Porto Venere poscia entrò nel porto di Genova e insultò la città avventando con le balistre nella città molte freccie con la ghiera d'argento e pintate coperte di Scarlatto

quae Sassarensium agros cladibus complevere, ut referunt Justinianus et Interianus.

Anno 1284 Pisani quatuor et triginta triremibus deductis, quarum praefectus fuit Johannes Cavalca, Corsicam petunt, arceque Calvi irrito incoepto tentata discedunt, certioresque facti classem, quae a portu Genuensi exierat, praefecto Henrico a Mari, decem navibus dimissis ad quatuor et viginti redactam, instituunt quaerere, atque ad insulam Sardiniae adepti sunt. Enimvero Genuenses hostem in se venientem conspicati, navi Veneta Pisanorum mercibus onusta, quam ad Talariam insulam ceperant, incensa ne impedimento pugnantibus esset, certamen non detrectantes ad pugnam se expediunt, classesque proximae factae magno impetu, ingentibusque utrinque animis sese mutuo invadunt: pugnatum est diu et acriter. Tandem sub vesperum Pisani aversi sunt novem navibus amissis, quarum una a Genuensibus victoribus demersa, reliquae octo captae sunt. Ut ex Folieta consentientibus Justiniano et Interiano.

Essendo tornato il Burzacarini e disarmatosi le cento galee si ebbe nuova che i genovesi mandavano 3 galee in Romania, per il che la Rep. consegnò a Giovanni Cavalca 34 galee, il quale non le trovando, perchè erano oltrepassate, andò in Corsica e assediò Calvi. Rone.

I genovesi raccontano la contesa di 34 gal. pis. contro 32 genovesi, e la perdita di 11 gal. pis. nella battaglia: gli annalisti pis. dicono che fosse mandato il Cavalca con 14 galee in Sardegna, e che con tutte tornasse in Pisa. Il racconto de' Genovesi par meno autorevole. Rone.

Eodem anno Genuenses triginta triremes sine stipendio militantes raptim deductas, et armatas, Benedicto Zacaria praefecto in hostes emittunt, qui in Sardiniam cursum dirigit eo consilio, ut copiis, quas Genuenses in ea insula habebant, sibi adjunctis, omni ope urbem Turritanam, quam Sassarim nunc vocamus, oppugnaret. Cathalanorum navi in sinu Caralitano capta in Tizanem portum insulae Corsicae se recepit, ibique quae ad destinatam oppugnationem pertinerent sedulo instruere coepit.

At Pisani rati Genuam, ex se tanta parte virium a classe abstracta, defensoribus exinanitam offensuros, ac propterea si eo omnibus civitatis suae integris viribus accessissent occasionem magnae alicujus rei haud desperandam, omnibus viribus connisi classem ingentem septuaginta duarum triremium parant; quam omni bellico apparatu ac nautico armamento instructam omnique telorum et machinarum genere refertam, omni etiam opulentia insignium armorum ac vestium ornarunt, magna vi argentearum sagittarum ac globorum purpurea fascia velatorum in naves imposita. Classem conscenderunt Maurocenus ipse praetor, Lottus Gherardescus Ugolini filius, omnisque fere

I genov. volendo vendicarsi armarono galee 130 facendone capitano Roberto Doria, sempre felice contro i Pisani. Ciò saputosi in Pisa deliberossi in Senato; i più vecchi senat. volean la pace alla quale inclinavano i nemici, altri la guerra e tra questi Ugolino Gherardesca e Gualtiero Lanfranchi; i più prudenti che si tenesse l'armata dentro il Porto pisano, il quale serrato da catene e difeso da torri non potea ricevere offesa nè danno notabile, e così i nemici sarebbero costretti a disarmare. Prevalse il parere di Ugolino, e subito con le galere armate si ebbero galere 80, e Ugolino fu nominato generale, senza diffidare di lui stato già scacciato da Pisa e privato delle sue parti del Giudic. di Cagliari, e però pieno d'odio. Egli prese suo luogotenente il Saracino, ed ebbe seco la maggior parte della nobiltà di Pisa. Essendosi saputo che i nemici da' mari di Piombino venivano con galee 142 chiamò i capi tutti a consiglio e convennero tutti nel parere del saggio Iacopo Villani, che l'armata non si partisse dal Porto pisano ma essendosi dalla torre annunziata la flotta nemica Ugolino comandò

all'armi e proibì che alcuno parlasse di fermarsi, e vogando verso la Meloria diede il segno della battaglia. Nel primo impeto alcune galere da una parte e dall'altra affondarono. Ma rinforzandosi la guerra e il Doria entrando con gran fracasso ne' luoghi dove più strettamente si combatteva, messe sossopra ogni cosa e scompigliò l'ordine dato; non di meno francamente si difendevano i Pisani finchè non fu presa la galera, dov'era il podestà di Pisa Morosini. Allora il Conte ch'era dalla battaglia con tre galere e senza aver combattuto se ne venne alla sua città, (Egli antichi storici ...

nobilitatis ac juventutis flos, et quidquid roboris in finibus Pisanis repertum est, tamquam dimicatione ultima de summa rep. decretari. Cognito apparatu Genuenses Zacariam revocant. Qui mandato accepto consilium Sassaris petendae omittere in praesenti coactus, itineri confestim se dat, ac Genuam pervenit, postquam Pisani, qui scorpionibus et aliis machinis allatis sagittas et globos quos diximus contorserant, et probra multa ingesserant arrogantibus clamoribus, abierant. Res mira ab annalibus traditur ab hora tertia ad vesperum novam classem octo et quinquaginta triremium deductam. Tantam classem Ubertus Auria, alter ex Capitaneis ducendam sumpsit, Zacarianis navibus cum ipso duce sibi adjunctis. Praefectus hostilem classem perquiribundus modo ad dexteram, modo ad laevam flectens Corsicam tenuit. Ibi certior factus Pisanos in sua se recepisse, nihil cunctatus in illos intendit, et secunda navigatione usus Meloriam tenuit, quae insula est e regione Portus-Pisani M. P. III. procul a litore. Pisani recenti gloria Portus Genuensis, quem insederant, inflati, arma repente arripuerunt, et e faucibus Arni erumpentes aciem instruunt, atque propinquum hostem, qui se in ipsos concitabat, invaserunt. Magnis inde, et veteri odio ardentibus animis utrinque concurritur, atque missilibus prius, mox gladiis et hastis conserte pugnatur. Incerta diu stetit victoria, quousque praetoria Pisana a praetoria Genuensi capta, vexilloque, quod altera navis gestabat, dejecto, Pisanae naves quacumque facultas data est, effusam fugam capiunt, perpaucaeque pestem vitarunt portu se includentes. Maxima pars depressa est, viginti octo a Genuensibus captae. Desiderata fuisse sexdecim Pisanorum millia, partim captos, partim caesos, paullo plus, Villanius tradit. Qua tanta clade factum, ut Pisani in posterum nunquam amplius caput ad pristinam fortunam erigere potuerint, ut ex Folieta, Sabellico, Volaterrano, Corio constat.

Anno 1287 Pisani et Genuenses jam bello diuturno fessi, de pace agere coeperunt, quae anno seq. 1288 tandem ad effectum XVI. kal. maii, perducta est, in haec utroque populo consentiente, 1.° Ut Pisani intra certum tempus Castellum Castri, et quaedam alia Sardiniae oppida, Genuensibus restituerent. 2.° Ut Corsicam relinquerent. 3.° Ut Genuenses bello captos Pisanos restituerent.

Taluni di questa fuga e pace s'incolpa... Furono in questa rotta prese da' Genovesi 28 galere, 21 affondate. De' morti il numero è vario secondo gli storici; alcuni portandoli a 1600, altri a 5000. I prigioni con di questa battaglia con i presi avanti ascendevano secondo i Genovesi a 9272. Successe questa rotta addì 6 Agosto nel giorno di S. Sisto nel quale più volte i Pisani aveano trionfato de' Genovesi e di altri loro nemici, presso lo scoglio dist. da Livorno 3 miglia presso il quale i Pisani aveano rotto la flotta genovese ove presero tre cardinali legati con gli altri gran prelati di S. Chiesa che andavano al Conc. di Laterano.

I Genovesi pensando all'ultimo esterminio di Pisa e vedendo a ciò necessaria la cooperazione di Firenze e Lucca, mandarono i loro ambasciatori, e in Rapallo castello de' Genovesi fu stabilita tregua tra esse città per 25 anni, obbligandosi Genova a continuarla la guerra con 50 navi grosse, i Lucchesi e Fiorentini farla per terra e cercar l'aiuto delle altre città: quest'accordo fu poi ratificato in Firenze addì 13 Ottobre. — Non passò molto tempo e i Fiorentini con vari alleati e i Lucchesi mossero una importantissima guerra a' Pisani; mentre i Genovesi facevano altrettanto con 60 galere comandate da Oberto Spinola.

In questo il Conte Ugolino col grado e seguito che avea essendosi fatto tiranno della patria cacciò molti ghibellini e quei principali, cui non piaceva il suo reggimento,

Il Senato concesse a Ugolino di trattar la pace co' fiorentini a quelle condizioni che gli paressero più utili e onesto, il che egli desiderava per stabilire la sua tirannide. Egli dunque fece la pace a modo de' fiorentini concedendo loro cinque castelli fortissimi; e fece pace co' Lucchesi dando loro Viareggio castello posto sulla riva del mare e così assicurossi dalle parte di terra per fondar la sua tirannide. E tanto fu il suo desiderio di regnare che potendo far pace con la rep. di Genova e rimandare i prigioni nol volle fare per tema che ~~ritornando~~ costoro non gli togliessero lo Stato.

Hisce legibus pax convenit, Ugolino Comite, et Gallurae Judice, qui tum in summo magistratu locati rerum potiebantur, aegre rem ferentibus. Verebantur enim ne, civitate tantae multitudinis reditu corroborata, ipsorum potentia et dominatus infringeretur, cujus impotenter exerciti taedium et odium jam cives capere coeperat. Comes itaque et Judex, ut rem disturbarent, cum Pisanis piratis, qui tum erant in Sardinia, occulte egerunt, ut res Genuenses vexarent; quod illi impigre exsequi instituerunt circumjecto mari excurrentes, ac praedas navium et rerum Genuensium agentes. Turbavit ea res animos Genuensium, missusque est ea de causa Pisas Nicolaus Petratius fidem pacis violatam conquestum, damnumque refici petitum. ~~Praetores~~ Senatores Pisarum culpam a consilio publico avertere, et rem comibus verbis extraxere. aaa Ceterum eadem res longe acriora odia Pisanorum in Ugolinum accendit. Conspiratione igitur principum adversae factionis, cujus auctor et caput fuit Rugerius Ubaldinus Archiepiscopus Pisanus, captus est Ugolinus. Qua in re Pisani immanis et execrandae saevitiae facinus ediderunt, parvulis ejus filiis cum patre in turri inclusis absque alimentis. Ita ex Folieta, cui consentiunt Villanus, Justinianus, Platina, et Sabellicus.

Anno 1289 Luchettus Auria cum classe quatuor triremium myoparonis, septem taridarum, ac nonnullorum minutiorum navigiorum cum pedestribus et equestribus copiis missus est ad recuperanda loca a Judice Ginercae per tempus belli, cum Pisanis gesti illis auctoribus, occupata. Pacta pecunia ea de caussa a Pisanis exacta; cedenteque Judice cum nonnihil initio restitisset, nonnullisque locis, que retinere non poterat ab illo incensis, Luchettus loca amissa deinde recuperavit, quae fuerunt arx Lulmetum, Roccavallis, Ginerca, Istria, quam fiduciariam jussu publico Nicolino Petratio dedit, exercituque paullum refecto Aleriam contendit; in quam urbem inductus est a familia Cortingoram, cujus princeps erat Episcopus ipse Aleriensis, quae gens in fide erga populum Genuensem perpetuo manserat. Deinde Petram-latam petiit, ubi Uguccius gener Judicis oppugnationem expectavit, nec haud diu sustinuit. Postea Luchettus arma circumferens dominos Bagnacae, Marchionem Viridis, Joannellum Loretum Episcopum Marianen-

E quantunque facesse tante debolezze Pisa avrebbe avuto danno notabile da' Genovesi e Lucchesi che non eran contenti del solo Viareggio se i Sanesi chiamati [illegible] non fossero soccorsi i Pisani di molta fanteria e cavalli. Nel 1288 i pisani tornarono a molestare i genovesi e i lucchesi mandarono a [illegible] molti capitani. In questo si trattò la pace [illegible] genovesi e i prigionieri pisani, non già in quel modo che dicevano i genovesi, perciocchè i prig. a Pisa si è trattato più volte in Senato senza saputa di Ugolino. Quindi mandato a Genova Ranieri Sampanti a firmare i capitoli della pace l'anno 1288, la quale come narra il Giustiniano, si fece con queste condizioni: che dentro un anno i pis. avessero consegnato a' genovesi il castello di Castro in Sard. e pagassero lire 34.m. della loro moneta; e che non desseno al Giudice di Ginerca [illegible] alcun ausilio, ed essendosi fatte queste e altre capitol. a' 15 aprile si bandì la pace. Ma l'articolo sul castello Castro non vi si stese; perchè i prigionieri stessi scrissero a Pisa che se desseno quel castello non ratificherebbero tal pace.

Fu questa pace molto molesta al C. Ugolino e ad Ugolino Visconti di Gallura, il quale era stato preso per compagno dal Conte, acciocchè non gli avesse a macchinar contro, essendo egli gran cittadino e favorito dalla parte guelfa.

aaa [Fra queste cose il C. Ugolino col favor di Rugieri arciv. di Pisa scacciò dalla città alcuni principali della stessa parte guelfa e fra gli altri Ugolino di Gallura, e gli Upezzinghi ma non si [illegible]] Allora si rinnovò la guerra de guelfi e ghibellini; perchè Ugolino al quale si unirono tutti i fuorusciti aiutato da' Lucchesi e Fiorentini e da altre bande si volse furioso contro la sua patria

Essendosi poi rappaciati il Conte e il Giudice proffero da se stessi l'ufficio di podestà e di capitano del popolo per 10. anni. Nata discordia tra l'Arcivesc. e i Calcesani per conto della loro pieve, e il Visconti favorendo i Calcesani fu causa che l'Arciv. perdesse il castello di Calci. Per il che l'Arcivescovo che avea forti aderenti cacciò il Giudice di Gallura con tutti i Visconti l'ultimo di Giugno, mentre il Conte trovavasi lungi dalla città a Settimo. Allora l'arcivesc. che odiava il Conte che avea ucciso suo nipote e per vendicarsi si era fatto capo di parte ghibellina rinforzatasi [illegible] tirannia. Essendo rientrato il Conte trovò la città mal [illegible] disposta e invito [illegible] intervenire al Senato per affari di ben comune. L'Arcivesc. vi intervenne con molta gente, e gli disse che i [illegible] non più voleano soffrire la sua tirannia, e pertanto voleano deponesse il comando; al che consentirono i Senatori. Il Conte pensò subito a fortificarsi nel palazzo del popolo; ma dopo resistenza fu forzato di arrendersi. Il Conte fu messo in prigione e dopo venti giorni condannato a morirsi di fame in compagnia de' suoi figli e nipoti. I figli erano C. Ugolino, C. Gaddo e Uguccione. I nipoti Nino detto Brigata fig. del C. Guelfo, Anselmuccio f. del C. Lotto, imprigionati nella torre de' Gualandi da sette vie.

sem, qui omnes contra remp. arma tulerant, in antiquam ditionem et obedientiam redegit. Quibus rebus confectis, insulaque pacata, Luchettus se Bonifacium subduxit, ibique exercitum dimisit. Qua re cognita Judex novis motibus excitatis, omni ope contendit se in gratiam restitui. Repudiatus est; cum hominis postulata minus aequa visa fuissent. Ex Folieta.

Interea in Sardinia Genuenses Castellum Castri, et alia oppida a Pisanis promissa ex conditione pacis, hucusque habere nequiverant, et aequissima Pisanorum postulata reique publicae utilia et perhonorifica repudiarunt, cum de illis ingens in consilio fuisset certamen. Petierant enim Pisani, ut dies arcis Caralitanae, qui appetebat, ex conditionibus pacis tradendae in annum prorogaretur; cavebantque reip. traditione nonnullarum arcium in ipsa insula Sardiniae, ac turris Portuspisani, arcis Gorgonae, ac quinquaginta obsidum; ad hoc reliquam pecuniam debitam numerabant. Postulabant hoc Pisani, quia dux arcis Caralitanae illam Genuensibus die praescripto tradere non poterat. Impediebatur enim a Pisanis, qui in Sardinia Gherardeschis favebant. Guelfus enim Litiae comes Ugolini filius, audita patris ac fratrum nece, a rep. deficiens munivit oppida Villae ecclesiarum ac etiam Domus-novae cum castris Baratuli, Gioiosaeguardiae, et Aquaefridae, et proximis suburbiis. Interea Comes Lottus, alius miseri Ugolini filius, conductis ex Italia militibus fratri auxiliarius, ac paternae injuriae ultor sua jura armis tuebatur.

Hisce incommodis ut mederetur, Comes Nero a Pisanis in Sardiniam missus fuit, qui cum Mariano Judice Arborensi, Pisanorum fautore, armis conjunctis obsidet in primis oppidum Domus-novae, cujus arx statim capta fuit a Lupo Lambertino, et centum sagittariis Caralitanis tradita, qui eam tenerent. Sed iis ad unum mox trucidatis, Domus-noviani cum ceteris quotidie velitantes animis crevere praesertim in subsidium adveniente ex Villa ecclesiarum Comite Guelfo, cum multis copiis. Ei vero obviam facti Judex Marianus et Comes Nero ad praelium adigunt, fortiterque pugnantes superant, fundunt, et capiunt. Quod ubi Lottus novit, deditione Villae ecclesiarum, et aliorum locorum fratrem praestantissimae pietatis exemplo redemit; quem postea apud Septem-fontes gra-

vi febri correptum amisit. Nec diu ipse Lottus tot adversis superstes fuit. Quare Judex Marianus, et Pisani oppida Villae ecclesiarum et Domus-novae moeniis nudant, et exercitum dimittunt, firmatis antea praesidio castellis, et oppidulis, ut referunt antiquus codex MS, et Hispani auctores.

Anno 1290 quum Pisani promissa non facerent, neque arcem Caralitanam ex pacis conditionibus traderent novo bello a Genuensibus petiti sunt.

Anno 1297 Ninus Gallurae Judex Ugolini saepius memorati nepos a Pisanis exulare coactus in Sardiniam cum exercitu venit, et foedere inito cum Sassarensibus, cum Marchione Malaspina, et Branca de Auria, bellum parat in Judicem Arborensem, et citra pontem fluminis Thyrsi non procul ab Oristagno castrametatus hostilibus incursionibus omnia incendiis et rapinis vastat. Deinde solus oppidum Marae Arbarei invadens, capit et vicina loca populatur; praedaque onustus in Galluram metu praevalidioris inimici jam adventantis regreditur, iisdem auctoribus referentibus.

Anno 1299 quo Genuenses a bello Veneto, inita pace, quievere, veriti Pisani ne illi molesto negotio liberati arma in ipsos verterent, ob non servatas pacis conditiones, cum impares se sentirent, compulsi sunt inducias a Genuensibus in viginti septem annos redimere, urbe Sassaris Genuensibus, et omnibus, quae in Corsica tenebant, relictis; ad hoc centum triginta quinque millibus librarum Genuensium pro impensis in bellum factis, persolutis, ut ex Folieta, Justiniano, et Villanio constat.

Ceterum Sassaris urbem nonnisi pactis, et concessis prius quibusdam privilegiis, datisque immunitatibus, habere potuerunt Genuenses, novaque statuta condita fuerunt, quibus inter cetera sancitum fuit, ne ullus Pisanus in urbem admitteretur, nullumque subsidium Terranovanis daretur: urbem autem ipsam Potestas moenibus et fossa circumcingere teneretur, ut ex ipsius civitatis Sassaritanae monumentis in archivio conditis constat.

Anno 1293 In Genua armatae fuerunt galeae tres, galeoni duo et una [illegible] ad tres menses, quibus praefuit Johannes Merellus, qui recessit die 24. Aug. Qui quum in Sardiniam pervenisset apud Caput terrae descenderunt in terram et illas turres combusserunt. Insuper Caralim descendentes granum ibidem collectum pro onerando in navibus igne imposito similiter cremarunt, ut constat ex Codice MS. Custodi in continuatione ~~[illegible]~~ Jacobi de Auria quae chronica fuerunt approbata a primoribus Genuae anno 1294. die 16. Julii.

His temporibus, quibus Genuenses de jure Sardiniae et Corsicae cum Pisanis certarunt, lis orta fuit de jure episcoporum inaugurandorum. Nam anno 1119 uterque populus Corsicae Episcopos apud se consecrari volebant, Sigonio, Folietá, et Interiano referentibus. Quare anno 1120 Callistus II. e Pannonia Romam iter agens eos voluit Pisis componere; nec modum inveniens rem in aliud tempus distulit; et Pisanis, a quibus receptus liberali hospitio fuerat, donationem Sardiniae amplissimis tabulis confirmavit, et, ut inquit Volaterranus, insulam illam de novo concessit. Anno deinde 1123 idem Callistus quum concilium universae Ecclesiae Romae haberet (quod est Lateranense I.) oratoribus utriusque populi, ac Corsorum in urbem evocatis, caussa cognita, judicium de inauguratione Episcoporum de concilii assensu tulit; quo abrogatis omnibus iis, quae secundum Pisanos antea decreverat, jus omne Episcoporum inaugurandorum utrinque populo abjudicatum ad Pontifices Romanos in posterum revocavit. Quod Pisani aegre ferentes, ne commeatu quidem petito, indignabundi ac frementes Roma excesserunt, et bellum contra Genuenses instaurarunt anno sequenti, ut ex Folieta, Interiano, et Sigonio constat.

Anno 1132 Innocentius II. finem hujus discordiae imponere voluit; et ut inter Pisanos ac Genuenses firmior atque perpetua pax esset, in primis Episcopum Genuensem ab obedientia Archiepiscopi Mediolanen. exemit, et Archiepiscopi titulo decoravit, eique dimidiam Episcoporum Corsicae partem subjecit; qua dignitate primus usus est Syrus: postea Pisanam Ecclesiam fecit metropolitanam, et alteram partem Episcoporum Corsicae, ac etiam Populonien. in Italia, et Civitaten. et Galtellinen. in Sardinia Episcopos illi subposuit, ut ex Sigonio, Sabellico, Æenea Sylvio, Blondo, Villanio, Zurita, et epistola Innocentii Papae III. constat.

Anno 1155 Hadrianus IV. amplissimo chirographo ea omnia firmavit, et Pisano Archiepiscopo primatum Turritanae provinciae concessit. Idque postea auctoritate apostolica infrascri-

pti Pontifices adprobarunt, nempe ann. 1160 Alexander III. anno 1188 Clemens III. anno 1192 Celestinus III. anno 1199 Innocentius III.

Hic Innocentius primatum Ecclesiae Caralitanen. et Arboren. Ubaldo Lanfranco Archiepiscopo Pisano, ejusque successoribus concessit.

Legationem quoque Sardiniae, qua prius usus fuit anno 1074 Papilionen. Episcopus, concessit eidem Praesuli Pisano, anno circiter 1099. Urbanus II, eamque infrascripti Pontifices confirmarunt, nempe ann. 1132 Innocentius II; ann. 1145 Eugenius III; ann. 1253 Anastasius IV; ann. 1191 Caelestinus III; ann. 1198 Innocentius III, qui Ubaldo Pisano Archiepiscopo in hunc modum scripsit.

INNOCENTIUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei

Venerabili fratri Ubaldo Pisano Archiep. ejusque successoribus canonice substituendis in perpetuum.

« Si sua cuique jura illibata servamus, et eos, qui in Ec-
« clesia Dei pro injuncto sibi officio et devotione sincera plus
« aliis elaborant, digna retributionis vicissitudine diligentius ac
« specialius honoramus, quod nostrum est juxta commune de-
« bitum sicut debemus exequimur, et Apostolicae Sedis ho-
« norem integre custodimus. Proinde quum fel. mem. Prae-
« decessor Noster Innocentius Papa de discordia et guerra,
« quae inter Pisanam, et Januensem civitates extitit, multas
« hominum clades et Christianorum captivitates inumeras pro-
« venisse considerans utriusque partis saluti tam spiritualiter,
« quam temporaliter paterna sollicitudine studuerit providere,
« atque pro bono pacis et recompensatione episcopatuum, quos
« utique a praedecessoribus nostris Rom. Pont. Ecclesiae Pisanae
« in insula Corsicae concessos, a praedecessore tuo bon. mem.
« Archiepiscopo Huberto accepit, in Galluriensi Judicatu duos
« episcopatus Galtellinen videlicet et Civitaten. et Populonien.
« episcopatum sibi et suis successoribus, et per eos Ecclesiae Pi-

« sanae concessit, et metroplitano jure subjecit, Nos qui in
« Sedis Apostolicae administrationem disponente Domino sibi
« successimus, eamdem concessionem nostrorum bon. mem.
« Adriani, Alexandri, Clementis, et Caelestini PP. vestigiis
« inhaerentes, auctoritate Apostolica confirmamus, et ratam
« manere censemus. Praedecessorum quoque nostrorum vestigiis
« inhaerentes vobis primatus honorem Turritanae provinciae
« confirmamus. Ad majorem etiam honoris cumulum Pisanae
« civitatis, ut Pisana Ecclesia cum universo ejusdem civitatis
« populo in fidelitate atque devotione sanctae Rom. Ecclesiae
« jugiter perseveret, et in ipsa quotidie augmentetur. Pro de-
« votione quoque et honestate tua, frater Hubalde Pisane Ar-
« chiepiscope, personam tuam, et per Te Pisanam Ecclesiam
« ampliore munere volumus decorare. Tibi ergo, tuisque suc-
« cessoribus primatum super Caralitanam et Arborensem pro-
« vincias datum concedimus, et auctoritate Sedis Apostolicae
« confirmamus, ita quidem ut eos ad concilium vocandi, ex-
« cessus eorum corrigendi, et in doctrina Apostolica confir-
« mandi, atque cetera omnia, quae ad jus primatus pertinent,
« in eos exercendi habeatis liberam facultatem. Verum tamen
« supradictarum duarum provinciarum Archiepiscopos ad con-
« cilium non vocabitis Pisas sine scientia Pontificis Romani:
« super Turritanam vero provinciam dignitatem primatus, sicut
« a praedecessoribus nostris Ecclesiae Pisanae concessum est,
« habeatis. Legationem quoque Sardiniae a praedecessore no-
« stro Papa Urbano praedecessoribus tuis concessam, et fel.
« mem. Innocentii, et sanctae recordationis Eugenii, Anasta-
« sii, et Caelestini Romanorum Pontificum privilegiis in per-
« petuum roboratam, Tibi, tuisque successoribus, praesentis
« scripti pagina confirmamus, et confirmationem ipsam ratam,
« et inconvulsam perpetuis temporibus decernimus permanere.
« Denique ut Pisana civitas, quae favore caelestis numinis de
« inimicis christiani nominis victoriam frequenter obtinuit, et
« eorum urbes plurimas subjugavit, amplius honoretur, equo
« albo cum navo albo in processionibus utendi, et crucem,
« vexillum scilicet Dominicum, per subjectas vobis provincias
« portandi, et per spatium illud Volaterranensis episcopatus,
« quo de Pisano Archiepiscopatu ad Populon. transitur, Tibi

« et tuis successoribus licentiam damus. Pallii quoque usum « fraternitati tuae concedimus, ut videlicet secundum consue- « tudinem Pisanae Ecclesiae perfruaris, et in consecratione « trium episcoporum in Corsica, Aleriensis videlicet, Adja- « censis, et Sagonensis, ac praedictorum duorum in Sardi- « nia, et Populoniensis episcopi, quorum metropolitanus « existis. Si qua igitur in futurum ecclesiastica, secularisque « persona hanc nostrae constitutionis paginam sciens contra « eam temere venire tentaverit . . . . ». Datum Laterani per manum Rainaldi Dom. Papae cancellarii vicem agentis ind. 1 Incarnat. Domin. anno 1198 pont. nostri an. prim.

Ab eo tempore praesules Pisani Sardiniae primatum et legationem habuere usque ad annum 1240, quo S. P. Gregorius IX. regnum Sardiniae a Pisanis ob sacrilegium contra Cardinales et Episcopos ad concilium, ut superius diximus, euntes ab eis perpetratum, ademit, ut Volaterranus, Sabellicus, et Villanius referunt. Qua tempestate hosce honores amisisse creduntur Archiep. Pisani; quod eam legationem Archiep. Turritanum postea habuisse legimus in antiquo MS. Codice, in Ecclesia Usellensi recondito, in quo apparet Prosperum insignem Archiepiscopum Turritanum ea usum fuisse. Hic enim, anno 1253 omnes Sardiniae praesules accersivit in oppidum Bonarcadi, ubi synodum celebravit, atque unam supra triginta constitutiones sancivit. In quo consilio infrascripti antistites extitere, nempe Archiepp. Turritanus, Caralitanus, et Arborensis, et epp. Terralbensis, Suellensis, Sulcitanus, Civitatensis, Usellensis, S. Justae, Plovacensis, Doliensis, Ottanensis, Sorrensis, et abbas s. Mariae de Saccargia Ord. Camaldulensis.

Anno 1263 Archiepis. Turritanus fuit legatus Apostolicus Sardiniae, ut in annalibus Genuensibus refert Justinianus, et Interianus.

Anno 1303 Raymundus Episcopus Valentinus fuit legatus Sardiniae et Corsicae.

Anno 1304, VI. id. jun. Benedictus Papa XI. eam legationem, et per triennium decimarum perceptionem ex suis regnis concessit Jacobo II. Aragoniae Regi, quem prius Sardiniae et Corsicae regem creaverat, ut tradit Zurita libr. V. cap. 65.

Anno 1326 Johannes Ursinus fuit legatus Sardiniae et Corsicae, teste Villanio.

Post haec nullum alium legi habuisse primatum vel legationem Sardiniae et Corsicae; sed ejus loco institutum fuisse Officium Judicis gravaminum et appellationum, de quo inferius, suo loco, dicemus.

Hac tempestate, qua Pisani dominatum in Sardiniae tenebant, anno nempe 1088 pretiosa corpora ss. mm. Ephysi et Potiti, quae in Nora Sardiniae urbe intra provinciam Caralitanum diu conquieverant, subtracta fuere, et Pisas magno Sardorum moerore translata, ac in Basilica s. Mariae decenter collocata III. kal. sept. ut in eorum vitis et translationibus in archivio Pisanae Ecclesiae conditis constat.

Anno 1227 corpora beatorum Trani et Nicolai anachoritarum, monitu B. M. Virginis, fuerunt in Loco-Sancto Gallurensis provinciae reperta, eoque in loco tria templa a Sardis constructa, quorum unum B. Mariae, alterum B. Trano, et tertium B. Nicolao, dicata fuere, multisque bonis locupletata, et indulgentiis a Johanne, Cardinale Avenionensi, Papae Honorii II. legato, decorata sunt, ut in dictarum ecclesiarum MS. Codice, a Ludovico Episcopo Emporien. et Civitaten. adprobato, constat.

Ea etiam tempestate s. Dominicus Calaguritanus in Corsicam veniens oratorium in ecclesia sanctae Pacis condidit anno circiter 1220 ut refert Cyprianus Manenti. Quare etiam in Sardiniam propinquam insulam commigrasse, et conventum ordinis Praedicatorum, a se recens instituti, construxisse creditur. Fuerunt enim in Sardinia non multis post annis celebres conventus fratrum Praedicatorum, et fratrum Minorum s. Francisci, ut ex multis monumentis constat.

Praeterea Genuensium et Pisanorum temporibus insignes in ecclesiarum regimine fuerunt infrascripti Archiep.

In Provincia Turritana — Ecclesia Turrit.

Anno 1065 Simon . . . . . Archiep. Turritanus.

1075 Constantinus de Castra Archiep. Turrit. a Gregorio Papa VII. Capua consecratus ejusque legatus in Sardinia.

1090 Christophorus . . . . . . Archiep. Turrit.
1117 Vitalis Tola Archiep. Turrit.
1136 Manfridus Archiep. Turrit.
1153 Atho Archiep. Turrit.
1155 Petrus de Canneto Archiep. Turrit.
1176 Albertus Monachus Montis Cassini Ord. s. Benedicti Arch. Turrit.
1230 Opizzo Genuensis Archiep. Turrit.
1252 Prosper Archiep. Turrit. Sardin. et Corsicae legatus, qui praefuit Concilio Bonarcadensi, in quo praeter alia constitutum est, de sanctis non canonizatis, et de reliquiis tollendis inconsulto Pontif. expositis, et de demolitione ecclesiarum ipsis erectarum; quod decretum dicitur a Pontifice confirmatum et executioni demandatum. Hic primus fuit qui coepit Sassari morari.
1278 Torgotorius Archiep. Turritanus. Hic Archiepiscopus VIII. kal. octobres quatuor parochiales ecclesias, nempe s. Catharinae, s. Xisti, s. Donati, et s. Apollinaris in urbe Sassaris erexit, consentiente Petro Fara plebano s. Nicolai in in eadem urbe.
1295 Theodosius de Pisis Archiep. Turritan. Hic condidit sacellum quod est in aedibus Archiepiscopalibus, ut docet lapis ad fores positus *Anno Domini 1303 tempore Dom. Bonifacii Papae VIII. Pater et Dominus Theodosius Archiepiscopus Turritanus, natione Pisanus, fecit fieri istam ecclesiam ad honorem B. Andreae Apostoli*

Ecclesia Plovacensis.

1090 Jacentinus Episcopus Plovacensis.
1136 Constantinus Persicu Epis. Plovacen.
1187 Constantinus De Lella Epis. Plovacen.

Ecclesia Bisarchiensis.

1102 Constantinus Madrone Episcopus Bisarchiensis,
1153 Marianus Thelle Episc. Bisarchien.
1174 Johannes Thelle Epis. Bisarchien.

Ecclesia Emporiensis.

1165 Comita De Martis Episcopus Emporiensis.
1187 Petrus De Martis Eps. Emporien.

Ecclesia Sorrensis.

1153 Johannes De Sarga Eps. Sorrensis.

In Provincia Arborensi —Ecclesia Arboren.

1125 Theodinus Archiep. Arborensis.
1182 Comita De Mare, dictus etiam Comita De Lacone Archieps. Arbor.
1193 Justus natione Genuensis Archieps. Hic varis criminibus accusatus, ejusque causa ab Innocentio III. Archiep. Caralitano, Archiep. Turritauo electo, et Episcopo Sorrensi commissa.
1228 Torgotorius De Muru, Archiep. Arbor. Hic templum maximum metropolitanae Ecclesiae, auxilium praestante Judice Mariano, construxit.

Ecclesia Usellensis.

1193 Comita Baie Episcopus Usellensis.
1234 Johannes Marras Eps. Usellen.

Ecclesia S. Justae.

1185 Ugo Episcopus s. Justae, qui a Judice Arborensi missus est ad Imperatorem Fridericum Barbarossam, ut Barisonem Regem Sardiniae crearet.
1196 Stephanus Eps. s. Justae.
1228 Petrus De Martis Eps. s. Justae.

Ecclesia Terralbensis.

1144 Marianus Episcopus Terralbensis. Hic insignem s. Petri Terralbensis Ecclesiam Cathedralem fabricandam curavit, uti ex inscriptione, quae super ejusdem janua visitur, fit manifestum. *Anni Domini cum mille et centum quadraginta quatuor currerent, maii die decima, Episcopus Marianus haec posuit limina.*

1195 Marianus II. De Zorrachi Eps. Terralben.

1234 Gontinus (Constantinus) De ~~Sirigo~~ Siurra Eps. Terralben.

In Provincia Caralitana — Ecclesia Caralit.

1150 Petrus Archiepiscopus Caralitanus, qui ab Honorio II. R. P. concessa habuit Pallium, et Clericorum decedentium spolia; et restauravit ornavitque Ecclesiam s. Antiochi de Sulcis, ut docet haec inscriptio, quae in eadem Ecclesia legitur.

AULA . MICAT . UBI . CORPUS . BEATI . SCI
ANTIOCHI . QUIEBIT . IN . GLORIA
VIRTUTIS . OPUS . REPARANTE . MINISTRO
PONTIFICIS . CHRISTI . SIC . DECET . ESSE . DOMUM
QUAM . PETRUS . ANTISTES . CULTUS . SPLENDO
RE . NOBABITQUIS . MARMORIBUS . TITULIS
NOBILITATE . FIDEI . DICATU . D. XIII. KAL. FEBR.

1163 Bonitus Archiep. Caralitanus.

1183 Ricus Archiep. Caralitanus, qui ab Innocentio III. R. P. ad multa dissidia in Sardinia orta componenda electus est, et caussa Archiep. Arbor. Justi commissa est.

1239 Leonardus Romanus Archiep. Caral.

1296 Jacobus De Abbate Archiep. Caral.

Ecclesia Doliensis.

1069 Vigilius Episcopus Doliensis.
1112 Benedictus Monachus Coenobii s. Victoris Massiliensis Ord. s. Benedicti Eps. Dolien.
1163 Rodulphus Eps. Dolien.

Ecclesia Suellensis, seu Barbariensis.

. . . s. Gregorius Episcopus Suellensis
1112 Johannes Eps. Barbariensis.
1163 Petrus Eps. Barbarien.
1220 N. N. Eps. Suellen. a Canonicis Caralitanis hoc anno in Archiepiscopum electus.

Ecclesia Sulcitana.

1083 Raymundus Episcopus Sulcitanus.
1112 Arnaldus Eps. Sulcitanus.
1163 Aymo Eps. Sulcitanus.
1206 Bandinus Eps. Sulcitanus.

Judices Sardiniae.

Judex Sardiniae unus tantum fuit olim, qui regio more insulae dominabatur, a Romanis Pontificibus constitutus; quod ex Leonis Papae IV. epistolis, superius recitatis, liquido constat. Anno tamen 1050, quo Pisani, Saracenis devictis insulam occuparunt, omnem terram in quatuor partes divisere, Turritanam videlicet, quae Logudorus etiam est dicta, Caralitanam, Arborensem, et Gallurensem, singulisque partibus singulos judices ex primoribus civitatis suae familiis praefecerunt, ut ex Christophoro Landino, Sigonio, et Volaterrano constat.

Hi quatuor Judices paullatim temporum progressu reges facti sunt, et eorum primi fuere Judices Logudori et Caralis, qui regium nomen sumpsere, ut inquit Maynoldus. Nam Leo Cardinalis Ostiensis, sedente Alexandro II. circa annum 1060

nominat duos Reges Sardiniae, nempe Barisonem, et Torquitorium, quorum quidem unum Logudori, alterum Caralis egem fuisse Maynoldus docet, cum Barison Arboreæ, et Henricus, seu Hencius Gallurae primi Reges, longe postea fuerint, ut suo quidem loco dicemus.

Ab his omnibus Sardiniae regni titulus usurpabatur, quamvis eorum quisque nonnisi unius quadrantis dominus esset. Quisque modo cum Pisanis, modo cum Genuensibus foedus habebat. censumque sive istis, sive illis, omnes pendebant, ut ex Justiniano, et antiquis MSS. codicibus, vulgo *Condaghes* dictis, constat. Praeterea omnes hi Judices obedientiam et fidelitatem per jusjurandum Rom. Pontificibus praestabant. Cumque successu temporis, illud praestare omisissent, Gregorius VII. anno circiter 1073 Constantinum de Castra Archiep. Turrit. ad eos legatum misit, cum suis literis dat. Capuae idib. oct. in hunc modum.

GREGORIUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei

Mariano Turrensi, Honroco Arborensi, Honroco Caralitano, et Constantino Gallurensi Judicibus Sardiniae salutem et Apostolicam benedictionem.

« Vobis et omnibus qui Christum venerantur, cognitum est « quod Rom. Ecclesia universalis sit mater omnium christia- « norum, quae licet ex consideratione officii omnium gentium « saluti debeat invigilare, specialiter tamen et quodammodo « privatim, vobis sollicitudinem oportet eam impendere. Ve- « rum quia negligentia antecessorum vestrorum charitas illa « friguit, quae antiquis temporibus, inter Romanam Ecclesiam « et gentem vestram fuit, in tantum ut a nobis, plusquam « gentes, quae sunt in fine mundi, vos extraneos fecistis, « quo Christiana religio inter vos ad maximum detrimentum « devenerit; unde multum vobis necessarium est, ut de salute « animarum vestrarum studiosius admodum cogitetis, et ma- « trem vestram Romanam Ecclesiam, sicut legitimi filii, re- « cognoscatis; et eam devotionem, quam antiqui parentes

« vestri impenderunt, vos quoque impendatis. Nostri autem « desiderii est non solum de liberatione animarum vestrarum « curam velle habere, sed etiam de salvatione patriae vestrae, « sollicitius invigilare; unde si verba nostra sicut, decet, de- « voti receperitis, gloriam et honorem in praesenti et in fu- « tura vita obtinebitis. Quod si aliter, quod non speramus, « feceritis, et ad sonum exhortationis, nostrae aurem debitae « obedientiae non inclinaveritis, non nostrae incuriae, sed « vestrae poteritis culpae imputare, si quid periculi patriae « vestrae contigerit. Cetera, quae de salute et honore vestro « tractamus, magna ex parte confratri nostro Constantino « Turrensi Archiep. vobis referenda commisimus. At cum le- « gatus Noster, quem, Deo annuente, in proximo mittere « disponimus, ad vos venerit, voluntatem nostram pleniter « vobis significabit, et quod gloriae et honori vestro conde- « cet, apertius enarrabit ».

Lectis his litteris, et auditis, quae a Constantino Archiepiscopo relata fuere, Judices nihil certi statuerunt. Sed Honrocus Judex Caralitanus Romam ire decrevit, atque ita pluries commeatum a Gregorio efflagitavit; qui Pontifex XVII. kal. febr. in hunc modum ei rescripsit.

« Litteras tuas accepimus, in quibus te ad Nos velle ve- « nire continebatur. Nobis itaque placet, ut venias, et cum « omni securitate postquam ad litus nostrum veneris eundo « et redeundo per fines terrae Nostrae, te migrare posse « nullatenus tibi dubitandum esse scias. Praeterea admone- « mus prudentiam tuam, ut de caussa, quam per Archiepi- « scopum Constantinum Turrensem, hoc in anno a nobis « Capuae consecratum, tibi mandavimus, cum ceteris Sardi- « niae Judicibus loquaris, et firmiter inter vos communicato « consilio, quidquid vobis inde cordi et animo sit, celeri « Nobis responsione notificate; scientes quod, nisi hoc anno, « certa nobis, super hac re, ratione respondebitis, nec am- « plius vestra responsa quaeremus, nec ulterius jus et honorem « s. Petri irrequisitum relinquemus ». Haec in Regesto ejusdem, in Bibliotheca Vaticana recondito, adparet epistola.

Anno sequenti 1074 ad haec misit idem Gregorius Papa Populoniensem Episcopum, cui debitus honor, et jus fuit ab

Honroco Judice Caralitano persolutum, ut patet ex ejusdem Gregorii Papae epistola, quae in dicto Regesto legitur in hunc modum:

« Gratias omnipotenti Deo referimus, quia tua sublimitas « B. Petrum recognoscens debitum honorem et reverentiam « legato Nostro Populoniensi Episcopo exhibuit: ac proinde « ita devotionem tuam in illo suscipimus, quasi Nobis, sicut « B. Petro, praestiteris, dicente Domino: *Qui vos recipit*, « *me recipit*. Dilectionem ergo tuam monemus, ut ea, quae « a praefato legato Nostro, atque Haronne prudenti viro, « audiisti, alta memoria semper retineas, si et tui memoriam « ante Dominum jugiter esse desideras. Nos enim memorati « Episcopi hortatu, et precibus, qui se a te reverenter susce-« ptum, honorificeque tractatum testatur, apud illum, cujus « vices, licet indigni, fungimur, te in mente specialiter dein-« ceps habere optamus ». Et infra: « Nolumus scientiam tuam « latere Nobis terram vestram a multis gentibus esse petitam; « maxima servitia, si eam permiserimus invadi, fuisse pro-« missa; ita ut medietatem totius terrae nostro usui vellent « relinquere, partemque alteram ad fidelitatem nostram sibi « habere. Cumque hoc non solum a Romanis, Thuscis, et « Longobardis, sed etiam a quibusdam ultramontanis, crebro « a Nobis esset postulatum, nemini in ea re unquam assen-« sum dare decrevimus, donec ad vos legatum Nostrum mit-« tentes, animum vestrum deprehenderemus. Ideo autem quia « devotionem te habere in Legato Nostro monstrasti; si eam « sicut oportet, servare semper volueris, non solum per Nos, « nulli ingrediendi terram vestram licentia dabitur; sed etiam « qui attentaverit, et saeculariter et spiritualiter prohibebitur « a Nobis, ac repulsabitur. Auxilium denique B. Petri, si in « ipsius fidelitate perseveraveritis, procul dubio, quod non « deerit vobis, et hic et in futurum promittimus ».

Hoc jus Sardiniae, Romanis Pontificibus debitum, usurpare coepit, ut diximus, Imperator Fridericus *Barbarossa*, atque ita Sardiniae et Corsicae tributa exegit. Cujus rei indignitate motus Hadrianus IV. anno circiter 1158 quatuor Cardinales, Octavianum nempe, Henricum, Wilelmum, et Vidonem Cremonensem ad Fridericum destinavit, qui illum apud Bononiam

convenientes, inter alia postularunt, ut Sardiniae et Corsicae tributa restitueret, quemadmodum refert Carolus Sigonius L. XII.

Praeterea anno circiter 1202 Pisanus Archiep. exegit ab Judice Caralitano juramentum fidelitatis praestari solitum Romanis Pontificibus, et eorum nomine Archiepiscopo Turritano. Quod Innocentius Papa III. moleste tulit, atque Pisano Archiep. has dedit literas, « Si diligenti penses animo, quid illa ta-
« bernaculi arca significet, in qua cum tabulis virga simul et
« manna sunt, jubente domino, nequaquam Nos tibi scripsisse
« dure et aspere reputares, cum in pectore Romani Pontificis,
« qui universis ecclesiarum praelatis praeesse, Deo auctore, di-
« gnoscitur, et virga correptionis et manna debeat esse dulce-
« dinis, ut altera foveat humiles et devotos, et reliqua rebelles
« feriat et puniat delinquentes. Hinc est, quod illius vulneribus
« sanandis, quem Samaritanus duxit in stabulum, vinum adibe-
« tur et oleum, ut nisi commonitionis et exhortationis oleo de-
« linquentiam vulnera foveantur, vinum ecclesiasticae severitatis
« subsequatur. Licet igitur ex iis, quae praemissimus, contem-
« ptis monitis Nostris, et mandatis, quibus nisi fuimus fraterni-
« tatem tuam frequenter inducere, ut dilectum filium nostrum
« W. marchionem Massae Judicem Caralitanum a juramento
« fidelitatis absolveres, quod exhiberi tibi et ecclesiae Pisanae
« fecisti, ut eo non obstante Nobis et Ecclesiae Romane jura-
« ret; quod incunctanter debuisses exequi, et renuisti tamen,
« non solum asperitate verborum, sed exequutione forsitan po-
« tuissemus in te procedere ecclesiasticae disciplinae; cum
« jam dictus Judicatus ad jus et proprietatem B. Petri perti-
« neat, sicuti tota Sardinia ad nullum alium pertinet, nec
« ex medietate, parte; nec sit quidquam rationabiliter allega-
« tum, quare tibi licuerit pro te, vel ecclesia tua a praedicto
« Marchione Massae Judice Caralitano fidelitatis exigere jura-
« mentum... ». Sequitur paullo post « Super alio vero arti-
« culo taliter respondisti, quod ab eo tempore, quo fuisti
« assumptus ad Praesulatus officium, juramentum fidelitatis,
« pro Sede Apostolica, ab ipsis Judicibus recepisti. Scias
« tamen per Archiepiscopum Villanum praedecessorem tuum
« virum magnae auctoritatis et honestatis, qui longo tempore
« in curia romana extitit, ac postea creatus Cardinalis plenius

« quoque novit consuetudines, et statuta; scias per omnes « antecessores tuos, qui fuerunt viri magnae auctoritatis secus « factum fuisse, secusque de antiqua consuetudine tenuisse, « cum nihil ipsis hactenus ab Apostolica Sede fuerit objectum. « Nos igitur iis et aliis, quae dilectus frater magister Bandinus « nuncius tuus proponere voluit, plenius circumspectis, non « intelleximus te vel ecclesiam tuam super hoc aliquo jure « subnixam, quo valeas a mandati Nostri exequutione ratio- « nabiliter excusari, quum auctoritatem Sedis Apostolicae non « ostendas, per quam a praedictis Judicibus Caralitanis tu « et antecessores tui fidelitatis exegeritis juramenta; nec prae- « scriptione aliqua muniaris, quum, secundum confessionem « tuam, nec tu nec ecclesia Pisana fueritis in quasi possessione « juris exigendi hujusmodi juramentum, quod per sedem « Apostolicam ab ipsis Judicibus receptum fuisse fateris; per « quod constat Ecclesiam Romanam semper in quasi possessio- « ne fuisse, quum pro ea, ministerio tuo et antecessorum « tuorum exactum fuerit, et praestitum juramentum; ab eo « namque possideri quid dicitur, cujus nomine possidetur; « si vero dicatur, quod nomine tuo, et antecessorum tuorum, « et non nomine Nostro, et Ecclesia Romanae saepe nomina- « tum juramentum fuerit exactum, potest inferri quod jura- « mentum praestitum de conservando jure et honore sedis Apo- « stolicae fuerit violatum. Unde liquet retineri non posse quod « contra juramentum hujusmodi fuerit scienter obtentum: quia, « etiam secundum hoc, locum praescriptio habere non potest, « quum in praescriptione rerum ecclesiasticarum bona fides « et justus titulus exigantur; et si locum habere potuisset « praescriptio, adhuc, praescriptio isthaec centenaria non est « (quae sola currit contra Romanam Ecclesiam) etc. ».

Has literas ex decretal. Antonii Contii, Johannis Guintini, et Antonii Augus, in cap. *Si diligenti* de praescript. habuimus.

Alias etiam literas Willelmo Judici Caralitano idem Innocentius Papa his verbis scripsit.

« Ea te credimus discretione vigere, ut intelligas per te « ipsum, quod onus non remittitur, sed augetur, quum cui- « quam improvide solvitur, quod alii ex debito est praestan- « dum. Sane quum ven. fr. Nost. Archiep. Turritanus, per

« suas nobis literas intimavit, quod quum a te nomine Nostro « juramentum fidelitatis, sicuti a Nobis in mandatis acceperat, exegisset, illud exhibere in ejus manibus distulisti, adserens quod ven. fratr. Nostro Pisano Archiep. salvo Apostolicae sedis honore, hujusmodi praestiteras juramentum. « Quum igitur Nobis et Ecclesiae Romanae fidelitatem jurare « tenearis, sicut tua etiam prudentia recognoscit, si praestitum non est, quod a te Nobis, tamquam debitum, est praestandum juramentum, illud reputes illicitum, et novum, quod « a Nobis tamquam debitum petitur, licite exhibebis, illicito « illo prius praestito juramento non obstante. . . Monemus ergo « nobilitatem tuam et exhortamur attentius, ut per A. S. M. « atque P. quod omni excusatione et occasione cessante in « manibus ejusdem Archiep. Turritani, fidelitatis Nobis et Ecclesiae Romanae exhibeas juramentum ».

Haec habentur in Anton. Contii, Augustini, et Gratiani decret. cap. *Ea te* de Jurejur.

Judices itaque Sardiniae fidelitatis jusjurandum et tributa Romanis Pontificibus exsolvebant; illaque Judicibus postea ejectis, ab Aragonensium regibus, quibus Sardinia fuit concessa, deinde praestabantur, ut inferius dicemus.

Ceterum quid fuerit ab his Judicibus gestum, quaeve illorum series et successio certe a scriptoribus traditum non invenio, sed in parvo Judicum Turritanorum MS. libello ab incerto auctore condito prisca lingua Sardoa, et in quibusdam Ecclesiarum Sardiniae MSS. codicibus, quos *Condaghes* dixi vocatos, atque paucis aliis monumentis, infrascriptorum Judicum memoriam saepe incerto tempore, et serie intercisa, reperi, quam praeterire nolui. Itaque fuere.

Judices Turritani

Gunnarius, seu Gonarius, dictus Comita, fuit primus Turritanus Judex, Codice s. Mariae de Cerigo referente. Fuit Comita utriusque loci Judex, Turritani scilicet et Arborensis. Hic miraculose lepra mundatus amplissimam ss. mm. Gavini, Proti, et Januarii ecclesiam, summa impensa, construxit, magnifice

Hic in pace de Deo e beator gla dormiunt
Gulelmus Marcia turrit. judice q. e. XXIIII de guerra forti
quam commauritan. habuit et Januarius filius unicus mor-
tuus ē ante pedes patris Susanna uxor
et mater cum forti planctus . . .
anno 1027.

ornavit, donis multis ditavit, et ad eam sanctorum praedictorum corpora transtulit; in qua deinde obiens sepultus fuit, ut in ejusdem ecclesiae antiquo codice legitur. Habuit tres sorores Helenam nempe, Pretiosam, et Georgiam, quarum ultima ecclesiam sanctae Mariae in Ardarae oppido, illiusque castrum et curiam effecit, atque Baldum Gallurensem Judicem bello vicit, et cepit, ut idem codex refert.

Torquitorius, alias Dorgotorius, vel Orgotorius Gunale, Judex utriusque loci, Turritani scilicet et Arborensis, Comitae Patri successit, et Mariam De-Serra uxorem duxit. Hic s. Antiochi ecclesiam in Bisarchio aedificavit, pluresque Sardiniae ecclesias ditavit, et anno 1065 amplissima dona Cassinatium monasterio contulit, ut ex Jacobo Maynoldo, et antiquis MSS. Codicibus constat.

Marianus I. fuit Judex Turritanus, ad quem Gregorius VII. literas dedit anno circiter 1074, ut ex ejus Regesto in Bibliotheca Vaticana constat.

Petrus Gunale fuit Judex Turritanus, qui uxorem habuit Georgiam, et ea mortua, Annam De-Zori, ut ex antiquo MS. codice constat.

Andreas Tanca fuit Judex Turritanus, qui sepultus fuit in ecclesia s. Maria de Ardara, ut in libello Judicum Turritanorum traditur.

Marianus II. in Judicatu Turritano Andreae patri successit, et Susannam Gunale, seu De-Zori uxorem duxit. Hic s. Mariae ecclesiam in oppido Castrae, et monasterium s. Michaelis in oppido Salvenori, ejus mater monasterium Monialium s. Petri de Sirchis; ejus frater monasterium s. Mariae de Cerigo, hoc tempore construxerunt, ut in praefato libello traditur.

Constantinus De-Làcono Mariano patri in Judicatu Turritano successit. Is anno circiter 1117 ecclesiam et monasterium SS. Trinitatis de Saccargia Ord. Camaldulensium s. Benedicti a fundamentis extruxit, et ecclesias s. Mariae de Cerigo, s. Mariae de Ardara in ampliorem formam redegit, donisque ditavit. Obiit in urbe Turrium; at in dicta ecclesia SS. Trinitatis fuit sepultus, ut in Judicum libello, et antiquis codicibus MSS. legitur. Ejus uxor Marcusa Gunale De-Arborea in Siciliam peregere profecta hospitale s. Johannis in urbe Mes-

sana aedificare fecit, multis reditibus ditavit, et in eo obiit, ut in iisdem codicibus legitur.

Gunnarius II., vulgo Gonarius de Lacono, Constantino patri in Judicatu successit puer septem annorum, et Pisis educatus Mariam Ebriandi nobilis viri Pisani filiam uxorem duxit, diuque regnavit. Hic castrum montis Gociani condidit, et ecclesiam s. Mariae de Cerigo magnifice ornavit, atque eos de Arzenis et Arendis, quos inimicos infensosque habuit, omnes obsidione cinxit et occidit; amicos vero et necessarios suos permultis praemiis donavit. Ingravescente aetate regnum filiis suis divisit, atque Judicatum Turritanum Barisoni primogenito, regionem Nurcarae Petro, regionem Fripiae Itocaro, regiones Ojani et Anglonae Comitae dedit, et Hierosolymas petiit. Inde reversus centum quinquaginta monachos, quos a s. Bernardo Claravallensi Abbate, in Apulia tum versante, habuit, in Sardiniam duxit, et monasterium s. Mariae Capitis-Aquarum non longe a Sindiae oppido construxit, et discordes filios suo adventu concordes reddidit; post quae obiit, ut in eodem Judicum libello, et MSS. codicibus est videre. Gunnarius iste Gummarus etiam, et sanctus dictus est.

Barison de Lacono, defuncto patre Gunnario gubernacula Judicatus suscepit et Pretiosam De Arrubu uxorem duxit, atque optime regnum administravit, donaque multa ecclesiis contulit anno circiter 1180, et obiit in Sicilia, sepultusque fuit Messanae in Ecclesia hospitalis s. Johannis a Marcusa Gunale, ejus ex patre avia, condita. Fuit illi Susanna filia, quae Andreae Auriae nobili Genuensi nupsit, et ex eo peperit Danielem, a quo Barison, Gavinus, Nicolaus, et Petrinus Auriae domini regionis Nurrae processerunt.

Hoc tempore Itocarus Judicis Barisonis frater Castrum Montis-ferri condidit, ut ex eodem Judicum libello constat. Claruerunt etiam Antonius Fara armamentarii Turritani praeses, Constantinus Fara lictorum mandator, et Stephanus Fara, qui post obitum, dona multa contulit Abbatiae s. Juliae Quiteronis, ut ex codice ejusdem Abbatiae et Ecclesiae Plovacensis constat.

Constantinus II, vulgo Gantinus de Lacono, Barisonis filius, defuncto patre Judicatum habuit, ut ex Cathalonia prius Dru-

dam; mox, ea mortua, Prunisindam uxorem duxit. Hic bellum cum Willelmo marchione Massae et Judice Caralitano gessit, atque ab eo victus Castrum Gociani, et Prunisindam uxorem amisit, nulloque superstite haerede, obiit multis criminibus foedatus, et anathematis vinculo innodatus, ut ex libello Judicum constat.

Comita II. Barisonis quartus filius, ab Episcopis et primoribus provinciae Turritanae Judex creatus, in locum Constantini II. sufficitur. Hic Spellam Arborensem uxorem duxit, ex qua Marianum filium, filiasque Mariam et Pretiosam, procreavit, pacem cum Willelmo Jud. Caral. fecit, optime rexit Judicatum, et obiit vicesimo anno sui regni, ut ejusdem libelli auctor refert.

Marianus III. Comitae patri successit, et Agnetem Willelmi Jud. Caral. filiam uxorem duxit, ex qua Barisonem filium, Benedictam et Alasiam filias habuit; quarum primam Comiti Emporiensi, aliam Baldo Judici Gallurensi uxores dedit, ac postea obiit, ut ejusdem libelli auctor narrat.

Barison II. Mariano patri successit, et nulla superstite prole ab humanis decedens sepultus fuit in Ecclesia s. Pantaleonis oppidi Sursae, ut ex eodem libello constat.

Baldus hujus nominis secundus Gallurae Judex, et uxor ejus Alasia Mariani III. Turritani Judicis filia, mortuo Barisone fratre, ab Episcopis et obtimatibus regni Turritani vocati Judices creantur, illisque Petrus Pinna castrum Gociani tradit. Post aliquot annos, quibus in utroque Judicatu simul regnarunt Baldus e vivis discessit, et in Ecclesia oppidi de Silico regionis Meiloci sepultus fuit, ut ex eodem libello habemus. Alasia vero aliquot annos vidua regnum gubernavit, ac postea Manuele, Friderico, et Principale gentis Auriensis suadentibus, Henrico Friderici II. Imperatoris filio notho, Hencio vulgo appellato, nupsit, eique utriusque loci Judicatum in dotem dedit, et nulla superstite prole moriens regnum Turritanum Gregorio Papae hujus nominis IX. ejusque in Sede Apostolica successoribus reliquit, ut in eodem libello traditum.

Anno circiter 1233 Henricus, sive Hencius, ex dote Alasiae, Judicatum Turritanum et Gallurensem adeptus, et ab ejus patre Friderico Rex Sardiniae coronatus privilegia et

constitutiones regni servare juravit, ut ex MS. codice synodalium constitutionum in Archivio Usellensis Ecclesiae recondito, ut ex Christophoro Landino, Jacobo Maynoldi, Gabriele Paleotto, et Hieronymo Zurita constat. Itaque Gregorius graviter conqueritur Fridericum et Hencium terram Sardiniae, ad Sedem Apostolicam spectantem, occupatam sub sua ditione retinere; Henciumque sacris interdictum, regnoque Sardiniae privatum declaravit, quia Dux praefectusque paterni exercitus Pontificem ipsum, ceterosque Ecclesiasticos diutino bello in Italia est persecutus, et Cardinales ad Concilium generale Romam vocatos invasit cepitque, et in carcerem conjecit, ut ex ejusdem Gregorii Papae IX. epistola, quae incipit: *Ascendit de mari bestia*, et ex Nauclero, Sabellico, et Volaterrano constat.

Anno deinde 1249 orto inter Bononienses et Mutinenses bello, Hencius, qui paterno exercitu Mutinensibus suppetias ferebat, inito certamine, apud D. Ambrosii pontem, a Bononiensibus captus, nulla re ut dimitteretur, impetravit; sed custodia detentus, publicis Bononiensium impensis, duo et viginti annos, regia pompa alitur; et mortuus ac magnificentissime funeratus in ecclesia s. Dominici marmoreo sepulchro tumulatur, anno 1272 II. id. martii, ut in epitaphio legitur, et constat ex Villano, Nauclero, Justiniano, Landino, Rigato, et Corio, qui duo ultimi tradunt Hencium condidisse testamentum, et regnum Sardiniae fratribus Ordinis Praedicatorum s. Dominici reliquisse. Ceterum Johannes Laurentius ab Anania refert Jacobum II. Aragoniae Regem fuisse ab Hencio regni Sardiniae haeredem institutum. Nec etiam verum est ex hoc Hencio Bentivogliorum familiam, quae in Bononia dominabatur, originem duxisse, ut referunt Baptista Pigna, et Petrus Recordati; nam D. Antonius Florentinus antistes, Nauclerus, et alii tradunt Friderici Imper. progeniem in Hencio finem habuisse. Reliquit tamen in Judicatu Turritano matrem superstitem, quae ut inquit Petrus Recordati Blanca dicebatur, et Montis-ferrati marchionissa erat; quae postea animo aegra, saevoque amore saucia, Michaeli Zanche architrichlino suo nupsit, teste Landino, et ad regimen Judicatus extulit, unde Dantes Alighierius de eodem cecinit « *Usa con esso donno*

Michel Zanche — Di Logudoro » Hic Zanches filiam ex Blanca genitam Branchae Auriae uxorem dedit, qui magnam partem Judicatus Turritani habebat, ut inquiunt Landinus, Justinianus, Interianus, et alii. Nam mortuo Hencio Turritani Judices desierunt, et Aurienses, Spinulae, marchiones Massae, marchiones Malaspinae, communitas Genuae, et communitas Pisarum omnem fere Judicatum occuparunt.

Genuenses urbem Sassaris in amicitiam, et ditionem suam redegerunt, et cum ea regiones Romandiae, Fluminariae, partem regionis Nurrae, villasque Geriti, Octavae, et Aristolae, quae sub dominatu Sassaris erant, ut ex ipsius urbis statutis, atque Zurita, Justiniano, et Interiano constat.

Illustris Auriae familia habuit Algarium, Castrum-Genuense, et Castrum Montis Javae, quae fuerunt ab iisdem Auriensibus, ut quidam volunt, condita, et Castrum, cui Auriae nomen dederunt, atque Castrum Montis Leonis, et Rupis-fortis, omnesque regiones Curatoriae Anglonae cum Ardara et Bisarchio, curatoriae Meiloci, Capitis-Aquarum, et Nurcarae cum majori parte Nurrae. In hac familia insignes eo tempore fuere Brancaleo, ejusque filii Brancaleo, Manfredus, et Matthaeus Auriae: Barnabas insuper frater Brancaleonis I. ejusque filii Cassianus, Damianus, et Fabianus; Nicolaus etiam filius Cassiani, et Galeottus cum Nicoloso Antonio, filii Nicolai, atque plures infra memorandi, ut ex Zurita et antiquis monumentis constat.

Marchiones etiam Malaspinae dominio, et rebus gestis praeclari in Turritano Judicatu fuere. Nam urbem Bosam novam ab eis, ut quidam ferunt, conditam, ac etiam Castrum Bulcis, et Castrum Osuli, cum illorum suburbiis, et Regiones Cocinae, Figulinae, Corosi, et Montis obtinuere. Insigniores hujus familiae viri eo tempore fuerunt, Opizo, ejusque filii Azo, Fridericus, et Johannes: Franciscus Opizonis frater, et ejus filii Francischinus, Johannes, et Moruellus, nec non Manfredus cum duobus filiis Francisco et Marcello, ut ex eodem Zurita, Annibale Nesolino, et MSS. monumentis habemus.

Spinulae insuper gens, antiquitate et rebus gestis clara in eodem Judicatu Turritano dominatum, teste Zurita, adquisivit. Hujus familiae celebriores ea tempestate fuere Christianus, Galeottus, et Manfredus Spinulae.

Pisani quoque, et marchiones Massae, oppida et arces, eodem Zurita referente, in Judicatu Turritano habuere; unde castro Pisano, et Monti-Massae, nomen huc usque reliquere.

Gallurae Judices.

Anno 1050 Manfredus Pisanus fuit primus Gallurae Judex, qui Galli gallinacei insigne in armis deferebat, teste Landino.

Baldus I. hujus nominis fuit Judex Gallurensis, qui bello contra Comitam I. Turritanum Judicem suscepto a Georgia sorore Comitae victus capitur, ut ex antiquo ecclesiae Turritanae codice constat.

Constantinus Gherardescus Judex Gallurae, ad quem literas misit Gregorius Papa VII. anno circiter 1064, ut ex illius Regesto in Bibliotheca Vaticana constat.

Baldus II. fuit Judex Gallurae, et uxorem duxit Alasiam, sive Adelasiam Mariani III. Judicis Turritani filiam, quae, ut in Judicibus Turritanis diximus, superstes Baldo, Judicatum Gallurae obtinuit, ut in libello Judicum Turritanorum traditur.

Alasia successit in Judicatu Gallurae Baldo II. et aliquot annos sola gubernavit regna Logudori simul et Gallurae.

Hencius, sive Henricus, Friderici II. Imperatoris filius naturalis anno 1234, Alasiam Baldi viduam cum regnis Logudori et Gallurae accepit, ut ex eodem Turritanorum Judicum libello, Zurita, et Jacobo Maynoldi constat.

Vix autem Hencius a Bononiensibus captus e vivis decessit, et obiit Alasia, cum confestim Judicatus Gallurae ad Scotas Comites Pisanos Judicatus Gallurae pervenit, ut testatur Baptista Pigna.

Johannes Scotus, comes Pisanus, anno circiter 1271 Alasiae et Hencio successit in Judicatu Gallurae, et anno 1280 obiit in castro s. Miniati, ut refert Johannes Villanius.

Ninus Scotus, qui fuit nepos Ubaldi Vice-comitis Pisani successit in Judicatu Gallurensi anno 1280, et Beatricem filiam Opizonis VI. Atestae et Ferrariae marchionis, uxorem duxit, ex qua Johannam filiam procreavit, ac postea obiit in Thuscia, in oppido s. Miniati, anno circiter 1298 ut ex Chri-

stophoro Landino, et Johanne Baptista Pigna constat. De hoc Nino Gallurae Judice ita cecinit Dantes Aligherius

Ver me si fece, ed io ver lui mi fei
Giudice Nin gentil quanto mi piacque
Quando ti vidi non esser fra i rei.

Ninus hic Comitam quemdam Gallurensem, avarum, ac versipellem hominem, qui inimicos mancipatos Nini carceribus, pecunia corruptus dimisit, jussit suspendi, unde cecinit Dantes Aligherius Inferni Carmine XXII.

Chi fu colui, da cui mala partita
Di' che facesti per venire a proda?
Ed ei rispose: fu frate Gomita.
Quel di Gallura vasel d' ogni froda,
Ch' ebbe i nemici di suo donno in mano,
E fe' lor sì, che ciascun se ne loda.
Denar si tolse, e lasciolli di piano
Sì come ei dice, e negli altri offici anche
Barattier fu non piccol, ma sovrano.

Beatrix Atestina Nini vidua in majore parte Judicatus Gallurae viro successit quae anno circiter 1300 de mense junii secundas contraxit nuptias cum Galeaccio Vice-comite Matthaei Magni Mediolanensium Ducis filio, ut testantur Landinus Pigna, et Bernardinus Corio, unde Dantes cecinit de Purgatorio Carmine VIII.

Quando sarai di là dalle larghe onde,
Di' a Giovanna mia, che per me chiami
Là dove agli innocenti si risponde.
Non credo che la sua madre più m' ami,
Poscie che tramutò le bianche bende,
Le qual convien che misera ancor brami.
Per lei assai di lieve si comprende
Quanto in femmina fuoco d' amor dura,
Se l' occhio o il tatto spesso non l' accende.
Non gli farà sì bella sepoltura
La vipera, che i Milanesi accampa,
Come avria fatto il Gallo di Gallura.

Hic Galeaccius fuit populi Mediolanensis Capitaneus a patre creatus, mox Princeps civitatis, et dominus a populo appella-

tus urbi praefuit. Postea vero a Ludovico Bavaro Imperatore coactus abdicavit, et cum filio ac fratribus in carcerem fuit detrusus. Deinde omnibus dimissis exul ipse in castro Pissiae in Thuscia obiit anno 1328. Praedicta Beatrix ejus uxor obiit anno 1325, ejusque corpus Mediolani in ecclesia s. Francisci, decenter fuit conditum marmoreo sepulchro, in quo Vicecomitum et Gallurae insignia, et arma incisa adhuc visuntur, teste Corio. Reliquit Actium filium ex Galeaccio, atque ita ipse et ceteri Vice-comites, qui se pro Mediolani principibus tulere, in jure Judicatus Gallurae Beatrici hac serie successere.

Azo vel Actius Galeaccii et Beatricis filius successit in dicto Gallurae jure, et nulla superstite prole obiit anno 1339.

Anno 1339 Luchinus Matthaei Magni filius et Actii patruus cum Johanne fratre, Mediolanensium Archiepiscopo in dicto jure nepoti successit, et decessit ab humanis anno 1349. Luchinus hic foedus cum Pisanis et Genuensibus percussit contra Aragonenses Sardiniam occupantes anno 1340, teste Zurita.

Johannes Matthei Magni alter filius, et Actii patruus, post obitum Luchini fratris dictum jus Gallurensis Judicatus solus habuit: et ex Episcopo Novarensi Archiepiscopus Mediolanensis creatus habuit anno 1353 dominatum Gallurensium et Genuensium, qui se illius imperio, et potestati subjecerunt, ut referunt Corius et Zurita cum Sabellico.

Hic foedere percusso cum Mariano Arborensi Judice, Insubrium et Genuensium auxiliares copias in Sardiniam contra Aragonenses misit, et anno 1354 obiit.

Matthaeus Galeaccius II. et Barnabas, filii Stephani, et Matthaei Magni nepotes, Mediolanum, Genuam, et jus Sardiniae in Gallurensi Judicatu adepti, uno praetore, quem pari judicio deligebant, gubernarunt. Obiit Matthaeus sine virili prole anno 1356.

Galeaccius anno 1378 et Barnabas coactus a Johanne Galeaccio nepote abdicavit anno 1385 quo mortuus est.

Hac tempestate Uriseenses homines Gallurae, Aragonensium imperium detrectantes, adhuc sub Vice-comitum imperio, teste Zurita, persistebant; sed biennio post illis devictis, et Gallurensi Judicatu in ditionem redacto Petrus Aragoniae Rex nomen Judicatus Gallurae, quod ei suspectissimum erat penitus

extinxit, atque nomine Caralitanae gubernationis comprehendi voluit, ut refert Zurita.

Anno 1378 Johannes Galeaccius filius Galeaccii II. defuncto patri, in Judicatu successit, et, ut diximus, Barnabam patruum abdicare coegit. Hic anno 1395 Dux Mediolani creatus fuit, atque obiit anno 1402.

Anno 1402 Johannes Maria Jo. Galeacio patri successit in jure Judicatus Gallurensis: occisus fuit anno 1412.

Anno 1412 Philippus Maria alter Jo. Galeacii filius Johanni Mariae fratri majori natu successit, et absque legitima sobole anno 1447 obiens jus Gallurae, omnemque haereditatem Alphonso Aragoniae et Sardiniae regi reliquit, ut ex Corio, et Maynoldi apparet.

Ceterum Aurienses defuncto Nino, meliorem Judicatus partem occuparunt, redactis in eorum ditionem regionibus Alegurinae, Nallari, Curii, et Curtasi, ut refert Zurita ad annum 1308 cap. LXXI.

Judices Caralitani.

Anno 1050 . . . . fuit primus Judex Caralitanus

Barison hujus nominis primus, quem Leo Cardinalis Ostiensis anno circiter 1065 regem nominat, eumque dona multa contulisse monasterio Cassinatium s. Benedicti refert Maynoldi.

Onrocus Grimaldus fuit Judex Caralitanus, ad quem literas plures Gregorius VII. scripsit anno circiter 1074, ut ex ejus Regesto in Bibliotheca Vaticana constat.

Dorgotorius Petruccius fuit Judex Caralitanus, qui villam Suellis s. Georgio Episcopo Suellensi donavit, habuitque uxorem Veram, quae villam Simieris eidem Georgio tradidit, ut ex ejusdem sancti historia in Bibliotheca Ecclesiae Caralitanae adparet.

Marianus Castruccius fuit Judex Caralitanus, qui a Pisanis coactus regnum deposuit, et anno 1110 Genuensium auxilio illud recuperavit; quibus deinde pro accepto beneficio fidelitatem praestitit, et libram unam auri eorum ecclesiae cathedrali singulis annis pendere promisit, ut ex antiquis monumentis, et Hieronymo Zurita, et Aug. Justiniano constat.

Petrus de Lacono Gunnarii II. Judicis Turritani filius, et Nurcarae dominus, Caralitanum Judicatum occupavit, eumque a Willelmo marchione coactus abdicavit, et dolore amissi Judicatus in urbe Turritana obiit, ut ex Judicum Turritanorum libello constat. Hic anno 1166 Ubertum Ricaltum Genuensium Consulem et legatum in civitate et amicitia sua liberalissime recepit, eique jusjurandum fidelitatis praestitit, argentique libras decem millia quadriennio, et libras centum singulis annis, libramque unam ecclesiae cathedrali Genuensium solvere promisit, Pisanosque omnes e suo Judicatu expellere est pollicitus, ut Paulus Interianus et Augustinus Justinianus referunt.

Anno 1193 Willelmus marchio Massae Judicem Petrum de Lacono Judicatu Caralitano abdicare, et in urbem Turritanam se recipere coegit, ipsumque regnum Caralitanum vi armorum tenuit, Constantinumque II. Judicem Turritanum, qui ei obsistere, et nepotem in regno sustinere conabatur, bello superavit, et ejus uxorem Prunisindam, et castrum Gociani tenuit; pacem deinde cum Judice Comita ipsius Constantini successore fecit, castro Gociani in primis restituto, suaque filia Agnete Mariano ipsius Comitae filio uxore data, ut in Judicum Turritanorum libello legitur.

Anno deinde 1196 Marcellinus Drudus Genuensium praetor cum eodem marchione Willelmo bello decertavit, eoque victo oppidum s. Gillae, expugnavit, ruinis deformavit, et spolia resque omnes pretiosas, quae plurimae in palatio Marchionis, et toto oppido erant, Genuam adsportavit, ut ex Justiniano, Sigonio, et Interiano constat.

Praeterea Willelmus Judex anno circiter 1199 cum Petro Judice Arborensi bellum gessit, et eo victo captoque Judicatum Arborensem occupavit, illiusque regem se fecit; quod ex epistola Innocentii III. habemus, ut infra dicemus.

Anno 207 Petrus II. marchio Massae fuit Judex Caralitanus, et Arborensis, qui Benedictam uxorem duxit, et marchioni Willelmo successit, ut ex monumentis in Archivio ecclesiae Caralitanae reconditis constat.

Anno 1215 Dorgotorius Ranucius fuit Judex Caralitanus, ut ex iisdem monumentis apparet.

Constantinus ejusdem Dorgotorii filius successit Judici Caralitano. Ibidem.

Barison II. fuit Judex Caralitanus, et uxorem habuit nomine Benedictam. Ex iisdem monumentis. Barison iste fuit Arborensis.

Anno 1239 Willelmus II. Barisonis et Benedictae filius fuit Judex Caralitanus, multisque donis et privilegiis donavit Archiepiscopum Caralitanum, ut codices referunt.

Chianus marchio fuit Judex Caralitanus, et anno 1258 occisus fuit, ut refert Justinianus et Interianus. Hic castrum Caralis Genuensibus donavit, et illius possessionem Ogerio Scoto, et Johanni Panzano Genuensium legatis tradidit, eodem Augustino Interiano referente.

Willelmus Cepola Chiani nepoti in Judicatu Caralitano successit anno 1258 et eodem anno obiit Genuae, herede dicti Judicatus testamento instituta communitate Genuae, ut idem auctor est Justinianus.

Communitas Genuae, ut refert Zurita, Judicatum Caralitanum occupavit. Quare inter Pisanos et Genuenses renovatum est bellum, multisque commissis praeliis Pisani superiores castrum Caralis, illiusque suburbia, atque castrum Aquae-fridae, et Baratuli, et alia vicinae regionis oppida habuere. Cetera autem loca et castella Judicatus Caralitani ceperunt infrascripti; atque ita Judices Caralitani desierunt.

Marianus Judex Arboreae oppida et castella quaedam invasit, atque in suam ditionem redegit, quae anno 1295 Pisanis testamento reliquit.

Ninus Scotus Gallurae Judex tertiam partem Judicatus Caralitani occupavit, et in ea castrum Chirrae et Agugliastri cepit; atque Nino mortuo successit in ea parte Johanna ejus filia anno 1298, quam Barnabas filius Brancaleonis II. Auriae uxorem ducere cupiebat. Haec anno 1308 Ricardo De Canino domino civitatis Trevisii nupsit, ne referunt Corius, Landinus, ac praesertim Zurita.

Ugolinus Gerardescus Comes Pisanus oppidam Villecclesiarum, et Domus-novae, ejusque turrim, et alia vicina oppidula, eorumque maria acquisivit. Anno tamen 1288 a Pisanis captus, qui adversae factionis erant, in carcerem cum duobus filiis et nepotibus conjectus foetore et inedia necatus fuit; ejusque filii Guelphus et Lottus, ut superius diximus, contra Pisanos in Sardinia rebellantes, ab ipsis Pisanis victi, bonisque spo-

liati fuere, ut ex Villano, Sabellico, Justiniano, et MSS. monumentis constat.

Comites etiam de Donoratico sextam partem Judicatus Caralitani teste Zurita habuere, et in ea castrum Gioiosae-guardiae, Villam-massargiam, et Connesam cum omni regione Sigerri. Insigniores inter hos Comites fuere, Bonifacius, Novellus, Rainierius, Manfredus, Thomas, Gerardus, et Barnabas, ut auctor est Zurita. Horum autem Rainierius circa annum 1236 uxorem cepit Agnetem marchionissam Massae, et Caralis Judicissam, ut patet ex scripturis, quae in Archivio Caralitanae Ecclesiae servantur.

Judices Arboreenses

Anno 1050 . . . . primus Judex Arbororeae.

. . . . Marianus De' Zori fuit Judex Arboreae, ut ex antiquo codice MS. constat.

Honrocus, Seu Orzocorus Zori fuit Judex Arboreae, ad quem literas dedit Gregorius VII. anno circiter 1074, ut ex illius Reg. in Bibl. Vatic. constat. Hic Nivatam uxorem duxit, et ex urbe Tharra in promontorio s. Marci cum omni populo in Oristagni urbem commigravit, ut in antiquo cod. MS. legitur.

Torbenus Zori Honroco patri successit, et Annam de Lacono uxorem duxit; quod habemus ex eodem MS. cod.

Honrocus II. seu Orzocorus Zori fuit Judex Arboreae, et Mariam Orruu in matrimonio habuit, eodem MS. referente.

Comita Orruu pater dictae Mariae fuit et ipse Judex Arboreae, ut ex eod. cod.

Gunnarius de Lacono vel Gonnarius fuit Judex Arboreae, et Helenam Orruu uxorem duxit, ex qua tres habuit filias, nempe Helenam, Georgiam, et Pretiosam, totidemque filios, videlicet Constantinum, Comitam, et Honrocum, qui fuerunt Judices Arboreae.

Constantinus de Lacono Gunnario patri successit, et Annam Zori uxorem duxit, ut ex dicto cod. MS.

Comita II. de Lacono successit in Judicatu Constantino fra-

tri, et in matrimonio sibi copulavit Helenam Orruu, ex qua Barisonem filium et filiam Anastasiam habuit, ut ex cod. cod. MS. Hic Comita anno 1151, ut superius diximus ecclesiae cathedrali Genuensi medietatem fodinarum argenti Judicatus Arborensis, aliaque multa dona, teste Justiniano, contulit.

Honrocus III. Comitae fratri in Judicatu successit, ut ex eodem cod. MS.

Barison de Lacono Comitae II. patri et Honroco III. patruo in Jud. Arbor. successit; et primo Peregrinam de Lacono uxorem duxit, ex qua Petrum et Barisonem filios suscepit; mox, Peregrina defuncta, cum Algaburga secundis nuptiis se conjunxit. Hic anno 1164 a Genuensibus, quorum amicus erat, impulsus Ugonem Episcopum s. Justae, Philippum Justa et Bonvassallum Bulferium legatos ad Fridericum Barbarossam, Parmae tunc extantem, misit; ejusque explorata voluntate, e Sardinia triremibus Genuensium discessit, ac III. kal. julii Genuam appulsus, multitudine procerum Genuensium comitante, Papiam venit, ubi honorifice a Friderico exceptus, datisque quatuor millibus marcarum, IV. non aug. rex Sardiniae creatur et regio diademate solemnibus ceremoniis in aede D. Syri ornatur, Pisanis injuriam alte animo demissam haud tacitam ferentibus, quod Sardiniae regnum ad se spectare principes legationis Pisanae contenderent, ut ex Folieta, Sigonio, Justiniano, et Tristano Calco constat. Barison deinde Genuensium triremibus in Sardiniam reversus, pecuniam, quam ad regiam dignitatem emendam Genuensibus mutuam acceperat, ex publico postulat, cumque illam, impedientibus, ut creditur, Pisanis, habere non posset, Genuam reducitur, et in custodia primariis Genuae civibus, donec omnia exsolveret, traditur, ut idem Folieta, Sigonius, et Justinianus referunt.

Anno 1166 Ubertus Recalatus, unus ex Genuensium consulibus ab hominibus liberis Judicatus Arboren. septingentas libras tributi nomine accepit. Anno 1168 exacta collecta ex eodem Judicatu Barison maximam partem debiti exsolvit: tandem anno 1171 quum debitum integre persolvisset a custodia liberatus ab Othone Caffaro uno ex consulibus cum quatuor triremibus in Sardiniam reducitur, magna Genuensium caterva honoris causa illum comitante, et a populo Arborensi summa laetitia

solemnique apparatu recipitur, quod ex Justiniano, Folieta, et antiquis monumentis constat.

Anno 1191 Petrus De-Serra ipsius Barisonis filius patri successit. Deinde anno 1199 a Gulielmo Marchione Massae et Judice Caralitano bello victus, et cum parvulo filio Donnicello Barisone dicto, quem ex Bina uxore habuerat, captus Judicatum amisit.

Gulielmus, Justo Archiepiscopo Arborensi pulso, a suffraganeis Episcopis regale Judicatus Arborensis sceptrum accepit, ut legitur in epistola Innocentii III., quam in hunc modum Archiep. Caralitano, Episcopo Sorrano, et electo Archiep. Turritano scripsit.

» Cum pro controversiis . . . . Cum enim idem marchio « Judex Caralitanus, auctoritate quondam Apostolicae sedis « excommunicationis vinculo innodatus, nobilem virum Petrum « Arborensem Judicem, et filium ejus parvulum cepisset, et « nequiter carcerari fecisset, et custodia mancipari, eorum « terra, quam ab ecclesia tenebant, per violentiam occupata, ipse Archiepiscopus, quia natione Genuensis erat, iram « ipsius marchionis, et Pisanorum, qui secum erat, metuens « ad partes alias declinavit; in cujus absentia marchio et fautores ejus Arborensem Ecclesiam spoliarunt in parte; et suffraganei ejus et clerici dicto marchioni, tunc excommunicatione « notato, Arborensis terrae sceptrum solemniter concesserunt. « Verum quum tempore procedente idem Archiepiscopus ad « ecclesiam suam reversus praefatos clericos de eo, quod, ut « sibi videbatur, in contemptum Apostolicae Sedis fecerunt, « redargueret, nec vellet sine mandato Sedis Apostolicae praefatum marchionem habere patronum; timentes, ut credebatur, clerici, ne coram ipso Archiepiscopo de sua possent « incontinentia conveniri, contra eum cum dicto marchione « seditionem fecerunt; quem nihilominus in populo diffamantes per duos de sociis ad Sedem Apostolicam appellarunt. « Sed duobus mensibus post elapsis, poenitentia ducti, de « eo veniam postulantes, remissis utrinque injuriis, in ipsius « gratiam redierunt ». Ita in libro I. epistol. Innocentii Papae III. apparet.

Ea tempestate Ugo primus hujus nominis fuit Judex Arbo-

V. incontro. Tale condotta de' Pisani, derivò, a quanto credesi, dall'arti femminili di Giacomina, q.ta moglie del re Chiano, che dicendosi erede di Giovanna, figlia postuma di Chiano stesso e stretta in novello nodo con Tedice della Gherardesca, pisano potentissimo, voleva escludere Ugone dal principato Arborense come già vanamente avea tentato di escludere il padre suo Mariano, [illegible] finisce la nota.

Nome. 1322. Mariano Capraia d'Arborea per suo ultimo testamento aveva lasciato lo stato suo di Sardegna alla sua repubblica, la quale pigliandone il possesso lo tenne fino a questi tempi (non par vero). Era restato del giudice d'Arborea un giovane figlio nominato Ugone, il quale vedendosi in età perfetta domandò al Senato per sua grazia di essere restituito nel suo regno. La quale dovendo ad ogni modo mandare uno che governasse quel Giudicato alla domanda di Ugone rispose, che se egli rifaceva alla rep. i danari che aveva spesi in conservare quei luoghi, essa come madre pietosa e ricordevole de' figli gli avrebbe reso lo Stato paterno e creatole Giudice d'Arborea. Ugone avido di regnare si offerse di fare lo sborso e aiutato da' suoi parenti ed amici contò a' camarlinghi di Pisa 42000 fiorini d'oro e allora fatta investitura del Giudicato di Arborea, e rinunziare in Oristano godendo di gli antichi feudi di quella.

rensis cum eodem Petro patruo suo, qui juvenis in sinu Oristani a Cathalanis raptus ad Petrum Aragoniae Regem et Barchinonae Comitem adsportatur, a quo uxorem habuit, et Vice-comitatum de Basso, ut Hispani referunt auctores, qui tamen, in nomine et temporum digestione errant; eum namque Nicolaum vocant. Obiit Ugo anno 1234.

Anno 1234 Petrus Vice-comes de Basso Judex et Rex Arboreae successit Ugoni patri, et Dianam duxit uxorem. Deinde anno . . . . Comita De-Serra fuit Judex Arborensis et Vicecomes de Basso, antiquo MS. codice referente.

Anno 1265 Marianus II. De-Serra fuit Judex Arboren. et Vicec. de Basso. Hic anno 1291 turrem Portae-pontis, atque anno 1295 turrem castri Portae-maris in urbe Oristani aedificavit, ut in illius epitaphio legitur, et ab aliis monumentis constat. Ejus signum est hujusmodi

DC
7 VI IVIS
MA RVI ANI

In una nota alle Storie Pisane del Roncioni, fatta il 1328 leggesi: In capitoli aggiunti al Breve Pisani communis anno MCCCIII si ritrova uno dal quale appare quali diritti e giurisdizioni lasciasse Mariano al Comune di Pisa. ✝ De regno callaritano et honoribus pisani comunis in Sardinea manutenendis — Ego potestas sequens formam majoris et generalis consilii pisanae civitatis celebrati hoc anno MCCCIII ind. I, VI Kal. febr., et ratificationis dicti consilii, factam per consilium pisani populi suprascripti anno et indict. Juro ad sancta Dei evangelia quod castra terras villas honores jurisdictiones et bona, quas et quae tunc tenebantur et possidebantur per magnificum virum bonae memoriae Marianum vicecomitem de Basso, olim dominum Arboreae, sive alium quemcumque ejus nomine tempore mortis suae in toto judicatu Kallaritano et quas et quae idem magnificus vir dixit voluit et mandavit quod essent pisani comunis et populi et ipsi pisano comuni et populo reliquit et iudicavit per suum codicillum scriptum rogatum et firmatum per Nicolaum quondam Alaman de Lubeo, dominicae incarnationis MCCXCV ind. VIII pridie nonas jan., vel sub alio [illegible] sive alio notario rogatum. Et quae castra terrae et villae honores et jurisdictiones et bona pervenerunt et sunt in fortia et virtute pisani comunis defendam servato et tuebor tota mea et pisani comunis et populi pisani fortia et virtute per vim et rationem, ita quod ipsa castra terre et villae honores jurisdic. et bona quae possidebantur, ut dictum est per ipsum dominum Marianum vel alium pro eo tempore suae mortis liberae sint et remaneant et remanere debeant et remaneant dominio et ditioni pisani comunis et populi.

Hic castella et imperium quibusdam in locis Judicatus Caralitani habebat, quae anno 1295 communitati Pisanae condito testamento reliquit, Johanne ejus filio haerede instituto.

Anno 1299 Johannes De-Serra, patre defuncto, fuit Judex Arborensis, et Vicec. de Basso, duosque filios habuit Andream et Marianum, et resignavit anno 1301, ut ex antiquis monumentis constat.

Anno 1301 Andreas et Marianus fratres fuerunt simul Judices Arbor. et Vice-comm. de Basso, qui anno 1308 habebant castra Montis-acuti, Montis-ferri, et Bosam urbem, quam à marchionibus Malaspina pignori acceperant, ut ex Zurita, et aliis Hispanis auctoribus constat, et in antiquis monumentis legitur. Mortuo Andrea Marianus solus Judicatum tenuit, nullaque legitima superstite prole obiit anno 1321, ejusque filius nothus invitis Pisanis sufficitur in suum locum.

Segue la nota — Ugone successe al padre nel 1321. Nota il Villani (IX 195) che quando prese la Signoria i pisani si opposero che egli era bastardo e convennesi ricomperare dal Comune di Pisa per aver la Signoria, diecimila fiorini d'oro, senza il giuramento di cittadini di Pisa per non lo loro amico di cuore — Vedi incontro

Concioni an. 1323. In questo mezzo Jacopo Re di Aragona pentitosi di non aver fatta l'impresa della Sardegna in altro tempo mandò a chiedere quest'isola a' Pisani dicendo: spettarsi a lui, essendone stato privilegiato e investito persino al tempo di Bonifacio VIII con questo patto che la togliesse a quelli che l'avevano occupata — Veduto queste cose i pisani e dubitando che il novello Giudice d'Arborea non tenesse dalla parte del Re per alcuni sdegni nati fra loro cercarono darli un compagno nel governo. Della qual cosa egli grandemente irritato mandò i suoi ambasciatori al Re e gran tesoro perchè quanto prima passasse con grande armata all'acquisto di Sardegna.

140 Ugo De-Serra Judex Arborensis, et Vice-comes de Basso. Hic postea a Pisanis quindecim florenorum millibus Judicatum redemit. Pontentissimus fuit; nam tertiam partem insulae sub sua ditione habebat, ut refert Joh. Villanius. Fuit Ugo iste Pisanorum osor, et Alphonsi Aragoniae Regis fautor, atque in adipiscenda Sardinia adjutor. Habuit quatuor filios legitimos, quorum duo Petrus et Marianus fuerunt Judices Arboreae, tertius, nomine Johannes, fuit a patre relictus dominus civitatis Bosae, castri Montis-Acuti, et Terrae-novae, qui duxit uxorem Sybillam a Moncada, filiosque suscepit, Petrum qui cum patre in carcerem conjectus obiit, Benedictam, quae postea fuit domina civitatis Bosae, et Johanni Carroz nupsit, a quo Berengarius Carroz Comes Quirrae processit, et Nicolosam, quae cum Nicoloso Auria Galeotti filio matrimonium contraxerat. Johannes apud Regem Aragoniae, et in acquisitione Majoricarum insignis fuit, sed postea petendo paternam hereditatem, partem Judicatus Arboreae, a Mariano fratre in carcerem conjectus obiit anno 1356. Ejusdem dominatum Johanna praefata a Rege habuit. Quartus Ugonis filius fuit Nicolaus vir ecclesiasticus et quidem optimus. Habuit praeterea Ugo duas legitimas filias, Mariam, quae nupsit Gulielmo Galzerando Cabrera Rocaberti, et Bonaventuram, quam anno 1330 Petrus Exerica uxorem duxit. Habuit etiam filium unum spurium Laurentium nomine, ut ex Zurita et optimis monumentis constat. Nec desunt, qui referant alias duas filias habuisse, quarum unam Nicolao Carroz, aliam Gulielmo Camellino nupsisse tradant.

Anno 1336 Petrus De-Serra Ugoni patri successit Judex Arboreae et Vice-comes de Basso, uxorem duxit Constantiam de Saluciis regis Aragoniae propinquam. Regnavit annos decem, et obiit sine prole, eodem Zurita referente.

Anno 1346 Marianus De-Serra successit Petro fratri Judex Arbor. et Vicec. de Basso. Hic antea, anno 1338, fuerat a Rege Petro creatus Comes Gociani. Habuit uxorem Timboram, alias Timborgetam, ex Vice-comitibus Rocaberti, quae oppidum Capitis terrae a Joh. Villanio de Gaetanis, filio Jacobi, hoc tempore mille septingentis scutis aureis emit; ac postea anno 1361 Dalmatio de Rodegui duobus millibus florenis idipsum ven-

Il che presentagli andossi al Senato pisano si radunò più volte e deliberossi di torcesse far ogni cosa per mantenimento del nominato regno; ma che prima d'ogni altra cosa si facesse intendere il tutto al papa, acciò quando possibile rimediasse a questa nascente guerra la quale danno non piccolo avrebbe recato alla cristianità; e da poi non fermando il pontefice la furia del Re di Aragona si procurasse l'aiuto di Genova, mandando nuovi capitani e gente in Sardegna. Furono mandati in Avignone ambasciatori al papa Ranieri Tempanelli dottor di legge e Guidone Fauglia i quali ebbero commissione di trasferirsi a Genova con esortare quella rep. che volesse mandare la sua armata in difensione dell'isola di Sardegna in compagnia della nostra. I quali giungendo a Genova ottennero da quella città quanto seppero domandare ma dal Papa non trassero se non parole, e senza alcuna risoluzione se ne tornarono in Pisa, dove non si trattava d'altro, che di questa guerra, e gli ambasciatori avevano avuto nuova certissima, che il Re Jacopo si trovava in ordine con una grossa armata. Pertanto si accelerarono i capitani e le genti che dovean passare in Sardegna, otto principali cittadini erano stati eletti dal Senato per guardia di quell'isola, 800 soldati e 2000 balestrieri pisani. I capitani furono Bernardino Lancia di casa Sei, Lupo Gualandi, Bacciameo Gismondi, Matteo Turchio, Jacopo Gualandi, Giovanni Lanfranchi, Giovanni Cinini (questi sei fuor il Lancia erano dell'ordine equestre) e l'ottavo capitano fu Pietro Federighi. Alfiere generale della rep. Pietro Rustici; camarlingo di quest'esercito Gherardo Nazari de' Lanfranchi. Giovanni Cinini e Pietro Federighi andarono in Cagliari, Giovanni Lanfranchi in Gallura, Bernardino Lancia in Terranova. Provvista l'isola e le sue terre furono armate dalla rep. 30 galere, delle quali 8 erano di gente forestiera che chiamate vennero a dar aiuto a questa città. Ecco i nomi di alcuni capitani

forestieri Pietro Guercio da Marsiglia e Lanfranchino Avvocario da Ventimiglia suo nipote padroni della galera S. Caterina, Antonio Astulfo da Monaco capo e signore di quella nominata S. Antonio, Raimondo Embo da Marsiglia con S. Maria de Paradiso, Jalogo Jozi da Nizza e Broiardo Giustarino da Varagine con l'Alcona, Angelo Negro e Gottifredo Gentile con S. Nicolao, Baldovino Grimaldi genovese, e do po di loro i Genovesi con Gaspare Doria con 10 galee si appresentarono a Portopisano per fare la volontà di questa rep., la quale avea armate 30 galee e commessone la cura a Francesco Zaccio, che venuto nei mari di Sardegna tolse a' catalani alcuni legni e con quelli si ridusse in Portopisano, e si congiunse co' genovesi e gli altri capitani nominati riferendo ciò che avea saputo da' catalani presi nel porto di Arestano sopra una grossa cocca che Alfonso non potea tardare a giungere nell'isola.

didit. Ex Timborgeta filios suscepit Ugonem, Leonoram, et Beatricem, de quibus infra dicemus.

Marianus iste leges Sardas in codice vulgo dicto *Carta de Logu* scriptas, quibus adhuc utimur prudentissime condidit ac promulgavit, regnumque Sardiniae adfectavit, indeque bello cum regno Aragoniae inito Algariam, Villecclesias, et majorem partem regni subegit; fuitque ab Urbano V. in amplissimo Cardinalium Collegio, ob Regis Petri inobedientiam, Rex Sardiniae nominatus. Sed re infecta Marianus decessit vigesimo nono regni sui anno, ut ex Zurita colligitur.

Anno 1375 Ugo Mariano patri successit Judex Arborensis, Comes Gociani, et Vice-comes De Basso, dominusque Sardiniae fuit appellatus. Bellum a patre in Petrum Regem Aragoniae susceptum prosequutus superbe et inique imperavit. Quare a suis interfectus decessit anno sui regni octavo, nulla superstite prole, ut in monumentis conditis in Archivio urbis Sassaris, et in Zurita legitur.

Anno 1383 Fridericus filius Brancaleonis Auriae et Leonorae filiae Mariani adhuc infans successit avunculo in Judicatu Arbor. Comitatu Gociani, et Vicecomitatu De Basso, invitis Arborensibus, qui Judicum dominatum exosi libertatem acclamantes regnum ad civilem communitatem reducere conabantur. Eorum tamen audaciam Leonora Judicis mater compressit, omnesque in filii obedientia continuit. Ille tamen adhuc parvulus obiit, ut ex nuper laudatis monumentis, et ex Zurita patet.

Anno 1387 Marianus alter Brancaleonis filius ex eadem Leonora Friderico defuncto fratri in Judicatu, Comitatu, et Vice-comitatu adhuc infans successit, et anno sequenti abdicavit.

Anno 1388 Leonora Mariani filia, Brancaleonis Auriae uxor, Judicatum, Comitatum, et Vice-comitatum ex Regis Aragoniae concessione sub spe pacis in feudum habuit, ac viriliter et summa cum laude regnum administravit, auxit, legesque dedit, quas simul cum aliis a Mariano patre conditis, uno volumine vulgo *Carta de Logu* dicto compilavit, ut ex illo, quo ad huc utimur codice, constat. Inde bellum cum Rege Aragoniae gessit, et postea anno 1403 obiit magno Arborensium populorum luctu, et moerore, ut Zurita et alii referunt.

Anno 1403 Marianus, matre defuncta, Judicatum Comitatum

Ugone prima che giungesse l'armata aragonese mandò un bando sotto pena della persona e della robba che nessuna persona potesse portar fuori della sua città sorta alcuna di frumento, e fece di questo stipulare pubblico istromento il quale fu rogato da Pietro Tenna d'Arestano, cancelliere e suo notaio nel ballatoio ovvero verone occid. della sua corte alla presenza di Tommaso Corona, cavaliere e nobilissimo pisano e di Cione Cicognini, nato di nobilissima famiglia.

In una nota: « Fece mettere a morte quanti pisani e loro soldati si trovarono in sue terre ed espulse i pisani suoi familiari e soldati. Villani IX 198 Cron. di Pisa. Murat. S. R. I. XV 998 Cr. Pis. in Baluzio 1. 455.

La nuova del prossimo arrivo di Alfonso fu cagione che i pisani aggiungendo alcune cose all'armata la mandassero in Sardegna

Primieramente volsero che la loro fosse guidata da Francesco Zaccio e da Colo Scarti sotto titolo di vice-ammiraglio di quella, dandogli diciannove galee per ciascuno con quelle assoldate da loro. Dettero a questi due capitani per consiglieri Ciolo Grassulini, Puccio Oculi e Banduccio Buonconti

Ranieri Granchi che descrisse la battaglia con gli aragonesi, narra che per aver le gal. arag. le poppe più alte delle pisane e genovesi, i pis. e gen. rimasero perditori; ma non da particolarità. R. I. S. de Granchi l. 4 Murat. S. R. I. XI, 329.

Vice-comitatum iterum assumpsit; sed sine prole obiit in ipsa adolescentia anno 1407.

Anno 1407 Brancaleo Auria defuncto filio in Judicatu succedere conatur; et Gulielmus de Tinieriis Narbonae Vice-comes, qui Beatricem Mariani Judicis filiam et praefatae Leonorae sororem; duxerat uxorem, jus in Judicatum, Comitatum, et Vice-comitatum habere opinatus copias in Sardiniam duxit, et percusso cum Brancaleone Auria foedere contra Aragonenses strenue in Sallurensi agro cum Martino Juniore dimicavit, victusque insula excessit; sed novo reparato exercitu mox reversus urbem Sassaris, magnamque partem Judicatus Logudori occupavit, et Judicem Arboreae se gessit, cujus vicarius fuit Aimericus Narbonae, ut ex MSS. authenticis tabulis constat. Brancaleo vero in eo bello captus decessit, et Leonardus Cubellus insignis vir Arborensis, qui urbem Oristagni et vicina oppida occupavit ab Arborensibus Judex habitus, sed a Petro Torrella Aragonensium duce obsessus, ex conditionibus pacis suppresso Arborensis Judicis nomine, titulo marchionis Oristani anno 1410 condecoratur.

Anno 1419 Gulielmus de Tinieriis filius Gulielmi Narbonae Vice-comitis defuncto patre successit in Vice-comitatu et jure Arboreae; sed acceptis centum millibus ducatis a Rege Alphonso cessit Leonardo Cubello et Sassarensibus juribus suis die XII. kal. sept. anni 1420, atque ita desierunt Judices Arboreae, et fuerunt infrascripti marchiones Oristani, ut constat ex multis monumentis.

Marchiones Oristani.

Anno 1410 Leonardus Cubellus fuit primus Marchio Oristani et Comes Gociani a Petro Torrella prorege IV. kal. apr. solemniter creatus, atque uxorem duxit Quiricam de Jana, ex qua duos filios habuit Antonium nempe et Salvatorem, et V. id. nov. obiit anno 1427.

Anno 1427 Antonius Arboreae defuncto patri successit marchio Oristani, et Comes Gociani, et anno 1431 Salvatorem fratrem sibi reconciliavit iratum, villas Cieris, et Ludovici

Roncioni l. 2. storie pisane

288\. Dopo la morte di Ugolino, il Giudice di Gallura, Lotto Gatto, degli Orlandi, gli Upezzinghi e molti altri fuorusciti minacciarono se non erano rimessi nella città di venire contro la medesima, e calarono dalla banda di Lucca nella valle di Calci, presero il castello Caprone, fecero gravissimi guasti nel Valdarno, ma i pisani assalendoli poi di notte li costrinsero a ritornare in Pisa. Nel settembre il Giudice soccorso da Fiorentini, Lucchesi e Pistolesi e dalle città guelfe venne nel contado di Pisa e prese il castello d'Asciano.

Guelfo figlio il maggiore del C. Ugolino ~~trovandosi~~ si ritrovava in Sardegna al tempo della tragedia, e dubitando di quello gli sarebbe potuto intervenire non si tenendo sicuro nel castello di Castro avendo avuto piena notizia della morte di suo padre, de' propri fratelli e de' propri figli con la contessa sua consorte si partì di detto luogo a Villa di Chiesa, terra del Giudicato del padre e oltremodo fortissima. E perchè una fortezza chiamata la Gioiosa gli faceva grande impedimento non guardando che ella fosse in quella parte del Giudicato sottoposto al Conte Bonifacio con inganni gliela tolse; e quelli che governavano nel castello di Castro mandarono a dire a' Pisani ~~[illegible]~~ le novità occorse.

Guido di Montefeltro podestà e capitano del popolo battè i guelfi; ma questi nel 1290 tornarono nel piano di Pisa con grande esercito raccolto dalle città guelfe della Toscana facendo grandi danni. Il Conte Guido ebbe altri vantaggi detta una gran rotta a' Visconti.

L'anno seguente 1291 Ugolino Visconti non ~~fu~~ satisfatto di' danni che tuttodì riceveva la rep. per sua causa cercò toglier il suo pastore che così virilmente l'avea difesa dal Tiranno e detteglì una querela presso il Papa accusandolo complice della morte del C. Ugolino.

Si venne alla pace tra i fiorentini, Lucchesi e le città guelfe di Toscana, e gl'usciti guelfi di ~~Pisa~~ ~~[illegible]~~ questa repubblica — Erano queste le condizioni che Guelfo e Lotto Gherardeschi, conti di Donoratico, nè meno i figli loro, nè i nipoti, nè i discendenti del Conte Ugolino non fossero compresi nella pace, che i Conti Montecuccari, i conti Collegarli e le persone di quel castello non godano alcun beneficio di quest'accordo fino a che il castello di Montecuccari non ritornasse alla obedienza di Pisani, che il simile s'intenda di tutti gli Upezzinghi; che le città nominate di sopra e le terre e comunità dette siano libere ed esenti in Pisa e nel suo contado da ogni gravezza tanto per terra quanto per acqua; che i Pisani abbiano le medesime franchigie e immunità in Firenze e nel suo distretto e in tutte le città e castella che avean mandato i loro ambasciatori in Fucecchio a questa pace, che furono Lucca, Firenze, Siena, Pistoia, Volterra, Sangimignano, Samminiato, i Colligiani, i Poggibonzesi. Anche il Giudice Ugolino con gli altri ribelli vi avevano due procuratori. Fu questa pace di Fucecchio giurata da tutti gli ambasciatori addì 12 Luglio 1293.

In questo tempo si suscitarono gravi tumulti in Sardegna per la morte di Vanni Gubbetta, fratello di Buonaccorso Gubbetta, che quando fu imprigionato il Conte Ugolino, trovandosi vicario di Ruggiero arcivesc. di Pisa, vogliono che fosse consenziente alla sua morte. Pertanto il Conte Guelfo figlio d'Ugolino dopo esser partito dal castello di Castro, occupato Villa di Chiesa e la fortezza detta Gioiosa, e pervenutogli nelle mani questo Gubbetta Vanni, per vendicare la morte di suo padre lo fece sopra una carretta attenagliare con tormenti inauditi e poscia per vituperio squartare da quattro fierissimi cavalli. Il quale atto dispiacque fortemente ai pisani e deliberarono di farne aspra vendetta

quandoche venne nuova certa che i genovesi avean liberato dalle prigioni Lotto (preso nella Meloria) con pagarne 20 m. lire di genovini e che con molti suoi amici e consorti era passato in Sardegna; ed essendosi unito con il fratello minacciavano amendue non contentarsi della privata fortuna di quello che si trovavano avere; ma di soggiogare quell'isola e con l'aiuto de' Genovesi torne il dominio a' Pisani. I quali per queste ragioni bandirono loro la guerra (1294).
Nel 1295 fatto podestà di Pisa e capitano del Popolo il Conte Rugiero dal Colle di Valdelsa i pisani mandarono Lapo Villani con molta gente in Sardegna per raffrenare l'insolenza de' due conti Gherardeschi, che con l'aiuto de' Genovesi facean grandi progressi nell'isola. Il quale essendovi giunto e maneggiando la guerra col favore e consiglio del Giudice di Arborea pose l'assedio a Villa di Chiesa, la quale si rese a patti a' Pisani. Ed uscendone i conti per andare ad Acquafredda (terra grossa) con molti soldati, mentre che i pisani entravano dall'altra banda nella terra intervenne che il cavallo sdrucciolando cadde e si rinchiuse sotto il conte Guelfo, che riconosciuto da Giovanni Squilla fu da lui malamente ferito e condotto a Terranova e poi a Sassari dove ultimò i suoi giorni. Per la qual cosa i Pisani riacquistarono Terranova, Acquafredda, Villa di Verro, Urizza, Posata (castello) Villa di Petresso, Galtello e molti altri luoghi che si erano allontanati dalla devozione di questa repubblica, e così per alquanto tempo si quietarono le cose.
1296. L'Arcives. Rugieri condannato dal Cardinal Colonna a perpetuo carcere per essersi trovato presente e confermata la morte di Ugolino e de' suoi, e morto essendo per tanto dispiacere et affanno e di dolore il Giudice di Gallura spezzò le corna della superbia dispregiando la pace contratta con la sua città e fermata con giuramento andando a Genova si fece cittadino di quella città, e i genovesi per gratificarselo cavaron di prigione tutti gl' Upezzinghi, Visconti, i Duodi, i Gaetani, promettendo egli all'incontro passare in Sardegna e turbare lo Stato che Mariano <u>Visconti</u> (qui c'è sbaglio e dee dir Capraia) aveva per suo testamento lasciato alla Rep. — Si obbligavano i Genovesi mentre durava la guerra in Sardegna di non far pace nè tregua co' Pisani senza sua saputa, di aiutarlo a ricuperare le terre del suo Giudicato, e di tenere dieci galere armate fino a guerra finita intorno alla Sardegna. Con le famiglie di sopra nominate furono liberati molti aderenti del Giudice, d'alcuni de' quali ecco i nomi, Guglielmo Ricoveranza, Rinieri Perfarai, Angelo Fante, Nanni Pancaldo, Bernardino Corso, Gherardo Bozzani, Filippo Quintavalle, Lino Masso, Gio: Ventrigli, Arrigo Cavatorta, Simone Monacelli, Puccio Sighieri, Bindo Busalo, ma che fine ebbe quest impresa da me non se ne tratterà più perchè gli annali di Pisa lasciandola imperfetta non ne ragionano più
Nel 1300 fu per anni 29. stabilita e fermata buona e perfetta pace con i Genovesi, a' quali, secondo Gio. Villani, si concedette parte dell'isola di Sardegna e la terra di Bonifacio in Corsica con obbligo a' pisani di non navigare con galee armate per anni 15. Gli scrittori [illegible] dicono che i Pisani dettono Sassari ecc. Ma gli annali di Pisa non ne fanno menzione; e solo riferiscono che furono liberati tutti i prigionieri che erano in Genova e che i guelfi dubitando della parte ghibellina non volsero tornare in Pisa; ma essendo capo al Re di Aragona Iacopo III lo incitasser e inanimissero alla impresa della Sardegna dimostrandogli la facilità grande di quell'isola. La qual cosa essendo

essendosi scoperta in Pisa il Senato vi provvide per suo decreto in questo modo che per pubblico suo decreto privò i Conti Gherardeschi, i Visconti e i Conti di Capraia potentissime famiglie di Pisa e appropriossi al fisc tutte le terre e i luoghi che aveano per l'addietro tenuto in feudo dalla rep.

Il legato del papa (1310) V. Fara tom. 2. p. 115.) non avendo potuto comporre le discordie de' toscani se ne partì; e partito i fiorentini mossero contro Arezzo, che avea ricettato i fuorusciti. Arezzo mandò per soccorso alle città collegate, e Pisa per esser sua causa (ghibellina) vi mandò molta gente a cavallo e a piedi (Agost. 1311.) e però i fiorentini si levarono dalla impresa. La parte guelfa irata contro i Pisani deliberò di travagliarli circa il possesso di Sardegna, e fatto consiglio universale mandarono a Jacopo re di Aragona esortandolo all'impresa di quell'isola, la quale era facilissima per ritrovarsi le forze de' pisani estenuate e deboli, massime sul mare, ponendogli innanzi la nobiltà e ricchezza sua e il comodo che i suoi popoli ne avrebbero sentito, e alle altre ragioni aggiungevano questa che per esser la famiglia reale stata investita da' passati pontefici rom. dovea per via d'armi cercare di acquistar quello che leggittimamente se le apparteneva; ma gli ambasciatori che i pisani aveano presso il Re volsero altrove la sua mente, contro i Mori di Granata e con promettergli e dargli una grossa somma di denaro furono principalissima causa che egli con una potentissima armata andasse contro i Mori di Granata.

1311. Mandarono Ranieri Orselli pisano, capitano della galea chiamata il Salvatore con 80 balestrieri, che da lui furono lasciati nella fortezza del castello di Castro, costituendo per camarlingo di quel luogo Mino Rosermini

Addì 16. Agosto si ragunò il Senato e dette udienza pubblica agli ambasciatori genovesi i quali si rallegrarono con la repubbl. della pace fatta tra loro.

Pontis cum mille florenis illi tradendo, ac deinde obiit anno 1457.

Anno 1457 Salvator Arboreae Antonio fratri defuncto successit in Marchionatu, et Comitatu. Uxorem duxit Catharinam Centelles, et obiit idibus februarii anno 1470 nulla superstite prole.

Leonardus Alagon filius Artaldi Alagon domini Sastagi, et Benedictae Arboreae sororis praedictorum Antonii et Salvatoris, a Salvatore patruo heres institutus successit Marchio Oristani et Comes Gociani, uxoremque duxit Mariam Morillo; et anno 1477 id. octob. a Rege Johanne, ut infra videbimus, perduellionis reus judicatus, Marchionatum Comitatum et omne dominium amisit; belloque victus, et in castro Xativae custoditus obiit, duobus filiis, Antonio videlicet et Johanne, e custodia ejusdem castri jam solutis, superstitibus. Ejus autem primogenitus Artaldus fortiter dimicando una cum Leno belli duce obiit, alter ejus filius nothus Michael in castro Sassaris detentus cum alio ejus fratre et duabus sororibus spuriis tandem ab humanis decessit: atque ita Reges Aragoniae et Sardiniae fuerunt marchiones Oristani, et Comites Gociani, iisque titulis huc usque insigniuntur; de quibus infra dicemus.

De Episcopis, qui Judicum temporibus floruere.

Anno 1073 Jacobus Archiepiscopus Caralitanus, cui Gregorius VII. mandavit ut secundum Ecclesiae occidentalis consuetudinem ipsi et Clerici Caralitanae provinciae barbam raderent. Quod quum Orrocus Caralitanus Judex aegre ferret, idem Gregorius III. non. nov. has literas Orroco scripsit.

« Gratias Omnipotenti referimus, etc. . . . Nolumus autem « prudentiam tuam moleste accipere, quod Archiepiscopum « vestrum Jacobum consuetudini S. Rom. Ecclesiae, matris « omnium Ecclesiarum, nostraeque specialiter ordinationi obe- « dire cogimus; scilicet, ut quemadmodum totius occidentalis « Ecclesiae clerus ab ipsis fidei christianae primordiis barbam « radendi morem tenuit, ita et ipse frater noster Archiepi- « scopus raderet. Unde eminentiae quoque tuae praecipimus,

« ut ipsum seu pastorem et spiritualem patrem suscipiens et « auscultans, ejus cum consilio, omnem tuae potestatis clerum barbas eradere facias, atque compellas, resque omnium « renuentium, nisi demum consenserint, publices, idest Ecclesiae Caralitanae tradas, et ne ulterius se intromittant, co- « stringes, nec non ipsum ad honorem Ecclesiarum defen- « dendum promptissime adjuves etc. ». Ita ex ejus regesto in Bibliotheca Vaticana recondito.

Praeterea s. Georgius Sardus Episcopus Suellensis, Lucifero et Vincentia parentibus Sardis procreatus, ab incunabulis claruit miraculis. Nam infans, quum reliquos dies lac nutricis frequens sugeret, quarta et sexta feria semel dumtaxat, idque vespere, sugebat. Cumque baptizatus et diligenter nutritus, liberalibusque disciplinis eruditus, sapientia et aetate profecisset, cleri sortem subiens, jejuniis, orationibus, et elemosynis adeo intendit, ut summo omnium consensu Episcopus fuerit creatus. Quo tempore daemones fugavit, infirmos curavit, illuminavit caecum, suscitavit mortuum, aliaque permulta edidit miracula, quae in ejus historia a Paulo . . . . conscripta, et in Bibliotheca Ecclesiae Caralitanae recondita, traduntur. Obiit IX. kal. majus, et honorifice sepultus in Ecclesia Suellensi, quae ab eo postea fuit appellata, in qua maximas virtutes et frequentia prodigia Deus in sui servi honorem esse operatum testatur idem suae vitae auctor, et operari adhuc continua comprobat experientia.

De Principibus Sardiniae.

Iisdem Judicum temporibus quidam Sardiniae Principes appellabantur. Quae auctoritas illi ab Imperio data nihil Pisanorum aut Genuensium dominio, et Judicum dignitati detrahebat, ut inquit Joh. Bapt. Pigna.

Horum Principum origo incomperta est, et supra Imizzam nihil certe habere potui, quare Principum seriem ab eo exordiar.

Anno 1013 Imizza a Seligua de Elisebrik Henrici ducis Noricorum, et Friderici ducis Lotharingiae in Sardiniae principatu heres successit, fuitque Guelfonis II. Bavariae ducis

uxor ut ex Pigna, Nauclero, et abbate Verspergiensi constat.

Anno 1055 Guelfus filius Azonis Estensis in Italia Comitis, et Cunizae filiae Guelfonis et Imizzae, heres ab ipsa Imizza institutus successit in Principatu Sardiniae, et fuit dux Bavariae, Carinthiorum et Spoleti, nec non marchio Thusciae et Veronae, uxoremque duxit Reginam Angliae viduam, filiam Balduini comitis Flandriae Juditham, ex qua duos filios genuit Guelfonem et Henricum, obiitque in insula Cypri, ut referunt Pigna et Panvinius.

Anno 1101 Guelfo, defuncto patre, in Sardiniae principatu successit, fuitque Bavariae, Corinthiorum, et Spoleti dux, ac marchio Thusciae, Veronae, ac Mantuae. Duxit Mechtildem, ditissimi Italici marchionis Bonifacii filiam, in uxorem, quam tamen postea interveniente divortio repudiavit, et sic sine sobole obiit, Ducatusque Bavariae una cum aliis bonis, juribus, et titulis ad Henricum fratrem suum pervenit.

Anno 1118 Henricus iste, adhuc vivente patre, uxorem duxit filiam Majoris, alias Magni, ducis Saxoniae nomine Guelfildem, ex qua genuit Cunradum Henricum, et Guelfonem, et quatuor filias Juditham, Sophiam, Matildim, et Guelfildem.

Anno 1125 Guelfo tertiogenitus ex Friderici Regis beneficio in Sardiniae principatu patri successit, habuitque Ducatum Spoleti, Marchiam Thusciae, et totam terram Mechtildis comitissae. Duxit uxorem Gotfridi sororem ditissimi Palatini de Tubinga et Comitis de *Ralu*, Utam nomine; ex qua genuit filium referentem nomen suum. Hierosolymas postea cum cruce-signatorum exercitu profectus Sardiniam revertitur, et Thusciam petiit, omnesque res sui Principatus et Comitatus recte disposuit, donec senio confectus, et a Friderico Barbarossa princeps Sardiniae, dux Spoleti, et marchio Thusciae confirmatus, Principatum cum Ducatu et Marchionatu Guelfoni filio cessit, ut Pigna, Nauclerus, et Panvinius testantur.

Anno 1163 Guelfo Junior paterna donatione Principatum Sardiniae et Ducatum Spoleti cum Marchionatu Thusciae suscepit, et quinquennio post obiit sine liberis, at patre superstite.

Anno 1168 Guelfo Senior, defuncto filio, pristinam dignitatem resumpsit. Deinde patruelem suum Henricum ducem Saxoniae atque Bavariae heredem accivit, quantitatem pecuniae

pactus. Hanc autem dum consequi putat spe frustratus fuit: nam Henricus Guelfonem jam grandaevum cito moriturum existimans argentum constitutum dare distulit. Qua re commotus Guelfo Friderico Ænobardo Imperatori primo hujus nominis, cognato suo, recepta ab eo pecunia, marchionatum, ducatum, et principatum resignavit, et obiit anno 1196, Pigna et Nauclero referentibus.

Anno 1174 Fridericus I. Imperator, Friderici Suevorum Ducis et Juditae Guelphonis sororis filius, cessione ejusdem Guelfonis principatum Sardiniae, ducatum Spoleti, et marchionatum Thusciae obtinuit, et Beatricem filiam Rainaldi Burgundiae comitis duxit uxorem, ex qua genuit Henricum, Fridericum, Cunradum, Philippum et Othonem. Obiit postea suffocatus in fluvio Armeniae, ejusque cadaver Tyrum translatum ibidem sepultum fuit, ut referunt Pigna, Panvinius, et Nauclerus.

Anno 1190 Henricus VI. Oenobardus, defuncto patre Henrico Rom. Imperator a Caelestino P. M. coronatus in principatu Sardiniae successisse creditur. Uxorem duxerat Constantiam Gulielmi Siciliae Regis filiam, ex qua Mariam et Fridericum suscepit. Obiit Panormi in Sicilia, et in Cathedrali sepultus fuit.

Anno 1198 Fridericus Henrici Imp. et Constantiae filius adhuc parvulus successit in principatu Sardiniae. Postea fuit Romanorum Imperator, hujus nominis II. ac Rex Siciliae et Sueviae dux, qui et dicebatur Rex Sardiniae, teste Ænea Sylvio et Nauclero. Sex duxit uxores, ex quibus plures habuit filios et filias. Ex aliis foeminis suscepit quatuor spurios, in quibus fuit Entius, quem Sardiniae Regem fecisse diximus. Obiit Fridericus Apuliae, ejusque cadaver Siciliam translatum in Archiepiscopali Ecclesia Montis-regalis sepultum fuit.

Entius sive Henricus praedictus filius nothus Friderici anno 1234 Rex Sardiniae a patre declaratur. Sed quia arma simul cum Pisanis suscepit, et Cardinales ceterosque praelatos ad Concilium Romam adnavigantes invaserat, et ceperat, excommunicatus regnoque privatus fuit, tandem a Bononiensibus debellatus et captus missusque in caveam ferream obiit Bononiae, ut diximus. Ita desiere Sardiniae Principes. Pisani etiam eadem de causa privati jure Sardiniae a Romano Pontifice fuere, qui ad Reges Aragoniae, de quibus in sequenti libro dicemus, regnum transtulere.

INDEX



LIBER I.

LIBER II.

		ERRATA	CORRIGE
pag. V.	lin. 17	Accipe igitur. Praesĕs	Accipe igitur, Praeses
—	» 28	et adpristinam	et ad pristinam
—	» 29	foelicitatem	felicitatem
VI.	» 18	Ceteraque	Caeteraque
15	» 7	Justinius	Justinus
—	» 7	faerunt	fuerunt
—	» 8	Regi adularentur, verum	Regi adularentur. Verum
—	» 14	injerunt	inierunt
—	» 24	venum jerint	venum ierint
42	» 3	sylvestro	Sylvestro
51	» 9	Justininiano	Justiniano
63	» 15	idololariae	idololatriae
65	» 18	Innoentium	Innocentium
66	» 3	invigiliare	invigilare
—	» 36	regestro	regesto
69	» 2	Episcopis	Episcopus
73	» 6	cujus etas; atque locus	cujus ætas, atque locus
76	» 21	vigilas	vigilias
79	» 4	Victorius	Victorii
—	» 14	exoratas	exaratas
80	» 22	consentiams	consentiamus
81	» 9	Raymundo Ru o	Raymundo Ruffo
—	» 14	Obtimates	Optimates
—	» 35	obbligationibus	obligationibus
87	» 4	injurie	injuriae
88	» 24	in quatuor partes divisam, neque	in quatuor partes sive Judicatus divisam, nempe Turritanum
91	» 26	rerum Pisanorum	rerum Pisanarum
92	» 16	tetamque circumjectam	totamque circumjectam
—	» 29	immunes et exempli	immunes et exempti
94	» 8	beneficiis imperiabilibus	beneficiis imperialibus
95	» 10	ingenti praeliu	ingenti praelio
99	» 22	apud Meoram	apud Meloriam
101	» 11	navim Pisanum	navim Pisanam
—	» 21	mugna	magna
102	» 10	vexare cepit	vexare coepit
110	» 17	utrinque populo	utrique populo
112	» 1	metroplitano jure	metropolitano jure
115	» 11	de reliquis tollendis	de reliquiis tollendis
116	» 10	hic varis criminibus	hic variis criminibus
117	» 20	NOBABITQUIS MARMORIBUS	NOBABIT MARMORIBUSQUE
—	» 21	FIDEI DICATU	FIDEI DDICATU
127	» 24	ab Episcopis et obtimatibus	ab Episcopis et optimatibus
136	» 13	primus Judex Arbororeae	primus Judex Arboreae
142	» 6	sororem; duxerat uxorem	sororem duxerat uxorem

Ceteris, quae typographus peccavit lector benevolus indulgeat.



IL CONTE VINCENZO LASCARIS

DI VENTIMIGLIA E CASTELLARO

Vicerè di Sardegna Primo Segretario di Stato per gli affari esteri

Gran Ciamberlano di S. M.

FARÆ
JOHANNIS FRANCISCI
SASSARENSIS

Tomus Tertius


CONTINENS LIB. III. ET IV.

DE REBUS SARDOIS

EX RECENSIONE

VICTORII ANGIUS EX S. P.

R. T. S. A. S. A. L.



CARALI 1838.

EX TYPIS MONTEVERDE

Facta potestate.

JOHANNIS FRANCISCI FARÆ

SASSARENSIS

J. U. D. EXIMII, ARCHIPRESBYTERI TURRITANI

DE REBUS SARDOIS

LIBER III.

EX RECENSIONE VICTORII ANGIUS.

Aragonenses Sardiniae Reges.

JACOBUS REX SARDINIÆ I.

Pisanis atque Entio jure Sardiniae expoliatis, insulam quam plures adpetivere. Anno siquidem 1267 Carolus rex Siciliae et Andegavi dux, sancti Ludovici Francorum regis germanus frater, Sardiniam primus a Clemente Papa IV, frustra licet, poposcit; Henricus deinde Ferdinandi III. Castellae regis filius, qui infensus fratri regnum in Hispania gubernanti patria extorris, collecta virorum manu, in Africam cum Friderico altero fratre transgressus, Tuneti apud regem longo tempore meruit. Ibi praeda simul et stipendiis ditatus, de ipsius Friderici consilio, e Carthaginis portu cum omni pecunia et cetera gaza Italiam trajecit Sardiniae regnum ab eodem Papa Clemente petiturus. Relatus igitur e Carthaginis portu cum Pontificem adiisset, Carolo memorato Siciliae rege ad id etiam usus fautore, qui nuper victo Manfredo magna

apud Pontificem gratia praevalebat, et arctissimo consanguinitatis gradu ex stirpe materna conjunctus magnam pecuniae vim ab ipsa Henrico acceperat.

Sed dum Pontifex de regno deliberat, et concedere parat, ortis in urbe Roma seditionibus, civibusque ad arma ruentibus, ad eas tempestates sedandas Henricus a Romanis exposcitur, ac ex Viterbio, ubi tum Pontifex erat, Romam vocatur, ibique Senatus romani potestas, volente populo, illi tribuitur. Pacata itaque urbe quum dominatum veluti jure partum, posthabita Pontificis auctoritate, exerceret, ac majora quidem moliri videretur, Pontifici simul et Carolo in suspicionem venit. Ob id intermissum praefatum Sardiniae negotium fuit a Pontifice, ut refert L. Marineus, et eidem Enrico ex urbe Roma Sardiniae regnum postulanti his verbis a Pontifice ex Viterbio rescriptum est:

« Dilecto filio, nobili viro Henrico, filio clarae memoriae « Ferdinandi III. Regis Castellae. Ad tuae claritatem originis « attendentes, et illius devotionis fervorem, quem ad Romanam habes Ecclesiam, tui promotionem honoris, quibus « possumus, studiis procuramus. Et quoniam ad regnum Sardiniae tuos oculos direxisti, super quo cum nobili milite « Johanne longam satis collationem habuimus: scire te volumus, quod post recessum ipsius, inspecta plenius cognitione « negotii, multo tibi utilius judicamus id non adgredi, quod « multis sumptibus indigeres, praesertim cum Pisanos habeas adversarios, qui positi e vicino et adgredientem impedire valerent, et ingressum continuo molestarent. Unde « charissimo filio Nostro Carolo illustri Regi scripsimus eumdem « instantius exorantes ut ad matrimonium inter te et filiam « nobilis viri M.... contrahendum det opem et operam efficacem. « Quod si contigerit confici, non tibi solum, sed charissimis « in Christo filiis Nostris Imperatori Constantinopolitano illustri, et ejus filio esse poterit fructuosum, Nobis etiam, et « toti populo Christiano ». Datum Viterbii Non. Jan. Pontif. Nostri anno II. Ita in Codice Clementis Papae IV, qui in Vaticana Bibliotheca adservatur, epist. 290.

Carolus interea rex Siciliae Henrico repetenti pecunias, ne majores ad nocendum facultates illi adessent, bono consilio,

haud quaquam reddebat. Ceperat Henricus jam inde ab initio contrarias Pontifici Caroloque factiones magis fovere; utramque tamen intra urbem aequitatis simulatione continebat. Ut vero suspicionem Pontificis advertit alienus subito factus, et post plura contra eundem Conradum Lapitium ad Fridericum misit, ut ex Africa in Siciliam ad res innovandas trajiciat. Magni hinc motus in Sicilia et Italia excitati sunt, ut idem refert L. Marineus, et Thomas Facellus.

1270. 8. Luglio la flotta francese che portava S. Luigi e i crociati entrò nella rada di Cagliari, dove in seguito ad un gran consiglio si decise di volgere a Tunisi: V. Le Monde France tom 2. pag. 238.

Anno 1268 Jacobus I. Rex Aragoniae insulam habere non solum desideravit, sed etiam ab eodem Clemente IV. sedulo instanterque efflagitavit: quod tamen Pontifex his literis negavit.

Charissimo filio Jacobo Regi Aragonum illustri

« Tarde nimis tua misit serenitas dilectum filium sacristam « Majoricensem et vicecapellanum Nostrum. Jam enim cum « duobus tractatus praecesserunt super regno Sardiniae, cha- « rissimo in Christo filio Nostro Carolo rege Siciliae illustri, « et dilecto filio Nostro Henrico fratre charissimi in Christo « filii Nostri Castellae regis illustris. Est et alia tarditas in ne- « gotio, quoniam inter moras illam partem amisimus, Judica- « tum nempe Turritanum, per quam dare poteramus ingres- « sum ei, qui conveniret Nobiscum. Unde tuam magnitudinem « non lateat, quod nec tibi illud concedere possumus, nec « ad praesens illud dabimus alterutri de praedictis; sed tene- « bimus in suspenso negotium, donec aliud videamus, malentes « ad tempus perdere quod jam dudum perdidimus, quam « inter principes nobiles scandalum suscitare. Verum de ejus- « dem Archidiaconi negligentia nulla tibi superest querimonia, « quum de importunitate ejusdem et instantia nimia Nos potius « conqueri valeamus, quum semper continuet sui desiderii « exitum meliorem expectans ». Dat. Viterbii X. Kal. aug. Pontific. Nostri anno III.

Postea Jacobus II. Aragoniae et Siciliae rex, ipsiusque Jacobi I. nepos ex Petro Rege Aragoniae et Maria Gulielmi Montis Fesulani unigenita, qui ex testamento Entii regis Sardiniae fuit anno 1272, ut inquit J. Laurentius ab Aravia, heres institutus, regnum ipsum magnopere cupiens anno 1295, pro eo consequendo, ut inquit Zurita, ac etiam ex pacis con-

Questo Papa Bonifazio, lo quale non per virtù ma per inganno fu fatto Papa, fu quegli che [illegible] maritare una sua nipote privilegiò e diede la Sardigna al [illegible] d'Aragona cioè degli Catalani. E questi per bisogno di denari e per [illegible] lo perdono a Roma . . . e raunò di offerte in quell'anni [illegible] 17 milioni di fiori d'oro. Ranieri Sardo . .

ditione, ut inquit Thomas Facellus, suasu et impulsu Bonifacii Papae VIII. regnum Siciliae Carolo Andegavensi renunciavit. Atque ita anno 1297 prid. non. apr. idem Pontifex Bonifacius, ceteris omnibus postpositis, eidem Jacobo II. Aragoniae regi insulas Sardiniae et Corsicae in hunc modum concessit :

BONIFACIUS EPISCOPUS

Servus servorum Dei

Charissimo in Christo filio Jacobo Sardiniae et Corsicae regi illustri ad perpetuam rei memoriam.

« Super reges et regna positi ex divinae providentia potestatis de iis opportune disponimus . . . . *et infra* « Ad honorem ergo Dei omnipotentis, Patris, Filii, et Spiritus Sancti, semperque Virginis Mariae, ac beatorum Apostolorum Petri et Pauli, nec non sanctae Romanae Ecclesiae, de fratrum Nostrorum consilio et assensu, regnum Sardiniae, et Corsicae, quod ipsius Ecclesiae juris, ac proprietatis existit, cum omnibus juribus et pertinentiis suis, tibi et tuis heredibus, ex tuo et ipsorum corporibus legitime descendentibus, utriusque sexus, natis jam, et etiam nascituris, in perpetuum feudum gratiose concedimus... et donamus sub modo, forma, tenore, et conditionibus contentis etc. praesentibus a Nobis Nostrisque successoribus legitime intrantibus, et dicta Romana Ecclesia tenendum in feudum, et per cupam auream te eodem principaliter investimus, ita quod etc. Nulli ergo etc. ». Datum Romae apud s. Petrum pridie non. aprilis Pontif. Nostri anno III. Sic in bibliotheca Vaticana in regesto ejusdem Papae Bonifacii plenius legitur, teste Jacobo Mainoldi.

Integrum hujus concessionis exemplar diligentia doctissimi viri domini Michaëlis Tomasii Episcopi Ilerdensis habui, unde ejus partem, quae ad praesentem historiam facere videbatur, ceteris brevitatis caussa omissis, referre volui. Sed de ea donatione Volaterranus, Villanius, Martinus Polonus, et Zurita etiam meminere.

Fridericus autem II. ejusdem Jacobi II. germanus frater, et in regno Siciliae successor ipsius insulae Sardiniae, regnique

Nel 1300 si fece tra Pisani e Genovesi una ferma pace per anni 29 a' quali secondo Gio. Villani si concedette parte dell'isola e la terra di Bonifacio in Corsica con obbligarsi i Pisani di non navigare con galee armate nel termine di 15. anni. Gli scrittori genovesi descrivendo questa pace dispero che i Pisani dettero Sassari a Genova lasciandole tutto il dominio di Corsica e pagando per le spese della guerra 35 m. lire. Ma gli annali pisani non fanno menzione di nessuna di queste cose, e solamente riferiscono che furono liberati tutti i prigioni, e che i guelfi dubitando della parte ghibellina non vollero tornare in Pisa; ma che facendo capo a Jacopo III Re di Aragona lo incitassero e inanimissero all'impresa di Sardegna dimostrandogli la facilità grande di quell'isola. Roncioni.

fraterni adfectator fuit. Quare anno 1302 foedus cum Carolo, ejusque filio Roberto, hac praecipua conditione sancivit, ut ille a S. P. et Cardinalium amplissimo collegio regnum Sardiniae pro se suisque successoribus peteret; quod tamen non obtinuit. Anno quippe 1303 Bonifacius Papa, Jacobum Aragoniae regem cupiens in regnum Sardiniae inducere, Raymundum Episcopum Valentinum legatum in insulam misit, ut Jacobum regem Sardiniae et Corsicae renunciaret, primoresque omnes ad ejus obedientiam hortaretur. Pisanis quoque scripsit atque mandavit, ne ullam moram, ullumve impedimentum novo Regi in acquisitione Sardiniae inferrent, ut refert Zurita.

Mortuo Bonifacio (anno 1304) Jacobus rex legatos misit Vitalem Villanovam, et Gulielmum Cerrium, qui Benedicto IX. Pontifici recens creato pro regno Sardiniae et Corsicae fidei juramentum praestarent.

Defuncto etiam Benedicto (an. 1305) Rex misit ad Clementem V. Gonsalvum Garziam, ut refert Zurita; et anno sequenti Petrum Martinez de Gottore, et Sacristam Majoricensem oratores delegit, qui eadem jurisjurandi verba nomine suo proferrent. Deinde Lugdunum profectus de occupanda Sardinia cum eodem Pontifice egit, fuitque ab eo Rex Sardiniae confirmatus, ut ex Zurita, Nauclero, et Mattheo Palmerio constat. Quare Platina, Sabellicus, et Blondus, qui tradunt Clementem V. Friderico Siciliae Regi Sardiniam concessisse, judicio meo falluntur.

Ea tempestate Carolus Andegavensis, Jacobum Regem ad bellum contra Pisanos impellit, eique opes et auxilium offert, atque per Gulielmum de Recuparana ex Vicecomitibus Pisarum, qui Guelphorum erat socius, Lucenses et Florentinos rogavit, pactis quibusdam conditionibus, ut statim ac Rex Aragoniae in Sardiniam exercitum trajiceret, utrique bello irruerent in agrum Pisanum.

Rex distulit bellum donec lis cum rege Castellae de regno Murciae componeretur, quae fuit composita anno 1305.

Sub finem hujus anni Genuenses, veriti ne Rex bellum pro Sardiniae acquisitione susciperet, legatos misere, qui de pace agerent.

Anno sequenti de mense octobris Lucenses et Florentini

Per la detta pace li guelfi fuorusciti di Pisa non volendo tornarvi, pensarono co' ghibellini fuorusciti di Toscana di fare occupare la Sardigna dal Re di Aragona. Li Pisani allora dispiacevano le terre, tolsero Galluro alli Visconti, che ne avean pagato lo censo a tempo, loro judicato di Callari alli Conti di Donoratico guelfi, e ammesero lo sgorato degli Alberti di Fiorenza lo Judicato d'Arborea e judice Mariano giovano ne fecero venire a Pisa — Ranieri Sardo Cronac. Pisan.

regem rogant ut statim classem contra Pisanos cum omni exercitu in Sardiniam mittat. Plures deinde qui dominia in Sardiniae regionibus habebant, scilicet Ricardus Caninus Tarvisii dominus maritus Johannae filiae Nini Judicis Gallurensis, Morruellus Manfredi filius, Francischinus Morruelli, Corradinus Opizini, Marchiones Malaspinae obsequium regi promittebant, modo feuda ipsis confirmaret. Qui omnes Jacobum in Sardiniam accersivere, et cum eis Theodoricus Archiep. Turritanus, qui Genuensis erat. Branca insuper Auria, ejusque filius Barnabas reip. et populi Genuensis duces trecentis equitibus in Logudoro, centum in aliis regionibus Sardiniae contra Pisanos juvare eum sunt polliciti Bernardo de Sarria Regis admirato in civitate Genua, qua tunc versabatur, modo non deberent arma verti in Sassarenses, et ea quae in Sardinia habebant sibi in feudum concederentur, ut Zurita refert.

Pisani hujus rei metu perterriti anno 1309 legatos Ranierium Sanctae pacis, Joannem Russum de Gualadinis et Ilerdinum Guascapam cum tribus triremibus ad Jacobum regem miserunt, et amplissimis donis eum deprecati sunt, ne fedus cum inimicis suis iniret, eisque assentiret, sed Castrum Caralis, oppidum Stampacis, et portum Bagnariae, et salinas feudi nomine sibi concederet, atque facultatem conducendi quingentos sardos milites in Sardiniam faceret, et Mariano et Andreae Vicecomitibus de Basso et Judicibus Arboreae, Bonifacio et Ranierio Comitibus de Donoratico relinqueret dominium, quod in Sardinia habebant, atque ita regnum absque ullo labore et sumptu haberet, summaque pace frueretur. Rex autem Caralim Pisanis concedere noluit, sed alio gravi impeditus bello distulit in aliud tempus exercitum in Sardiniam mittere, Manuello tamen, Francischino et Corradino marchionibus Malaspinae castrum Bulcis, et castrum Osuli cum eorum oppidis ceterisque locis et regionibus ab eis in Sardinia habitis concessit, Villanio, Zurita, et aliis referentibus.

Post mortem Henrici Imp. Pisani reip. praesidem habebant Ugocionem de Fagiola, eoque duce anno 1316, cum aliquot Germanorum cohortibus Lucensem civitatem expugnarunt: propterea publicae laetitiae signa dedere hanc marmoream inscriptionem in fronte templi maximi Caralis in Castello Castro affigentes.

« Anno Domini MCCCXV. Indict. duodecima, die quarta,
« mensis junii divina gratia praecedente, Pisana civitas versus
« civitatem Lucanam sua victricia vexilla erexit, ipsamque civitatem Lucanam praeliando viriliter expugnavit, et hunc lapidem sic sculptum de Palacio civitatis Lucanae fecit Pisana civitas levari, ipsumque ad Castellum Castri ad futuram rei memoriam destinavit. Et tempore dominorum Mersis De-Vigo Jurisperiti, Bonavitae Romanis Pisanorum civium Castellanorum prefati Castri pro Comuni Pisano fuit cum gaudio hic infixus, ut aspicientibus memoria praebeatur et amicorum Pisani Communis semper crescat, et audacia inimicorum ejus perpetuo compescatur ».

Ea clade accepta Manfredus De-Notte Lucensium legatus Barchionem petens Jacobum regem ad bellum Sardoum contra Pisanos excitat; et ipsius Jacobi nomine Florentinos, Bononienses, Pistorienses, et Senenses Pisanorum osores ad auxilium suppeditandum sedulo hortatus induxit ad dandum in eam expeditionem triginta millia ducatorum, quibusdam conditionibus, quas tamen nonnisi centum millibus acceptis rex confirmare voluit.

Hac tempestate Maria Henrici regis Cypri filia Siciliam appulsa, inde Sardiniam venit, et a Mariano III. De-Serra Arborensi Judice solemni adparatu fuit suscepta; inde Gerundam petens Jacobo Regi Aragoniae nupsit, Zurita et aliis referentibus.

Anno sequenti Pisani insignem apud Montem-Catinum, duce eodem Ugucione Fagiolano, victoriam adepti, cives reip. qui erant Carali magna letitiae signa dedere, et in fronte templi maximi lapidem his notis inscriptum adfixere.

« Anno 1316 die vigesimo nono augusti, Ugucione de Fagiola Pisanae civitati praesidente commune Pisanum quum esset in obsidione Castri Montis-Catini Lucensis districtus cum suo exercitu trium millium equitum, et triginta millium peditum, et princeps Philippus de Tarento et Petrus Tempesta fratres Regis Roberti, et Carolus ejusdem principis natus congregato eorum exercitu equitum ac peditum Florentinorum, Senensium, regnicolarum, et omnium italorum Guelphorum, qui quatuor mille equites, et quinquaginta millia peditum censebatur, venissent ad dictas partes pro mu-

« nitione castri, inito hinc inde praelio eosque eorumque e-
« xercitus posuit viriliter in conflictum in planitie Bugiani
« secus rivum Vallis-Nebulae; in quo conflictu de gente Guel-
« forum fuerunt gladio perempti ultra viginti millia peditum,
« capti vero fuerunt ultra tria millia. Gens autem Pisana tota
« quasi fuit incolumis, et illa die Castrum Montis-Catini, et
« plura alia Castra partium inimicorum fuere in fortia Pisani
« Communis, de qua victoria Deo excelso, ejusque matri
« Beatae Virgini gratias referimus. Hic quidem lapis positus
« est tempore sapientis viri Nicolai Leuli jurisperiti, Castellani
« Castelli-Castri pro Republica Pisana, eodem anno de mense
« octobris ».

Ob id Lucenses iterum Aragoniae regem ad bellum sardorum contra Pisanos hortantur, alia viginti quinque millia florenorum offerentes in eam expeditionem. Rex tamen bellum illud distulit quosque pax inter Fridericum et Robertum reges firmaretur, quae anno sequenti (1317) a Rege Roberto hisce conditionibus fuit proposita, ut Rex Aragoniae centum millibus *unciis* a se acceptis, bonisque et locis Templariorum a Romana Ecclesia in compensatione accipiendis, Sardiniae insulam Regi Friderico traderet: quod si compensatio cum illis bonis a Sede Apostolica non posset obtineri, haberet a se alia quinquaginta millia *unciarum*. Item promittebat Robertus se cum triginta triremibus quinquennio Friderico serviturum pro acquisitione regni Sardiniae, et dimissurum eidem Friderico medietatem regni Siciliae pro sua vita, dummodo ille sibi alteram medietatem relinqueret, in qua contineretur Messana, et non usurparet nomen Regis Siciliae. Quod si plura Fridericus desideraret lubenter illi cedebat jus suum ad regnum Tunetanum. Quae tamen pacis leges non arrisere Friderico, et neglectae fuere a Johanne Papa XXII. Zurita et Facello referentibus.

Eodem anno Pontius Episcopus Barcinonensis, et Vitalis Villanova Jacobi regis legati sacramentum fidei pro regno Sardiniae et Corsicae praefato Johanni Papae recens creato praestitere, teste Zurita; atque Pontifex partem census eorum regnorum Jacobo dimisit, ut ex literis ejusdem Pontificis in bibliotheca Vaticana reconditis, et Jacobo Mainoldi constat.

Anno 1321 determinossi mandare nuovi capitani nel giudicato di Cagliari e nel resto della Sardegna per difenderla da' nemici della rep. e particolarmente da Branca del Auria che infestava tutti quei mari. Fu dato il carico de' luoghi posti lungo le marine di quell'isola a Guglielmo Buglia de' Gualandi cavaliere e a Ciolo Gualandi e creato ammiraglio dell'armata pisana Gherardo Buzzacarini con commissione espressa che vedesse di prendere il detto Branca che per tutto faceva grandi danni. Provvidessi di poi di nuovi soldati quell'isola e vi si

II

Anno 1321 Comitiis Gerundae habitis Sancius Rex Majoricarum, et Cathalani populi, debitum obsequium, opemque suam pro expeditione Sardiniae Jacobo regi obtulere.

Itaque anno 1322 Jacobus Rex Aragoniae VIII. kalendas januarias in solemni festo Nativitatis Domini, bellum Sardoum indixit, vexillo expeditionis Barcinone erecto, et totius belli negotio Alphonso filio suo secundogenito demandato: nam Jacobus filius primogenitus eam expeditionem et regnorum successionem recusavit, ut inquiunt Zurita, et Rex Petrus.

Per ea tempora Gantinus Catonus Sassarensis primaria nobilitate insignis, qui ex privilegio triginta militum turba stipatus incedebat Michaelem Pera physicum ad Jacobum regem misit, literisque nunciavit Sassarenses omnes avarum ac nimis acerbum Genuensium imperium pertaesos Aragonensium regum adpetere regimen, ejusque adventum cum exercitu magnopere praestolari. Ugo etiam Arborensis non parvo dispendio et injuria a Pisanis affectus cum Branca Auria foederatus Marianum Ammiratum strenuum virum Sardum silenter ad Jacobum regem destinavit, cumque ad insulam acquirendam et expellendos Pisanos enixe hortabatur, et rogabat. Quibus nunciis laetus rex Jacobus propensos Sassarensium animos, Judicisque voluntatem laudavit; multisque donis et privilegiis, quibus adhuc Sassarenses utuntur, honestatos nuncios dimisit, et renunciare jussit, se quamprimum in Sardiniam cum exercitu adfuturum. Ita Zurita, Villanius, et antiquae tabulae in Archivio civitatis Sassaris reconditae.

Pisani interea hunc belli adparatum scientes de impedienda Jacobi Regis expeditione cum Johanne Papa frustra agunt. Nam Vitalis Villanova ipsius regis legatus quam optimis rationibus Pontificem ad bellum, et auxilium Regi ferendum suasit, et Cardinale Neapoleone intercedente, promisit Guidoni Archiepiscopo Arborensi, omnem dominatum Judici Arborensi Vicecomiti de Basso esse relinquendum, si octoginta millia florenorum statim regi darentur, et census trium millium florenorum quotannis penderetur, ut refert Zurita. Quare Pisani plurimas equitum peditumque copias partim propriis partim Judicis Arborensis pecuniis comparatas in Sardiniam ducibus Juliano Simone, Friderico et Henrico Tudisco traduxere; eo-

furono eletti quattro capitani, che dovevano aver cura del castello di Castro, fortezza principale di Cagliari, e furono questi Bindo Spallicera, Giovanni Specchialdi, Bergamino Salamaria, e Giovanni Corsi con 104 soldati. Nel 1322 si rinnovò la pace col Re di Tunisi con le condizioni della vecchia. In quest'anno si mandarono nuovi capitani in Sardegna, e intendendosi che il re di Aragona cercava d'occupare quell'isola, essi che furono Ceo Maccaioni, Jacopo Sampanti, Vico Malcondimari (dottori e cavalieri) e Pietro Cinquini guardarono in quella con l'armata che l'avea in custodia Gherardo Buzzacarino. Mandò oltre questo il Senato Francesco Lazari a ricercare la repubblica di Genova di soccorso, caso che il detto re si fosse mosso a' danni suoi, ed ebbene benigna e grata risposta.

rumque praesidiis oppidum Terraenovae, et Villecclesiarum muris de novo cinctum, turribusque munitum, cum Castro Caralis, atque aliis Castellis firmarunt, reliquas vero militias collocarunt in Judicatu Arboreae collocarunt.

Hujus rei suspicione, metuque sollicitus Ugo Judex tercentos stipatores sardos ad custodiam sui corporis sumpsit, et idibus aprilis Pisanos omnes, qui in suis terris et dominatu erant ad unum trucidare fecit, nunciisque caedis ad regem missis rogat celeriter cum classe Sardiniam veniat: hinc Villecclesiarum defectionem procurat. Sed novi milites, ultra septingentos, a Pisanis Sardiniam eo tempore traducti, oppidum Villecclesiarum, duce Johanne Artavallo sub fidem recepere, et obsides a Caralitanis civibus impetrarunt, ut Zurita, aliique hispani auctores testantur.

Rex hisce auditis quum propter procellas proficisci non posset Beltramum Castelletum, Ugonem Sanctaepacis, Dalmatium Vicecomitem de Rocaberti, Gerardum de Rocaberti hujus patruum et Berengarium Cabrera nonis maii cum equitum peditumque auxilio tribus navibus in Sardiniam ad Judicem misit. Qui juncti Sardorum copiis ad oppidum Quarti castrametati sunt, et Caralis urbem omni adjumento intercluserunt.

Deinde XII. kal. jun. Alphonsus apud Portum-fangosum omni coacto exercitu, ornatus a Jacobo Rege amplissima facultate, etiam Judicatum Arborensem sub annuo trium millium florenorum concedendi Ugoni Judici, et sexaginta triremium et viginti quatuor navium classe, cum plurimis navigiis minoribus usque ad tercentum, comparata, uxore comitatus cum omni exercitu III. kal. jun. secundis ventis discessit, ac nonis junii portum Magonis Minoricae insulae applicuit, ubi quatuor dies quievit. Inde Sardiniam ad caput s. Marci idibus junii, et ad portum Palmae Sulcitanae regionis XVI. kal. jul. feliciter appulit, exercitumque omnem millium et quingentorum equitum, peditumque decem millium in terram exposuit, in quibus infrascripti insigniores fuerunt

De Regno ~~*Valentiae.*~~ Aragoniae

Johannes Ximenes de Urrea — Raymundus Cornel
Artalis De Luna cum filio Artale — Artalis Duerta

Blasius Maça de Vergua
Petrus et Alamannus fratres De Luna
Atho De Foces
Raymundus De Peralta
Petrus a s. Vincentio
Gombalus De Benevento
Rodrigus Ahones
Michael Gurrea
Petrus Gonzalus Doz
Michael Perez Çapata
Rodrigus Çapata
Fortanerus De Vyniech
Gerardus Abarca
Ximenes Perez Coronel
Petrus Ortiz de Pisa
Rodrigus Ortiz de Vesimbre
Lupus Ximenes de Luna
Lupus Fernandez de Luna
Gonzalus Lupus de Pomar
Garzias Frontlnus de Deça
Johannes Perez de Torbens
Blasius Maça de Puyroch
Rodrigus de Sada
Petrus Martinez de Arbea
Romeus Ortiz de Lasera
Michael de Gurrea
Fernandus de Luna
Stephanus Gil Tarin
Blasius de Exea
Tristanus de Torresilla
Matthaeus de Riglos
Gonzalus Juannez de Moros
Gyllus de Arazuri
Petrus Jordanus de Urries
Gulielmus de Entença
Poncius Ugo de Entença
Garzias Sanchez de Sases
Fernandus Perez de Roniz
Martinus Lopez de Rueda
Didacus Lopez de Luna
Thomas Perez de Foçes
Ferrerius de la Nuça
Martinus Gonzales de Layana
Gonzalus Perez de Salanova
Joh. Ximenes de Franço
Lupus Alvarus de Espejo
Franciscus de Ferriol

Ex regno Valentiae a Rege appellati fuere Franciscus Carroz classis admiratus Nicolaus Carroz, qui erant ex iis, quos nuncupabant *homines divites*, tum equites

Johannes Lopez de Boyl
Bernardus de Villaragut
Ruysius Sanchez de Ayuar
Philippus de Boyl
Poncius de Villaragut
Alonsus Martinez de La Morera
Bernardus de Boxados
Gonzalus Ruysius de Libori
Jacobus, et Gonzalus Sera
Berengarius, et Gulielmus, et Bernardus Dalmacius
Franciscus despluges
Raymundus de Boyl
Sancius Sanchez Mugnos
Raymundus de Villanova
Jacobus de Quintanal
Johannes Lançol
Bartholomaeus Mascoses
Petrus de Cortijo
Beltramus de Masdevelles
Cominus de Copones
Raymundus Fabreça

Gonzalus Çapata de Alfaro
Garzias de Loriz
Arnaldus de Riusec
Johannes de Xanaveres
Jacobus Escriva
Raymundus Montanerus . . .

quibus a Rege commissum fuit ut copias Valentini regni cogerent.

Ex Cathaluniae principatu appellati fuere a rege infrascripti egregii viri, homines divites

Dalmacius Vicecomes de Rocaberti
Gerardus de Rocaberti praedicti patruus
Gulielmus de Anglesola
Berengarius Arnaldus de Anglesola
Amorosus, et Raymundus de Ribelles
Bertrandus de Castelet
Gulielmus de Cervellon
Bereng. Arnald. de Cervellon
Raym. Bereng. de Cervellon
Petrus, et Gulielmus de Queralt
Dalmatius de Castronovo
Bernardinus de Cabrera, mox Vicecomes
Raymundus Alaman
Gilabertus de Centellas
Ugo, et Galzerandus, Sanctae pacis

Ex equitibus appellati fuere sequentes

Ferrerus de Abella
Thomas Çacosta
Jacobus de Peramola
Gulielmus de Clariana
Franciscus de Montbuy
Dalmatius de Timos
Galzerandus de Castrovetere
Berengarius de Copones
Gulielmus de Cervera
Berengarius de Mascarata
Armengoldus de Pruylans
Goffredus Guerau
Gulielmus Moliner
Raymundus Moliner
Gulielmus de Namontaguda
Gerardus de Clariana
Berengarius, et Galzerandus de Puchuert
Petrus de Montpavone
Ughettus de Fluvia
Berengarius de Ottina
Bernardus de Cespuiades
Raymundus de Perellos
G. de Boxados
Gulielmus de Montolin
Petrus de Castrovetere
Berengarius de Jorba
Dalmatius de Rajadel
Petrus de Gragnana
Simon de la Marial
Gulielmus Bernardus de Anglesola
Rogerius a s. Vincentio
Arnaldus de Torrellas
Petrus de Thous
Petrus de Hostalrich
Petrus de Montpavone
Gulielmus de Foxa
Arnaldus de Maurellas
Petrus de Bellestar

Raym. Bernar. de Riaria Petrus de Foxa . . . . .
Raymundus Cort

praeter quos a Zurita nuncupatos plurimi fuere et ex domo Infantis equites, aliique qui sponte arma sumpsere, et Alphonsum comitati sunt, quorum nomina legere poteris in Montanerio et Carbonello.

Eodem die Ugo Judex Arborensis cum multitudine equitum peditumque sardorum, et mille plaustris omni commeatuum genere onustis, in Portum Sulcitanum pervenit, et ibi cum multis insulae primoribus Jacobum Sardiniae regem, et Alphonsum ejus successorem agnovit, eique fidem et obedientiam jure jurando promisit. Deinde Alphonsus consilium Ugonis sequutus contra Villecclesianos Arborensibus vicinos nimisque infensos arma movere intendens prius Artalem de Luna loci exploratorem cum trecentis equitibus praemisit; mox kal. jul. e portu cum omni exercitu discessit, urbemque Villecclesiarum ingenti obsidione premere coepit. Duces namque Sardorum, quos a Judice Arborensi habuit orientem versus collocavit; Johannem Ximenen de Urrea cum Gulielmo Anglesola ante portam montis Barlai; Petrum de Queralt et Beltramum de Castellet in valle, quae portam s. Antonii respicit; Raymundum Piratta ad occasum; Artalem de Luna contra turrim Pisanam: ipse vero juxta fanum s. Mariae Vallis-viridis castrametatus est.

Deinde prid. non. jul. urbem totis viribus omnique ex parte coepit expugnare; sed a Villecclesianis, Pisanisque militibus viriliter fuit defensa, multis Aragonensibus caesis et a moenibus repulsis: cumque tertio decimo kal. aug. urbem denuo invadere, appositisque scalis muros ascendere tentarunt; adeo ab oppidanis fortiter obsistentibus fuere repulsi, ut, una atque altera scala comminuta, et qui supra stabant caesis aut in terram dejectis, Alphonsus suorum animos ad tantam cladem videns demissos, et vanam spem penetrandi vi in urbem, obsidione eam capere decreverit, iisdem auctoribus referentibus.

Hujus obsidionis tempore Sassarenses et ceteri omnes Sardiniae populi (exceptis Castris Caralis, Aquae fridae, Joyosae guardiae, Orgugliosi, Agugliastri, Quirrae, Petresi, et Terraenovae, aliisque paucis) Alphonsi imperio parebant.

Intera Ugo Arborensis, qui ut narrat Villanius tertiam partem regni sub se habebat, Judicatum cum omni sua ditione in feudum sub censum trium millium florenorum auri quolibet anno in die festo ss. App. Petri et Pauli Regi solvendorum amplissimis tabulis obtinuit, obedientiamque jure jurando praestitit, et pro belli expensis octoginta florenorum millia promisit, pro quibus Castra Bosae, Gociani, et Montis-acuti, oppignoravit. Marchiones etiam Malaspinae, Barnabas cum aliis nobilibus viris gentis Auriae, qui in Sardinia dominatum habebant; ac denique Matthaeus Casu, Comita Devilla, Marabottinus Marabottus, Comita Pala Sassarensium legati jusjurandum fidelitatis Alphonso in castris praestitere: a quo multis gratiis, et privilegiis amplissimis donati fuerunt, ut ex Zurita, Petro Aragoniae Rege, et monumentis in Archivio Sassaris reconditis constat.

Hoc tempore curam et defensionem Castri Bosae Petro Ortiz de Pisa, Castri Montis-acuti Gulielmo de Cacerch, Castri Gociani Raymundo de Samenat. Deinde Gulielmum Moliner Sassaris gubernatorem, invitis Genuensibus, creavit: et Franciscum Carroz classis admiratum ac Raymundum Peralta, Bernardinum Cabrera, multosque alios nobiles viginti triremibus in portum Agugliastri, versus orientem, in Sardinia situm misit; qui ejus castrum expugnaverunt, et deinde Septentrionem versus navigantes Terramnovam adorti turrim unam cepere; oppidum tamen, quod Pisanorum Sardorumque praesidio erat satis munitum, expugnare nequiverunt.

Interea Gerardus et Dalmatius de Rocaberti cum parvo exercitu in oppido Quarti commorantes simul cum Gulielmo Cervellono, et ejus filio Gulielmino, qui jussu Alphonsi novas militum copias adduxerant, propius ad Caralim accedentes ad fanum D. Pancratii non procul a moenibus sunt castrametati. Unde omnem agrum Caralitanum continuis incursionibus vastabant, et cives vexabant. Sed Franciscus Carroz qui portum Pisanum petiturus ex Terra-nova in Corsicam erat profectus praematuram hyemem veritus cum classe in sinum Caralitanum revertitur, et in portu Bonaeris stationem hibernam eligit, urbem ex mari etiam obsidens.

Exercitus Villecclesias obsidentis non satis hoc tempore

commoda erat conditio. Nam vario morbo vexabatur, et plurimorum hominum interitu minuebatur. Ipse Alphonsus atque Theresia ejus uxor in febriculam XI. kal. octobris inciderunt; quamvis nec diu nec nimis moleste aegrotarint. Theresia ancillas omnes morbo peremptas amisit, quarum loco sardas sibi assumpsit.

Praeterea eodem tempore discordia orta est inter Judicem Arboreae et Barnabam Auriam, qui Comitatum Gociani, et Castrum Montis-acuti, ejus patri a Rege concessa, sui juris esse contendebat: et Franciscus Carroz cum Vice-Admirato Regis Majoricarum in magnam contentionem venere, eo quod vi sublata fuisset pecunia missa pro militibus quarumdam triremium Majoricensium; unde Majoricenses tumultum excitarunt, et timor erat ne discederent: sed omnia Alphonsus prudentissime composuit.

Anno eodem de mense octobris Pisani cum triginta triremibus ad sinum Caralitanum accessere, ut obsessis praesidio essent; cumque ad Aragonensibus totidem triremibus ad praelium provocarentur, metu perterriti fugam arripuere, et re infecta Pisas cum dedecore rediere, quod Zurita, Villanius, et alii scriptores tradidere.

Die XI. kal. jan. alias viginti quinque triremes in Sardiniam Pisani misere, quae cepere ad portum Canelles atque incendere Aragonensium naves. Interim ex oppido Terraenovae 300 equites Germani, et 200 sagittarii, qui ex illis triremibus expositi, fuerant cum multis sardis Castrum Gociani petentes illud expugnare conati sunt. Sed opera Raymundi Semenat repulsi fuere, ut tradunt rex Aragoniae et Zurita.

Anno 1324 circa finem mensis januarii Villecclesiani, qui nimia rerum penuria et fame premebantur, omnes pueros, senes, et mulieres, bello inutiles, ut obsidionem protrahentes subsidium expectare possent, ex urbe ejecerunt. Illis tamen statim in urbem redire coactis, obsessi fracti viribus et opibus urbem ipsam Alphonso tradere promiserunt, si ad idus februarii Pisanorum classis suppetias non afferret: ante quod tempus nempe VII. id. omni destituti auxilio belloque et inedia omnino fessi, urbem Alphonso dedere, et in Castrum Caralis se receperunt, octavo fere mense, ex quo obsidionem

sustinuerunt, Villanio, Petro Rege, et Zurita referentibus.

In ea obsidione ad XII. M. Pisanorum et Aragonensium periere, et inter horum maxime egregios Artalis de Luna ab Ugone Judice Arborensi, ut aliqui volunt, ob illatam injuriam necatus, atque insuper ejus filius Artalis, Gombalus de Benevento, Dalmatius de Castelnovo, Gerardus de Rocaberti, Gilabertus de Centellas, Petrus de Queralt, Raymundus Berengarius de Cervellono, Raymundus Alamanus, Galzerandus Sanctae pacis, et Raymundus Cardona.

Ubi Alphonsus urbe potitus est de expugnando Castro Caralis statim cogitavit. Itaque XVII. kal. martii, relicta Villecclesiarum custodia Theresiae uxori suae cum ducentorum equitum selectorum in oppidum Siliquae XIIII. M.P. ab urbe Caralis distantem proficiscitur, et ibi collectis undique militibus exercitum reparat et instruit, et octo diebus moratus est.

Eo tempore Pisana classis quinquaginta navium et triremium, quae duce Manfredo Ranyerii filio, Comitis de Donoratico subsidio Villecclesiarum VIII. kal. februarii solverat; sed adversa tempestate prope Ilvam insulam adorta in Portu Longonis constiterat. Tandem VI. kal. martii Terram-novam appulit, ubi cum nuncios deditionis accepisset, Caralitanis subsidium ferre decrevit, adjunctis sibi ducentis equitibus. Quod ubi Alphonsus rescivit exercitum in Bonaerem duxit, et viginti triremibus ad pugnam instructis (nam pro pluribus deficiebant milites) statuit navali praelio certare. Altero die quam Pisanorum classis ad Caput Carbonariae apparuisset Infans navem conscendit, atque usque ad promontorium s. Eliae processit. Venit obviam Manfredus: sed neuter ausi sunt venire ad certamen. Manfredus sequenti die ad fanum s. Mariae Magdalenae applicuit, et equitibus et peditibus omnibus, qui partim Germani, partim erant Itali, in terram expositis, Decimi oppidum Caralim versus petiit. At Alphonsus ad exercitum reversus castra et triremes Francisco Carroz commisit, copiasque contra Manfredum eduxit; et subsistens qua Manfredus transiturus erat non procul a Luto Cisterna die primo martii, quae dies cinerum erat, acies disposuit: quarum primam Petro de Luna et Gulielmo de Anglesola commisit. Tum Manfredus ad praelium consurgens copias in acies duxit, et

Addì 28. Aprile fecesi un gran fatto d'arme (Roncà), sotto le mura del castello di Castro e benchè fossero superiori di forze gli aragon. non lo poterono ottener. In Terranova Bernardino Lancia capitano di quella terra fu assalito una essendo uscito di sera di [illegible] in tal maniera l'esercito de' catelani che furono forzati con gran mortalità di loro levarsi da quell'assedio, per questo generoso fatto i pisani fecero immuni delle gravezze reali e personali gli abitanti di Terranova

primam Henrico Tusco Magni Castruccii Castracanis filio tradidit, qui milites plures ad occupandam vicinam terram lutosam dimittens primus bellum concitavit: sed occurrentibus ex adverso Aragonensibus, qui eum locum defendere nitebantur, paribus certarunt animis, incertaque victoria initio dimicarunt. Deinde Aragonensium agmen multis deperditis signis inclinare, et pedem retro referre videbatur. Praeterea Alphonsus, qui inimicos propellere et regium vexillum jam amissum e media Pisanorum acie recuperare nititur, ex equo in terram cadit, ubi postea ecclesia s. Georgii condita fuit, eoque cadente, Aragonensium animi pariter ceciderunt. Quare Johannes Ximenes Urrea, Bernardus Boxados, Garzias Bizcarra, et Ruysius Sanchez de Aguar, nobilesque plures strenui viri subsidio succurrentes Alphonsum in Bern. Boxados equum conscendere fecerunt, qui fortiter pugnans suos hortatur et firmat, vexillum regium recipit, et demum occiso Henrico, Manfredoque vulnerato, hostes in fugam impellit. Itali et Germani complures stagnum ingressi, ut erant armis impediti, absorpti sunt, partim occisi, multi capti, reliqui ad vicinos montes et Castrum Caralis confugerunt. Cujus rei sunt auctores idem Villanius, Petrus Rex, et Zurita, quorum hic refert ex primoribus Aragonensium interfectos Alamanum de Luna, Fortanerum de Viniech, Gonzalum Cacorbellam de Sanahuja. Victis terrestri bello Pisanis Franciscus Carroz, qui triremes in portu Caralis instructas habebat, contra Pisanorum propinquam classem irruit, illaque in fugam versa, nonnulla parva navigia commeatus, et belli apparatus onusta, cepit, et in portum reduxit.

Die sequenti Alphonsus urbem Caralis terra marique obsidere, et in finitimo loco Bonaeris, ubi castra posuerat, oppidum et castrum condere coepit. Deinde ut Caralitanos omni commeatu, quod ex Norae regione habere poterant, militumque subsidio, prohiberet, pontem proximi stagni interscindere, atque ejusdem stagni hostium coeno et arena clausum aperiri mandavit. Praeterea decem triremes versus fanum s. Mariae Magdalenae non procul ab ostio stagni collocavit; equites et pedites plures juxta illud disposuit, omnesque aditus ad Castrum Caralis Pisanis intercludere curavit.

Ea tempestate Resp. Pisana viribus et animis tot rebus

adversis fracta de pace cum rege sic egit, ut sibi Castrum Caralis cum oppidis Stampacis, Villaenovae, s. Vidriani, et Pirri, eorumque salinis, portu, et terris in feudum censu duarum millium marcarum argenti, relictis ceteris Sardiniae locis, concederetur; cumque id obtinere nequiret exercitum, undique coacto milite, ex Italia nempe, Francia, et Provincia, Duce Ugolino de Baschis in Sardiniam mittere decrevit. Quare Castruccius Anselminelis Dominus Civitatis Lucae et Pisanorum osor misso in Sardiniam Bonedo Mulacio de ea re, deque statu, et consilio Pisanorum mutuis odiis et dissidiis satis afflicto, Alphonsum certiorem reddit. Jacobus etiam Rex Aragoniae VI. kal. aprilis decem et octo triremium, et aliorum navigiorum classem cum equitum peditumque selectis copiis, in Sardiniam vela dare jussit; atque Philippus Saluces, vir auctoritate et consilio in rebus bellicis insignis, ex Sicilia ad Alphonsum venit. Quae omnia Caralitanos nimium trepidare fecerunt.

Alphonsus post haec IV. kal. maji centum quinquaginta milites strenuos e castris eductos in Montem-regalem, insigne Judicatus Arborensis castrum, simul cum Theresia uxore sua misit. Quod ubi Caralitani rescivere octingentos milites contra Alphonsum eduxere, et bellum maxima cum suorum strage instaurarunt. Namque Aragonenses fortiter pugnantes ad tercentos Pisanorum partim occiderunt, partim ceperunt, reliquis fuga elapsis, qui in Castro Caralis se abdidere. Obiere in hoc praelio Bernardus De-Centellas, Gulielmus de Namontaguda, nobiles Alphonsi equites, teste Zurita.

Ignis deinde a Pisanis postridie injectus castris Aragonensium arietes ceterasque machinas bellicas incendit, ut referunt Zurita et Villanius.

Hac tempestate Jacobus Villanius de Gaetanis oppidum Capitis-terrae in regione Caralis, Gulielmus Colomarius oppidum Geriti, Marabotinus Maraboti oppida Octavi et Eristolae, et Margarita Rapallino oppidum Querquis in regione Fluminariae, feudi nomine ab Alphonso habuere.

Ubi postea decem et octo triremium classis cum selectis copiis a Jacobo rege, ut dixi, missa, in sinum Caralitanum adventavit, Pisanorum classis, quae circa portum Caralis stabat

metu perterrita et suis rebus diffidens fuga salutem quaesivit, Pisasque rediit: et Caralitani animis consternati, magno timore fracti, et inedia debilitati in longa obsidione, de se omnique Pisanorum subsidio desperarunt.

Pisani interea, qui ducentis millibus florenorum auri in hoc bello erogatis, aerarium jam pene exhaustum haberent, XIII. kal. junii, legatis cum auctoritate plena, missis ad Alphonsum, foedus his conditionibus, Barnaba Auria deprecatore, inierunt: « quod Pisanorum resp. Castrum Caralis cum illius suburbiis « Stampace, et Villanova, cum portu et stagno, quod est ad « occidentem, jure feudi retineret, pro quibus duarum millium « librarum Genuensium tributum quotannis Regi Aragoniae « penderet: Ranyerius etiam Comes de Donoratico et Boni- « facius Castrum Gioiosae guardiae regionis Sigerri, Villam- « massargiam, Connesam, et cetera oppida, quae antea possi- « debant, sub annuo mille florenorum censu eodem modo ha- « berent: reliquae urbes oppida et castella omnia cum salinis « et omni jure Sardiniae et Corsicae Jacobo Regi concederet.

Itaque hac composita pace, Benedictus De Calci, Ciolus Grassulanus, Johannes Chimmys, et Petrus Friderici capitanei Caralis pro Pisanis fideis jusjurandum Alphonso praestitere, et Castra Aquae-fridae, Terrenovae, Quirrae, Fabae, Posate, Guchi, Testi, Petresi, et cetera ab eis in insula possessa, tradidere: atque Alphonsus insulam adeptam firmissimis praesidiis, classibus, et magistratibus ornavit, amplissimisque praemiis benemeritos honestavit. Nam Berengario Carroz, ejusque uxori Theresiae Gombal de Entença Infantissae sorori, oppida Septimi, Sinnais, Gerteis, Siunis, Utae, Cellarii, Sexti, Palmae, Sennuris, Ceparae, Villaenovae s. Basilii, Castrum Bonvicini, et oppidum s. Michaelis, ut hujus Castrum reficeret turribus, et moenibus ac fossa circummuniret, liberaliter tradidit: Petro vero de Montpavone oppida Senorbini, Simieris, s. Petri, curatoriae Trecentae: Arnaldo de Monte Sorio oppida Hippis, Decimi-putei, Baraxis de Cipola et Magoris: Bernardo de Boxados oppida Nurecis et Assoli: Sassarenses autem multis privilegiis ob res in utraque obsidione ab eis bene gestas munifice donavit, illorumque reip. oppida Geriti, Octavae, Eristolae, et Querquis a Gulielmo Colomario, Marabotino Mara-

boto, et Margarita Rappallino male impetrata, restitui jussit: praeterea et in insula Corsicae multa loca benemeritis concessit.

Inter haec Castruccius dominus Lucae Alphonsum ad bellum contra rebelles in Corsicam transferendum hortabatur, auxilium ea in insula pollicitus, et castella; et Barnabas Auria Corsorum deditionem studiose procurabat per amicos, quos habebat in Castro Bonifacii, sperans ob id in jure Gociani et Montis Acuti Judici Arborensi praeferri debere: sed hujus rei judicium Rex Philippo Saluces Sardiniae Regni gubernatori generali commisit.

Eodem anno XV. kal. aug. collecto ad fanum s. Macarii equitatu, Alphonsus navem conscendit, et laetus cum reliqua classe ex Sardinia solvit, Barchinonemque victor IV. non. aug. appulit, ubi a rege et populo summa cum laetitia fuit exceptus, quamvis eo bello XII. Cathalanorum et Aragonensium interiissent.

Deinde kal. octobr. Petrus Infans a Jacobo patre Avenionem missus de rebus in Sardinia contra Pisanos prospere gestis, deque summa impensa labore et clade suorum, Johannem Papam certiorem fecit, et decimam ecclesiasticorum redituum biennio, remissionemque medietatis census decennio, obtinuit, Zurita, Montanerio, et Villanio referentibus.

Anno sequenti (1325) Pisani urbem Caralis munire festinant, et bellum contra Aragonenses praeparant. Interim Valentiam misere legatos Cellum de Agnello et Gerardum de Castro Anselmo, qui Regi conquererentur, quod foedera pacis violarentur a ministris regiis in insula, qui Pisanos quosdam et cives Caralis, qui erant mercatores, in Villeccleslis omnibus bonis expoliassent, et ex iis aliquot occidissent, nec non et contra fidem obstrictam injuriis oppresserint Henricum Boccaccium, Bonifacium et Ranyerium de Donoratico: insuper quod Bernardus Cespuiades, quum duodecim triremium classe tercentos equites in Sardiniam traduceret, duas Pisanorum naves ceperit, et Pisanos omnes Caralim commeatus deferentes ad unum trucidaverit, multisque aliis modis contra jus foederis venerint.

Cum Pisanis desciverunt etiam ab Aragonensibus Cassanus, Galeottus, Goffredus, et Brancaleo filii defuncti Barnabae Au-

riae, nec non Francischinus, Martinus, Branca Auriae, et Vinciguerra, aliique gentis Auriae cum Genuensibus qui dominatum Sassaris affectabant. Franciscus autem, Barnabas, et Vinciguerra omnibus ministris regiis civitate Sassaris expulsis, et Raymundo Semenato Dertosino ejusdem urbis gubernatore trucidato, populum ad defectionem impellebant.

Praeterea marchiones Malaspinae, ac Fridericus, Azo, et Johannes, nepotes Christiani Spinulae, et marchiones Massae, Pisanis adhaeserunt. Qua re motus Jacobus rex, captis primum Brancaleone, Vincinguerra, Martino et Francisco Auria, illisque in carcerem detrusis, castrum Caralis terra marique obsidet, et Pisanos et Genuenses crudeli atque exitioso bello prosequitur.

Eodem anno III. kal. julii qui erat festus dies App. Petri et Pauli, Bernardus Boxados, a Jacobo Rege missus mille argenti marcas Johanni Papae XXII. pro medietate census regni Sardiniae solemniter primus exsolvit, ut refert Zurita et Cyprianus Manenti.

Eo etiam anno quum sumptus ad bellum sardoum necessarii non suppeditarent, Rex abstulit omnem pecuniam, nempe ducenta millia florenorum, a collectoribus Jurium Camerae Apostolicae exactas, et missis ad Johannem Pont. legatis illam restituere, oppignoratis castellis, est pollicitus, Villanio et Zurita referentibus.

Anno eodem VIII. kal. jan. Pisani et Ligures fœdere sociati triremium triginta trium, et aliorum navigiorum, classem subsidio Caralitanis in Sardiniam, duce Gaspare Auria, miserunt, illique advenienti IV. kal. jan. Franciscus Carroz cum triginta triremibus, multisque navibus obviam ad pugnam occurrit, et septem primas triremes viriliter aggressus profligavit et cepit, omnibus aliis dissitis, et in fugam versis, innumerisque caesis; ut refert Villanius et Zurita.

Eodem tempore Raymundus Peralta dux belli Sardoi a Jacobo rege creatus, equitum peditumque copias duabus navibus in Sardiniam traduxit, qui sejunctus ab alia nave petitus fuit bello a septemdecim triremibus Pisanis ex classe devicta, et tribus aggressionibus tentatus, sed frustra, immo cum hostium detrimento. Raymundus censum trium millium florenorum ab

Ugone Judice Arboreae exegit, quibus stipendia militibus exsolvit; et castra Bonaeris, Villecclesiarum, et Bonvicini, munire fecit. Deinde XIX. kal. febr. cum Francisco Carroz totius classis admirato terra marique aggreditur Stampacem Caralis suburbium, et quum repugnantibus Caralitanis et Stampacinis pro patria dimicantibus, fortiter decertat, illam demum expugnat, et multorum occisione fœdat. Inde reversus Bonaerem simultates cum Francisco excitavit prius obscuras, mox apertas: nam armis captis multorum Aragonensium strage pugnarunt. Quare Jacobus eos magistratu abdicavit, Philippo Boyl totius regni prorege, et Bernardo Boxados classis admirato, creatis.

Pisani interea tot cladibus acceptis, quum amplius subvenire obsessis non possent, de pace cum Jacobo agere coeperunt, missis ad eum legatis duobus religiosis hominibus Fr. Baciano, et Fr. Johanne de Septimo conventus Pisani fratrum Minorum, cum Jacobo Parrana de Gualandis, Ranyerio Campanelli, et Bartholomaeo Musso, quibus VIII. kal. pax et amicitia his legibus composita fuit, « ut captivis hinc inde liberatis, pe-
« cuniisque ex primo foedere debitis Jacobo condonatis, Pisani
« in Sardinia regiones Trecentae et Hippis absque ullo prae-
« sidio, et arce, jure, feudi haberent: Comites de Donora-
« tico omnia oppida retinerent, quae antea in feudum acce-
« perant, exceptis Villamassargia, Connesa, et Castro Gioiosae-
« guardiae: Castrum vero Caralis et cetera omnia oppida et
« regiones insulae cum omnibus castris et praesidiis libere
« dimitterent Aragonensibus.

I Pisani mandarono al governo di Trecenta e Gippi Ranieri Gualandi, che restarono fino al 1342.

Hac pace jurata V. id. jun. Bartholomaeus Musso legatus, et Johannes Granci, atque Franciscus Grasso, duces Pisanorum cum omnibus obsessis ex urbe Caralis per portam Leoninam excesserunt: et Philippus Boyl Sardiniae gubernator, Consalvus Ximenes de Arenoso, et Galzerandus de Ribas regii legati, ceterique Aragonenses, porta S. Pancratii Caralim sunt ingressi, ac reliquam Sardiniae dominatum sunt eodem mense adepti: quod ex Augustino Justiniano, Villanio, Zurita, et Rege Petro, multisque MSS. constat.

Ea pace inita et per Sardiniam divulgata legati Sassarenses, et marchiones Malaspinae, Fridericus, Johannes, et Azo in Cathaloniam cum Bernardo Boxados profecti sponte in obedientiam

et gratiam Jacobi regis rediere. Atque ita Raymundus a Monpavone cum Petro De Luna et valido praesidio urbi Sassaris praeficitur, et castrum Osuli custodiae traditur Gerardo Alos, in feudumque datur marchionibus eisdem Malaspinae cum ceteris oppidis ab eis in Sardinia possessis.

Accepta urbe a Pisanis Aragonenses omnes ex Bonaëre in illam se transtulere compensatis a Rege damnis ex translatione, et pro derelictis sibi novis domibus assignatis, multisque privilegiis fuerunt adornati, quae videntur in diplomate Jacobi sub diem 25 aug. anni 1327, in quo limites agri Caralitani constituuntur, et assignantur pro termino terrae versus Decimum usque ad hoc oppidum exclusive, inclusive vero conceduntur loca et villae s. Gillae, Pirris, s. Vidriani, Pauli-palmas, Selargii, Quarto-suso, Quarto-josso, Quarto Donifo, Cepolla cum Capite s. Eliae; et indicitur domus habitationesque fieri tantum a Castro-Bonaëris usque ad castrum Caralis, montem Vulpinum versus, ubi construenda erat turris *Montis-fortis*, nuncupanda.

Praeterea Cassianus et Galeottus Auria hoc tempore successerunt Goffredo et Brancaleoni eorum fratribus defunctis, et fidelitatis jusjurandum praestitere Jacobo regi, ceteris ejusdem familiae in gratiam restitutis. Comites etiam de Donoratico Ubertus et Ugolinus Bonifacii fratres Barchinonem profecti fideles se Regi praebentes oppida et loca ab Alphonso tradita Michaeli Marchetto veluti sibi debita multis deprecationibus repetunt. At Marchiones Massae cum Populoniae Episcopo ejusdem familiae, qui in Sardinia dominatum habebant, defectionis crimine condemnati a Guidone Archiep. Arborensi, et Bernardo Boxados, qui ex Hispania Sardiniam repetentes id in mandatis habuerunt, quum se Regi subjecissent, in illius gratiam fuerunt restituti.

Rebus sic in Sardinia compositis Jacobus rex, Justus cognominatus, obit Barchinone IV. non. nov. anno 1327 anno nempe trigesimo, quo Sardiniae regnum ab Apostolica Sede habere coeperat et in ecclesia Sanctae Cruci dicata sepultus fuit. Hic Alphonsum filium heredem instituit, Jacobo primogenito abdicato, qui contra Sardos a patre missus et expeditionem illam, et simul regnorum successionem recusavit, Zurita, Lucio Marineo, et Taraffa referentibus.

His Jacobi regis temporibus insulam Sardiniae administrarunt sequentes; nempe anno

1324. Philippus Saluces primus Sardiniae et Corsicae prorex, qui obiit eodem anno.
1324. Berengarius Carros Sardiniae et Corsicae prorex.
1326. Franciscus Carros; atque hoc mox abdicato creatur
1326. Philippus Boyl.
1326. Bernardus Boxados creatus prorex II. id. aug.

Gubernatores Sassaris.

1323. Gulielmus Moliner primus Sassaris gubernator creatus V. non. junii.
1324. Raymundus Semenat, abdicato Gulielmo fuit Sassaris gubernator; ibique interfectus ut diximus.
1324. Raymundus a Monpavone Sassaris gubernator.

Praeterea eo tempore Praesules infrascripti in regimine Ecclesiarum Sardiniae excelluere

1306. Theodoricus Bellit Archiep. Turritanus.
1302. Fr. Leonardus Aragall Archiep. Tharren. et Arboren. Hic congregato provinciali Concilio septem edidit constitutiones in Archivio Ecclesiae Usellen. reconditas.
1309. Fr. Oddo Cubellus Archiep. Tharren. et Arboren. Hic etiam synodo provinciali congregata viginti duas constitutiones edidit, quae in Archivio Ecclesiae Usellen. reconditae fuerunt.
1323. Fr. Guido Catunnus Ord. Fratr. Minor. Arch. Tharr. et Arboren.

1278 Arlocus ex archivio Capituli turritani. Marongio Nuova

1295. Raymundus Caseus Episcopus Plovacen.
1303. Bernardus Carboni Episcopus Bisarchien.
1308. Jacobus Sanjustus Episcopus Emporien.
1309. Robertus Vacca Episcopus Terralben.

ALFONSUS REX SARDINIÆ

Alphonsus ex Jacobo Aragonum Rege et Blanca Caroli Neapolitanorum regis filia procreatus, defuncto patre, in regno

Aragoniae Sardiniae et Corsicae ex testamento succedens solemniter coronatus fuit Caesareæ Augustae III. non. apr. anni 1328 intervenientibus Ugone Archiepiscopo Arboren. et Petro Ugonis Judicis Arborensis filio, quos Rex praecipuo habuit in honore, et kal. maiis amplissimis confirmationis tabulis Ugonem ipsum Judicem Arborensem probavit, atque illi subesse civitates Oristani, Terralbae, s. Justae, et Ales, castrum et urbem Bosae Castra Gociani, Montis-regalis, Marmillae, Montisferri, et Montis-acuti, declaravit, ut in monumentis R. Archivii Caralitani, et ex Zurita et Taraffa, constat.

Deinde jusjurandum fidelitatis Joanni Papae XXII. pro regnis Sardiniae et Corsicae persolvit, ut inquit Maynoldus, ipsumque est hortatus Pontificem ut Pisanos et Aurienses, qui Nicolai Antipapae et Ludovici Bavari schisma in Sardinia disseminabant, ecclesiasticis censuris coërceret, ut refert Zurita.

Anno tamen sequenti, nempe 1329, Galeottus Auria Barnabae filius Regem adiit, et nomine suo Cassianique fratris et nepotum suorum Therami filii Goffredi, atque Barnabae, et Nicolai, filiorum Brancaleonis, jusjurandum fidelitatis praestitit, ac de jure Gociani egit, et Montis-acuti. Alii insuper nobiles Auriae, nempe Marianus, Fabianus, Damianus, et Nicolaus; dominatum quoque in Sardinia habentes, legatis ad regem missis, fideles se jurejurando praebuerunt: Franciscus etiam Auria, Leonardi filius Barchinonem profectus idem fidelitatis jusjurandum eorum nomine postea exolvit.

Nel 1329 notasi secondo il Breve anti. Pisano che Bonifacio Gherardeschi, conte di Donoratico; magnifici et potentis viri domini Bonifacii comitis de Donoratico, VI. partis regni kallaritani domini, qui ejusque illustris memoriae progenitores populum pis. sub alis suae potentiae indefesse semper et strenue protexerunt, nullis parcendo laboribus et incomodis. Breve vetus Antian. c. 62.

At Aytonus Auria a Rege deficiens maritimas Sardiniae oras duabus triremibus excurrit; et Vincinguerra Auria cum aliis ejusdem familiae, et cum Catonibus et Palis Sassarensibus, atque marchionibus Malaspinae, contra Aragonenses, qui in urbe Sassaris erant, regemque ipsum, et fidem illi obstrictam, res novas instruere coeperunt, et urbem Sassaris Genuensibus tradere cogitarunt.

Fratres etiam Ordinis Minorum, et Praedicatorum, qui in Castro Caralis erant, urbem Pisanis prodere clanculum moliébantur.

Sed Bernardus Boxados tunc in Sardinia regius admiratus, ubi haec per nuncios et exploratores novit, fratres Minores et Praedicatores, Sardosque omnes e castro Caralis ejecit, Sas-

sarenses plures cepit, atque Vincinguerram et Aytonum, Catonesque et Palas, atque alios defectionis auctores, quos habere non potuit, proscripsit.

Praeterea Alphonsus Rex Berengarium Villaragut atque Bernardum Gamirum in Sardiniam misit ut Aragonensium et Cathalanorum colonia urbem Sassaris, ejectis sardis, complerent, castrum Pisanum in regione Nurrae collapsum, urbemque Turritanum ruinis deformatam reædificarent, ac marchiones Malaspinas armis peterent, atque mulctarent, qui Ludovico Bavaro et Nicolao Antipapae obedientiam et jusjurandum fidelitatis praestiterant: litteris etiam Cardinalis Neapolis monitus nonnullos insulae episcopos sibi suspectos, relictis Vicariis Aragonensibus, insula excedere jussit; quae omnia multiplicis belli causam dedere. Nam Genuenses bellum contra Aragonenses repararunt, et anno sequenti Aytonus Auria prius novem, mox sexdecim triremium classem adeptus Castrum Caralis totamque fere insulam obsessam tenuit, multis Cathalanorum navigiis interceptis, et Ginercae regium castrum insulae Corsicae expugnare licet frustra est conatus: Sassarenses insuper extorres cum Auriensibus et marchionibus Malaspine multum incommodi Aragonensium rebus intulere, majora illaturi, nisi opera et diligentia Ugonis Judicis Arborensis, Bernardi Cespujades, Guilberti Cruillas, Berengarii Villaragut, et Bernardi Gamiri impediti fuissent, et a rege consilio mutato Sassarenses omnes, exceptis Catonibus et Palis, in patriam reduces fierent, ut ex antiquis monumentis et Zurita constat.

Eo tempore Raymundus a Monpavone coepit castrum Sassaris jussu regis condere, et mense decembri Gulielmus et Umbertus de Azlor triremes instruere classemque parare jussi sunt. Atque anno sequenti Raymundus Senesterra et Laurina ejus uxor fuerunt urbe Terraenovae donati, quod ex antiquis monumentis et Zurita constat.

Eodem anno de mense augusti Aragonenses instructa triginta duarum triremium, et multarum navium, classe omnem Genuae Sabatiaeque oram vastarunt, et diripuerunt, teste Villanio. Quare anno sequenti 1332 Genuenses et Ghibellini Sabatiae contra Aragonenses ob acceptam injuriam foederati magnum belli apparatum fecere classem in Sardiniam missuri; Aurien-

ses etiam cum Algariensibus et aliis eorum subditis Sassarim bello appetere studebant. Quod ubi Alphonsus certo rescivit nuncio proceres omnes qui in Sardiniae regionibus jure feudi dominatum habebant, vocavit, et mense martio comitiis Valentiae habitis de rebus Sardiniae egit. In quibus infrascripti fuerunt; Raymundus Cornel qui habebat oppida Armungiae et Barlai in curatoria Galylae, Schertis, Sisinis, et Sarasi in Curatoria Seurgi — Franciscus, Berengarius, Francischinus, Jacobus ex gente Carros — Raymundus de Cardona gubernator insulae — Jacobus de Aragonia — Gulielmus Enteça — Goffredus Gilabertus de Cruyllas — Urraca de Enteça heres Theresiae de Enteça sororis — Bernardus de Boxados — Sancius Duerta et de Arenos — Bernardus Cespuiades — Berengarius de Cruyllas — Petrus de Monpavone — Garzias de Loriz — Raymundetus de Semmenat — Gombalus de Ribelles — Bonanatus de Perra — Periconus de Libia — Michael Marchettus — Petrus March — Jacobus Burges — Gulielmus de Abbadia — Thomas Costa — Petrus de Sanclemente — Gulielmus de Montgri — Arnaldus de Caciano — Petrus de Subirats — Gomesius de Assever — Raymundus de Monpavone — Dalmatius de Avenione — Galartius de Mauleone — Heredes Didaci Sapatae — Rodrigus De Luna — Raymundus de Senesterra — Poncius de Villaragut. Ex Zurita.

Hi partim in Sardiniam ire, partim equites peditesque mittere et omni opes insulae succurrere decreverunt. Multis itaque copiis comparatis Raymundus Cardona Sardiniae et Corsicae prorex quam celerrime in insulam profectus est, et de mense octobre Sassarim pervenit, omnesque arces et oppida maritima judicatuum Turritani, Caralitani et Gallurensis validis praesidiis firmavit: deinde triremes omnes ad insulae custodiam disposuit, et mortuo Sancio Asnares de Arbe Judicatus Gallurensis praefecto suffectus est Arnaldus Ladrera, ad quem milites duce Friderico Ferdinando de Verga misit, ut ex Zurita et aliis monumentis in Regio Caralis Archivio reconditis constat. Quod ubi Genuenses resciverunt, Sardiniam aggredi omiserunt, et sexaginta triremium classe, quam Genuae habebant satis instructam totius Cathaloniae littora portusque vastant et diripiunt, Baleares insulas depopulantes, atque ingentem

praedam Genuam asportant: cumque postea terdecim Genuensium triremes in portu Caralitano naves Aragonensium invaderent gravius accepere, quam intulere damnum; nam unam triremem et multos milites amisere, Zurita referente.

I Doria invadono la Gallura

Biennio autem post de mense martio, quo insula parvo tenebatur praesidio, Genuenses cum gente Auriensi exercitum ex peditibus et equitibus in eorum terris conflatum ex regione Cocinae in Galluram inducunt, omniaque maritima oppida facile capiunt aut expugnant. Praeterea advenientibus ex Corsica aliis copiis castrum Pedresi ingenti obsidione premunt et vincunt, et omnes in eo repertos ad unum trucidant; deinde Castrum Fabae et Castrum Galtellini aggressi sunt, et custodes Castri Chirrae ad defectionem tentarunt castrum facillime obtenturi si Prorex, re cognita, novo praesidio eos in fide non continuisset. Paullo post Castri-genuenses captis armis vicinum Sursae oppidum populabundi invadunt, et ferro atque igne vastant; decem insuper Genuensium triremes, duce Salagro Nigro, quatuor Catalanorum naves milites in Sardiniam deferentes de mense augusto expugnarunt, et in Sardiniam cursum tenentes maximum Aragonensibus terrorem incussere, qui arces et praesidia repararunt, et auxilium a Rege Siciliae postularunt; quod Villanius, Justinianus, et Zurita referunt.

Eodem anno pridie non. decembr. Johannes Papa XXII. qui pacem inter Alphonsum regem et Genuenses intentiore studio procurabat, moritur, et XIII. kal. jan. creatus est Romanus Pontifex Benedictus X. dictus XII. atque Alphonsus Raymundum Berengarium legatum anno 1335 misit, qui jusjurandum fidelitatis pro regnis Sardiniae et Corsicae praestitit.

Feudo di Gall.

Eo anno urbem Terraenovae Berengario Arnaldo de Anguillara concessit, et Fratres s. Mariae de Mercede redemptionis captivorum in Sardiniam misit, atque illis et Berengario Ordinis Magistro parochialem Ecclesiam oppidi Bonaëris concessit, quam antea multa munificentia ditaverat.

Anno 1336, qui fuit aetatis suae trigesimus septimus, regni octavus, non. febr. Rex obiit Barchinone, sepultusque fuit in monasterio fratrum Minorum ejusdem civitatis, et inde ad monasterium Ilerdense ejusdem Ordinis Minorum fuit translatus, ubi nunc jacet, Taraffa et Zurita referentibus.

His temporibus magna orta est discordia inter proceres familiae Auriensis. Anno enim 1327, Barnabae Auriae impulsu et auxilio Marchio Malaspina Castrum-Genuense occupavit. Quare Cassianus et Galeottus ejus patrui, qui illud antea in feudum a Jacobo rege habuerant coacto exercitu in Sardiniam contra eum venere, et Castrum adorti illiusque suburbio capto equitatum in vicinos populaturum immittunt, omnesque territant, et parvo tempore vi atque industria castrum ipsum recuperant, et Azonem marchionem Malaspinam capiunt, quem postea, mandante Bernardo Boxados, liberum dimiserunt. Barnabas autem, qui castrum illud ad se jure primogeniturae spectare dicebat, illud repetere, et patruos bello persequi non destitit, et Nicolaus ejus frater Castro Montis-Jave in via ad Sassarim condito, regni praeside invito, multis praeliis eos infestavit, quousque pactis induciis anno 1331, controversiam compromissarii inter eos composuere. Sed non diu in pace vixere. Nam Cassianus, qui postea Castrum Genuense ingredi fuit prohibitus, contra Galeottum et Barnabam, qui in illo fuerant recepti, novas exercuit inimicitias. Quare Barnabas cum valido peditum equitumque exercitu Anglonae regionem ingreditur, et cum Cassiano illius dominio levissimis certavit praeliis, quibus finitis, Cassianus Algarium petit, et Barnabas castrum Auriae cum Galeotto fratre adortus militum corona cinxit, quae mox jussu Praesidis soluta fuit. Ex eodem Zurita.

Hac tempestate Barbaracini populi Sardiniae liberi ab Aragonensium armis ob inaccessos montes victitabant, Zurita referente.

Floruerunt hoc tempore in Ecclesia Sardoa, nempe anno

1322. Gundisalvus Archiepiscopus Caralitanus.

1327. Fr. Petrus Portillo, quem suum dicunt Franciscani et Dominicani, Archiep. Turritanus.

Insulam rexere

1328. Bernardus Boxados Regis admiratus et Sardiniae praeses.

1331. Raymundus Cardona prorex a die VIII. kal. maii usque ad annum 1336.

PETRUS REX

Petrus cognomento Ceremoniosus Alphonsi Regis et Theresiae ab Entença filius in locum defuncti patris sufficitur, et coronatur Rex Aragoniae Sardiniae et Corsicae dominica *in Albis* anni 1336 praesentibus Mariano et Johanne Judicis Arborensis fratribus, et Episcopo s. Justae, qui inter proceres summo a Rege habebantur in honore. Huic fidelitatis jusjurandum obedientiamque inter ceteros praestiterunt Petrus Judex Arborensis, ejusque fratres Marianus dominus regionis Gociani, et Johannes dominus Montis-acuti, Resp. Pisana, Comites de Donoratico, et Comites de Malaspina, et ex Auriensibus soli Damianus et Cassianus; nam ceteri erant rebelles et regi inimici. Quare hoc tempore Raymundus de Cardona contra eos arma movens Castrum Ardarae in primis obsedit, deinde commisso praelio victoriam ab eis reportavit, Ardaram et Cajolam cepit.

Deinde Rex Petrus a Benedicto Papa XII. et a rege Franciae admonitus pacem mense junio cum Genuensibus firmavit, atque ita pacatum regnum aliquot annis habuit, quibus nobiles Auriae in quatuor factiones divisi, quarum principes erant Galeaccius, Nicolosus, Damianus, et Brancaleo, inter se variis praeliis decertando fuerunt viribus et opibus fracti, ac prope dissipati, Zurita et eodem Rege Petro referentibus.

Eodem anno de mense octobri Johannes Ruiz de Moros legatus a rege missus, Benedicto XII. debitum pro regnis Sardiniae et Corsicae tributum persolvit: nam Pontifex a Petro antea rogatus illud remittere noluit.

Anno etiam sequenti VII. id. jan. Bernardus Villaragut, Arnaldus Morera bailivus generalis regni Valentiae, et Asbertus de Caliaça eidem Pontifici pro regnis Sardiniae et Corsicae solitum fidelitatis jusjurandam praestitere.

Altero anno 1338 Regio Gociani titulo Comitatus a Petro decoratur, Mariano Arborensi primo Comite creato, qui cum Johanne fratre in Sardiniam venit.

Deinde anno sequenti (1339) Rex Avenionem Galliae Narbonensis urbem profectus Benedicto Papae fidelitatis jusjuran-

dum pro regnis Sardiniae et Corsicae solemniter persolvit. Sacerenses in sua rebellione perseverabant. Auriensium et Malaspinarum dissidia fovebant ministri regii, et hac divisione regis imperium stabat.

Eodem anno Johannes Marchio Malaspina Opizonis filius, facta cum Azone et Friderico fratribus rerum paternarum divisione, Castrum Osili cum illius suburbio, et regionibus Montis, Figulinae, et Coros, in Sardinia obtinuit, et Antonium filium spurium legitimare fecit, licet Johannes et Morruellus ejus nepotes filii Francisci fratris Opizonis ad se spectare contenderent.

I Malaspina feudi [illegible]

Ea tempestate urbs Terraenovae ob aes alienum venditur, et traditur regi: Episcopus Aleriensis nomine Ugonis Cortingii de Petra-Alerata, viri primarii Corsicae, Petrum ad bellum contra Corsos suscipiendum magnopere hortatur, Lupo Ginercae de Ornano id ipsum ab eodem crebris litteris efflagitante, ut videre est apud Zuritam. At rex id bellum non suscepit bello contra Mauros impedito.

Anno 1340 fama emanavit Pisanos et Genuenses foedifragos arma cum Luchino Vicecomite, Mediolani domino, pro recuperanda Sardinia comparasse: nam Luchinus veluti patruus et successor Actii, filii Beatricis dominae Gallurae, Judicatum illum ad se spectare dicebat. Quare Petrus jussit delectos milites adesse in urbe Sassaris pro tuitione Logudori et Gallurae.

Anno sequenti 1341 divulgatum fuit Pisanos expeditionem contra Sardos facere. Quare Petrus hujus rei suspicione sollicitus Franciscum Carros ceterosque proceres regni Sardiniae vectigales praesto in Sardinia esse, atque in ea obsequium persolvere jussit.

Nel 1341 fu mandato Ranieri Gualandi rettore (tal nome gli si dava) delle terre rimaste in potere de' Pisani in Sardegna, e di poi fu scritto a Vaganello da Vico, suo successore, che facesse franchi per cinque anni le persone che abitavano la villa chiamata Fluvia.

Hoc tempore Sassarenses, qui regi Petro erant fideles, Brancaleonem Auriam ceterosque ejus factionis viros suspectos ososque habentes statuto sanxerunt esse capitali poena plectendos, qui cum eis affinitatis nexum commerciumque haberent, ut in statutis urbis adhuc legitur. Itaque Aurienses infestam insulam reddidere, et simul cum Algariensibus, et Castrogenuensibus, aliisque permultis Logudorensibus, qui eorum partes sectabantur, et sub eorum ditione erant, Sassarim incursionibus et populationibus vexabant. Mortuo tamen Bar-

naba Auria Brancaleonis fratre hic de dominatu contendens arma contra suos cepit, et cum Cassiano ejusque filio Nicolao, ac etiam cum Fabiano et Damiano Cassiani fratribus, cum Valeriano, et Morruello Auria, qui medietatem regionis Montis Leonis, et alia loca occupaverant quibusdam praeliis decertavit, Gulielmo Cervellono prorege fautore ex regis jussu.

Anno sequenti 1342 Aurienses a bello supersederunt, et Johannes Marchio Malaspina, qui erat de rege benemeritus, fidelitatis jusjurandum proregi praestitit.

Altero anno hic Johannes ab humanis excedens Petro Regi Castrum Osili et alia oppida, quae in Sardinia habebat, testamento reliquit. Azo tamen et Fridericus Marchiones Malaspinae conducto ex Italia exercitu Castrum illud, omnemque dominatum occupant, Morruello et Johanne eorum nepotibus Francisci filiis jus in illo habere frustra contendentibus, ut ex Zurita et antiquis monumentis constat.

Anno sequenti Rex Petrus a Gulielmo Rocavalle, Orlando de Ornano, et heredibus Henrici Stambi, et Ugonis Cortingi i, viris primariis Corsicae, impulsus Cathalanorum navibus eorum litora excurrere fecit, eamque bello appetere quamprimum decrevit; licet ob id Genuenses essent pleni stomachi et querelae.

Altero anno 1345 Gulielmus Cervellonus prorex cum Genuensibus foedus percussit. Hoc Rex confirmavit, qui tamen cum Auriensibus bellum ducere intendit, quousque Algarium, Castrum Genuense, et alias Logudori arces illis devictis in suam ditionem redigat, et pacatum Logudori Judicatum faciat: cumque ad hos sumptus bellicos pecuniae necessariae non suppeditarent, insulae vectigal pro viginti octo mille libris monetae Sardiniae Petro Olemari, Arnaldo de Bastida, Raymundo de Valle, Johanni Boyl, Arnaldo de Torrente, et Arnaldo Spaterio venditur.

Deinde anno 1346 Genuenses quadraginta triremium classem instruere festinarunt. Quod ubi, Petrus rex litteris Judicis Arborensis accepit, veritus ne in Sardiniam ea classis, laeso foedere, irrueret, vectigales omnes praesto in Sardinia esse, triremesque parari jussit. Eodem tempore Judex Arbor. cum fratribus suis bellum Auriensibus se illaturum, militesque ad

id omnes et sumptus impensarum obtulit, si illis dejectis et insula pulsis dominatum eorum feudi nomine consequi posset. Quod proregis arbitrio relinquitur.

Interea portus Congianus in litore Gallurensi, contentione orta super jure in illum inter Johannem Judicis Arbor. fratrem et Gonsalum Ribellas, a ministris regiis occupatur.

Anno sequenti, scilicet 1347, Johannes praedictus urbe Terrae-novae donatur, quia de rege admodum benemeritus erat.

At Matthaeus, Nicolaus, Johannes, et Antonius Auriae cum aliis tribus fratribus, exercitu comparato, urbem Sassaris obsident, majus Genuensium auxilium praestolantes, qui multos milites et satis instructam classem ad eos mittere moliebantur. Quare Gulielmus Cervellonus prorex imminens periculum veritus de pace cum Auriensibus agere, frustra tamen, coepit. Nam illi Castrum Bonvicini, Ardaram, Cajolam, et cetera oppida majorum suorum repetentes, Algarium et Castrum-Genuense, quod Rex volebat, dimittere detrectabant, ejusque loco Capulam et Castrum Osili expugnatum tradere, aliaque obsequia in insula praestare polliciti sunt. Itaque Rex Petrus pace infecta equitum copias cum Ughetto Cervellono de mense junio quatuor navibus aliisque paucis navigiis Sassarensium subsidio in Sardiniam misit. Cum quo iverunt Gombalus de Ribellas, Jacobus de Talarn, Berengarius de Erill, Raymundus de Timor, Bernardus de Villardida, Raymundus Garin, Raymundus de Corbera, Berengarius de Rajadel, Dalmatius de Avenione, Gulielmus Dezpuch, Gueraus et Raymundus de Clariana, aliique equites; praeterea Jacobus et Alamanus Carros, Agradantes de Moncada, Franciscus de Villarasa cum aliis equitibus Valentinis.

Aurienses autem exercitu sex millium ex peditibus et equitibus turrim seu propugnaculum ligneum Sorranum, a quo magnum incommodum acceperant, in primis expugnant, et Gerardo Cervellono, qui a patre vocatus tercentos sagittarios Sassarensium subsidio ducebat, itinera intercludunt. Erat enim Gerardus in Macumelis oppido, et Bonorvam processerat, quo Gulielmus ejus pater ex urbe Sassaris cum equitibus et peditibus venerat, ut periculum, quod in filium intendebatur,

propulsaret. Et licet ibi a Judice Arborensi regis amico insidiarum certior factus esset, tamen tercentis expeditis equitibus ab eo adjutus Sassarim ire perrexit, atque ita in loco *Aditu turdi* inimicis obviam factus praelium conseruit, et in ipso principio ab Auriensium militibus fortiter pugnantibus superatur. Nam missilibus hastis innumerisque sagittis equi Regis in terram prostrati fuerunt, peditesque omnes fusi fugati atque aversi. Quare Gulielmus cum Gombalo Ribellas paucisque aliis in densam atque asperam Judicatus Arborensis sylvam se recepit; in qua fessus inedia, bellique ac aestus ardore miserum in modum obiit, ejusque corpus postea repertum ab Judice Arborensi in Castro Gociani solemni pompa sepultum fuit. Gerardus autem et Monatus frater, atque Ughettus praefati Gulielmi nepos, cum aliis fortiter dimicando caesi sunt, eorumque corpora in terris inimicorum insepulta mansere.

Victis itaque Aragonensibus, cum Sassaris urbs, in cujus custodia totius insulae defensio eo tempore, teste Zurita, consistebat, in summo discrimine esset, ministri regii superstites ex Urbe Caralis subsidium Sassarensibus maritimo itinere quam celerrime miserunt, et Judex Arborensis simul cum Jacobo Aragoniae, et Gombalo Ribellas dispersum militem cogere et exercitum reficere curavit.

Rex Petrus accepto hujus cladis nuncio classem omnem et exercitum non parvum parari, et in Sassarensium subsidium Sardiniam mitti jussit, ut idem Zurita refert.

Itaque anno sequenti 1348 Rimbaus Corbera prorex in Sardiniam cum exercitu missus, magna auxilia et suppetias Sassarensibus attulit, urbemque obsidione liberavit, operaque Mariani Judicis Arborensis, atque Johannis ejus fratris, qui regi fidelissimus erat, Aurienses omnes regis inimicos ab insula ejecit, atque Anglonam eorum regionem occupavit, et oppida Nulvis, Martis, Orriae-magnae, Orriae-parvae, et Ostiae de montibus cum attinentiis in ea regione Johanni Arboreae concessit, quae antea Pontius Sanctae-pacis a rege impetraverat. Pontio tamen obnitente haec oppida Johannes Arboreae habere nequivit. In quorum loco habuit oppidum Salluris in regione Nuraminis, et oppidum Donnigalae in regione Siurgus, ut constat ex Zurita, et aliis.

Curatorie An. 1350

Fuit in ea obsidione Sassaris magna et spectatissima fides atque constantia, ob quam multis privilegiis Sassarenses fuere donati. Corsi etiam, qui tunc Sassari erant, integra prorsus fide conspicui fuerunt: quare jussi sunt pro Aragonensibus in Sardinia haberi, eorumque gratiis frui, ut refert Zurita.

Eodem anno Genuenses bellum contra Aragonenses et Sardos repararunt, impellentibus Auriensibus, qui fuerant ex Sardinia expulsi.

Pestis saeva, quae in Italia grassabatur, Sardiniam invasit. Quo factum est, ut uno eodemque tempore populi et bello et peste affligerentur.

Anno 1349 Marchiones Malaspinae cum Auriensibus confoederati urbem Sassaris denuo obsident, et cum Ughetto Corbera, qui auxilium obsessis ferebat, pugnant non parva utriusque exercitus clade.

Anno sequenti 1350 Rimbaus Corbera Sardiniae prorex, ut inimicis commodius resistere posset, pacem in primis cum Brancaleone, ejusque fratribus Manfredo et Matthæo, composuit, atque illis Montem-leonem, Claramontem et regiones Nurcarae, Guisarchii, Anglonis, et Capitis-aquarum in feudum concessit, redempto prius jure, quod in Algarium habebant. Deinde contra Nicolaum et Morruellum Auriam, aliosque rebelles et eorum fautores, arma cepit, et Algarienses regis inimicos incursionibus et populationibus adeo infestavit, ut rebus jam desperatis Genuensium patrocinio et regimini se tradiderint, et Johannem Volucem eorum ducem vocare fuerint coacti. Itaque recepto ab Algariensibus fidelitatis jurejurando illis gubernatorem Genuensem Dux ipse praefecit, et edictum cum poena contra Brancaleonem conscripsit.

Deinde anno sequenti Ducis Genuensis filius decem triremibus subsidium Algariensibus attulit, quo urbem etiam Sassaris mensibus octo obsidione vexavit. Sassarenses tamen, commisso cum Genuensibus et Algariensibus, prælio strenue dimicarunt, magno Rimbai Corberae, Mariani Judicis et Johannis Arboreae auxilio adjuti, obsidione liberi victoresque fuere. Quare Genuenses legatis ad Regem Petrum missis, pacem cum Sassarensibus et Aragonensibus renovare procurant, facti excusationem afferentes, quae nec satis justa, nec probata fuit.

Malaspina

Due galere genovesi cariche di merci appestate entrando per la foce d'Arno sparsero il malore in Pisa. Qui morirono il 70 %. Il Boccaccio afferma che in Firenze perirono 80 m. persone. In Pisa durò 9 mesi. In tutta italia, nella restante cristianità e nelle terre degli infedeli fu questa pestilenza grandissima e memorabile.

Questa peste era preceduta in Italia a grandissima carestia, nel 1347. Cronicioni [illegible] dice una delle maggiori carestie, [illegible] sulla terra si mangiarono a guisa di pane.

Nel 1350 Clemente VI per riparare a tanti danni che sopportavano alla chiesa romana si contentò che in questo anno si celebrasse il giubileo che Bonifacio VIII aveva ordinato si facesse ogni 100 anni. Ebbe principio questo santissimo perdono nel 1300. Clemente ordinò si rinnovasse in ogni 50.mo anno. La peste era allora nel 1350 nel maggior colmo

Rex autem Petrus dimissis legatis, et foedere cum Venetis eorum inimicis percusso, bellum III. non. aug. Genuensibus indixit, ac mense septembri classem viginti unius triremium duce Pontio Sanctae Pacis in Sardiniam misit. Quae altero anno 1352 cum viginti Venetorum triremibus conjuncta juxta Bosphorum Thracium classem Ligusticam invasit et profligavit, tribus et viginti triremibus captis, si vera refert Zurita, nam Blondus et Sabellicus aliter scripsere.

Eodem anno Marianus Judex Arborensis, qui Algarium a Rege sibi promissum, ut dicebat, habere non potuit, in suspicionem defectionis et affectati regni incidit: nam et Johannem fratrem de Rege benemeritum in carcerem conjectum bonis et Castro Montis-acuti, invito Petro, expoliavit, et Auriensibus assentiri, illisque occulte favere visus est, commeatus ex Arborea asportare, et Algarium, Castrum-genuense, atque alias inimicorum arces munire permittendo. Quare de his certior factus Rex, Petro de Sò Galluram custodiendam tradidit, et Urisei arcem cum Castro Terrae-novae, quod Sybilla Moncada ipsius Johannis uxor adhuc habebat, ne a Judice occuparetur, regiis praesidiis teneri, munirique fecit, ac denique Castro Rupis-fortis condito Stephanum Aragoniae Ducis Athenarum filium, Regisque Siciliae nepotem, qui dominatum in Sardinia habebat cum sagittariis et equitatu misit, bellumque Auriensibus indici jussit.

Prefetto di Gallura

Malaspina

Interim Fridericus et Azo marchiones Malaspinae in gratiam et obedientiam Regis redacti fuerunt, et inde Osili Castro donati, et in eorum antiquum statum restituti.

Itaque anno sequenti 1353 Rimbaus exercitu comparato contra Aurienses movens Castrum Montis-Leonis in primis expugnat. Deinde Castrum Genuense adortus capit, Algariumque obsidet, subactis Manfredo et Matthaeo Auria, quibus postea Rex Montem Leonem et Claramontem in feudum tradidit. Deinde Bernardus Cabrera quadraginta quinque triremium classe Sardiniam veniens cum Venetorum foederata classe viginti triremium, quae in portu Caralis duce Nicolao Pisano erat, Algarium adnavigavit, et Algarienses terra marique obsessos in summo discrimine posuit. Quare Genuenses, qui in Herculis insula, vulgo Asinaria, cum quinquaginta triremium classe ad pugnam

Battaglia navale

parati erant Antonii Grimaldi ductu Algarium versus movent, et in Algariensi sinu cum Veneto-Aragonensi classe ad pugnam devenere. Pugnarunt utrinque non minori ferocia, quam fieri solet in pedestri ac statorio certamine, cominus manibusque consertis, ac post atrocissimam pugnam, Genuensibus oppressis, vix praetoria eorum navis e media ceterarum clade cum una aut altera aegre est servata; nam reliquae omnes aut media pugna depressae fuere, aut venere, ut inquit Sabellicus, in victoris potestatem. Ceterum Rex Petrus refert decem et septem illarum ab Aragonensium manibus evasisse. Hoc navali praelio octo Genuensium millia obiisse, et tria millia ac ducentos captos fuisse, traditum, desideratis tantum ex Aragonensibus tercentis quinquaginta quinque.

Tanta clade Aurienses animis cecidere, et Bernardo Cabrerae, desperato jam subsidio, se dedere, ut referunt Volaterranus, Sabellicus, Rex Petrus, Zurita, Justinianus, et Cyprianus Manenti.

Genuenses hac adversa pugna fracti ad Johannem Vicecomitem, Mediolani principem, atque ad Summum Pontificem confugerunt. Sardi insuper qui ad Genuenses defecerant, et praesertim Gallurenses, ad eumdem Johannem Vicecomitem legatos miserunt, qui eorum oppida et fortunas omnes publicas et privatas illius fidei traderent, et precarentur, ut se adversus omnem Aragonensium injuriam tueretur. Quam deditionem libens Vicecomes accepit, atque Genuenses, eosque Sardos, qui ad eum confugerant, bene sperare jussit, pollicitus fore ut nunquam eos publici illius studii in Vicecomites poeniteret, ut Bernardus Corius, Sabellicus, et Volaterranus referunt.

Hac victoria elatus Bernardus Cabrera de mense septembri Marianum Judicem Arboreae defectionis crimine notatum ad se venire jussit, nec Timboram virum excusantem audivit, vel bellum deinde minitantem timuit. Quare Marianus ira percitus, inito cum Johanne Vicecomite foedere contra Aragonenses in apertum bellum prorupit, atque Algarienses in primis regiis trucidatis ministris in defectionem induxit, et cum illis ceterisque, qui sub Auriensium dominatione erant, urbem Sassaris obsessam tenuit, multisque illatis incommodis ad

Strage degli Aragonesi in Alghero

defectionem inducere tentavit; sed Boristor Pogius, ea comperta fraude, cum primoribus Sassaris urbem ab insidiis liberavit: qua de causa oppido Sennoris a Rege fuit donatus.

Deinde Bernardus Dezcoll Viceadmiratus jussu Bernardi Cabrerae octo triremibus portum Turritanum appulsus subsidium Sassarensibus opportunum attulit, et obsidionem solvit. Sardi tamen prope omnes Judicatus Caralitani Arborensem Judicem sequentes, coactis septingentis equitibus et pluribus peditibus, ductu Petri de Sena viri Arborensis, et Azonis de Busquis, Castrum Orgogliosum in regione Gerreis in primis adorti capiunt et ruinis deformant; inde in Castrum Caralis moventes Decimum expugnant, Gerardo de Donoratico capto; deinde in Quarti oppido prope Caralim castrametati incursionibus et populationibus Caralitanos infestos reddidere. Quare Bernardus Cabrera, qui cum Aragonensi classe in portu Caralitano erat, eductis e triremibus equitum peditumque turmis, praelium cum illis commisit, multisque occisis reliquos in fugam vertit, partaque victoria classem reversus laetus Sardinia solvit, ut refert Zurita.

Eodem anno de mense decembri Lupus Gurrea, Bernardus Thous, et Franciscus Rema, Regis legati fidelitatis jusjurandum pro regnis Sardiniae, et Corsicae Innocentio VI. praestitere.

Anno autem sequenti in fine mensis decembris Rex Petrus veritus potentiam Judicis, nec non Genuensium et Insubrium apparatum, duodecim triremes duce Michele Perez Çapata cum copiis in Sardiniam praemisit, et instructa nonaginta triremium classe de mense junio Algarium proficiscitur cum numeroso exercitu, cujus proceres sunt infrascripti

Leonora a Portugallia, uxor Petri, et Constantia filia.

Robertus dux Bavariae
Johannes Grellius eques Anglus
Lupus Comes de Luna
Philippus de Castro
Johannes Ximenes de Urrea
Johannes Martinez de Luna
Ferdinandus Ruyz de Jahuste commendator major montis Albani
Blasius Ferdinandus de Heredia
Lupus de Gurrea
Stephanus Aragoniae Ducis Athenarum filius
Petrus Jordanes Urries regius architriclinus
Jordanes Perez de Urries
Johannes Perez de Urrea
Didacus Gonzalez de Cetina
Raymundus Perez de Pisa
Emanuel Entença

Ximenes Gurrea
Johannes Çapata
Petrus Gilbertus
Gerardus Lopez a Cetina
Raymundus de Ligna . . . qui omnes erant Aragonenses
Petrus Exerica
Gilbertus Centelles
Matthaeus Mercerus
Olphus Proxita
Alphonsus Rogerus de Lauria
Petrus Massa
Raymundus Riusech
Gilbertus Casteletus
Gonzalus de Castelvi
Petrus Lopez de Oteyca
Rogerius de Ravenach
Petrus Boyl . . . qui erant Valentini
Ugo Vicecomes Cardona
Bernardus Cabrera qui erat totius belli, et classis praefectus
Bernardinus Vicecomes Cabrera, et ejus filius
Andreas Vicecomes Canneti
Athus a Moncada, et
Rogerius a Castelbò, . . . qui erant Cathalani, et plures alii.

Hi omnes portum Nymphaeum, vulgo Comitis, prope Algarium appulsi, extemplo exercitum in terram exponunt, et oppidum circumquaque obsidentes aggeribus vineis et turribus frustra oppugnarunt, nam erat septingentorum militum praesidio satis munitum.

Praeterea Raymundus Riuseccus Castri Sassaris dux terras Judicis Arborensis et Auriensium populaturus invasit, ubi Rogerium Rosanes, Aymonem Papiolum, Martinum Leherum, atque alios plures a Matthaeo Auria captos amisit. Judex Arborensis autem, qui in civitate Bosae exercitum duorum millium equitum, et quindecim millium peditum coegerat, subsidio Algariensibus profectus, quarto ab illis milliario est castrametatus, paratus regia castra aggredi, quum classis Genuensium quadraginta triremium, et multorum navigiorum minorum redux ex oris Venetis auxilium ferret obsessis. Atque in longius bellum esset prolatum nisi frustra pluries tentata aggressione, timor Genuensium, rerum penuria et morbi post quatuor mensium obsidionem Regem ad pacis propositiones inclinassent. Quare opera Petri ab Exerica Judici affinis pax est composita, qua Regi Algarium fuit traditum, obsidio Chirrae soluta, Villeclesiani qui ante defecerant dediti, oppida Judicatus Gallurensis ad annos quinquagintasex Mariano sub annuo censu concessa, Materò et Gelida restituta, et Castrum Genuense, Montisque

Leonis, atque cetera oppida, quae antea in Sardinia habebat, Matthaeo Auriae in feudum tradita. Excessere ab humanis vi morbi Philippus de Castro, Atbus de Moncada, Petrus Galzerandus de Pino, aliique plures, Rex etiam in febrim inciderat.

Hac pace firmata Algarienses omnes eliminantur, atque urbs Aragonensium et Cathalonorum colonia completur, agro inter eos diviso. Quae omnia postquam Rex composuerat Sassaris urbem proficiscitur cum uxore et filia, Bernardo Cabrera, Gilberto Centelles, Bernardo Vicecomite, Berengario Carroz, aliisque proceribus, ubi a labore et morbo aliquot diebus recreatus laudavit Sassarensium fidelitatem, urbem ipsam et omnes qui in obsidionibus viriliter se gesserant, privilegiis muneribusque donavit, et Baroniam Osilensem Regii Vicari Sassaris jurisdictioni supposuit, urbemque ipsam, Castrum Osuli, et Castrum Auriae praesidiis firmari jussit, omnemque insulam turribus speculatoriis communiri jussit, ut ignibus sublatis signum ubi quid hostis moliretur momento temporis acciperet, quod ex Zurita et monumentis in Archivio Sassaris et Caralis reconditis constat.

Anno deinde 1355 de mense januarii Rex Algarium reversus triremes conscendit, et Caralim proficiscitur, ubi Gerardum Comitem de Donoratico, qui paucis ante diebus obierat crimine perduellionis damnavit, ejusque dominatu publicato Petrum Veguerium de se benemeritum oppidis Taverrae, Eristolae, Octavae in Fluminaria; Esse, Longi, Usse et Issi in regione Nurrae, et Lanarae in regione Gallurae donavit. Deinde comitiis indictis cum legatis Judicis Arboreae, Matthaei Auriae, et Pisanorum, qui absentes erant, nec non cum Manfredo Darde, Guantino Atzone, Barptholomaeo Catone, Catonetto Auria, et aliis multis Sardiniae proceribus, de rebus Sardois egit, omnesque ad pacem fidemque servandam hortatus est. Marianus Judex quamvis vocatus regem videre et comitiis intervenire noluit, nec Timboram uxorem, ejusque filium Ugonem, ad regem mittere, nisi fide publica accepta, est ausus;

Interea quum Petrus ab Exerica, Gilbertus Centelles, et Blasius Ferdinandus ab Heredia Judicem adiissent audituri quae ab eo proponebatur super Corsicae aggressione, Rex

videns Villecclesianos ab Judice tentari, cum Genuensibus et Duce mediolani eum adhuc sentire, nec arces Gallurae, castra Montisferri et Marmillae ex conditione foederis reddi, nec exercitum solvi, hinc perinde ac si pax inita non esset urbem Sassaris cum castris Osuli et Auriae validiore praesidio custodire Bernardo de Cruillas Logudori gubernatori, et Bernardo de Guimerano jussit, et Petrum Ximenem Samperum Algariensibus ducem praefecit cum exercitu ex Cathalonia venturo. Deinde Lupum Gurrea et Franciscum de Perellos de tuta et tranquilla pace acturos cum Judice misit legatos cum potestate. Qui kal. jun. in oppido Salluris judicem alloquuti, Galluram ab eo censumque regi debitum et non solutum petierunt, et castra Bonvicini Capulae et Ardarae a Damiano Auria injuste illi vendita restitui, vel de illis (datis prius ejus filiis obsidibus) facto sequestro Archiepiscopum Caralitanum judicium ferre postularunt Cognovit Judex cum Rege nullam fuisse pacem, ac bellum distulisse: nam ea contra foederis conditiones petebantur. Itaque dimissis, re infecta, legatis Judex exercitum instruere et copias augere curavit: nam omnia suspicionis bellique imminentis plena erant. Quod Rex aegre ferens has litteras scripsit, et VI. id. junii ad Judicem transmisit.

PETRUS REX

Dilecto Nostro Judici Arboreae, Comiti Gociani, Vicecomiti de Basso salutem et dilectionem.

« Opportunum existimatur ac etiam consonum rationi, ut « cuicumque restituatur quod ab aliis indebite retinetur; ad « quod Augustinus et Canon ajunt. Non dimittitur peccatum, « nisi restituatur ablatum. Hinc est quod quum vos, jam diu « est, tenueritis et tenetis capta et occupata Nostra sequentia « Castella, videlicet Castrum vocatum Castel-Pedrès, et Castrum « nominatum de Bonvicino, Castrum de Terranova, Castrum « de Ardara, et Castrum de Capula cum eorum et cujus- « cumque terminis, territoriis, juribus, et suis pertinentiis « universis; quae quidem Castra cum dictis eorum terminis « Nostra fuerunt et esse debent, pertinuerunt ad Nos et

« debent pertinere, Nobisque restituere hactenus recusatis in-
« debite et injuste in damnum et detrimentum maximum ve-
« strae animae et conscientiae, ac Nostri vilipendium et con-
« temptum, recipiendo indefructus reditus et proventus, et
« alia jura ex eis provenientia, et inde faciendo vestras omni-
« modas voluntates. Quum autem de jure et aequitate et opti-
« ma ratione, nec non auctoritatibus antedictis, vos deccat
« et teneamini dicta castra, et eorum quodlibet, cum fructibus
« inde perceptis et qui percipi potuerunt ab occupationis et
« usurpationis tempore, citius restituere et reddere Nobis, aut
« cui voluerimus loco Nostri, nec ulterius retinere, quatenus
« peccata ingratitudinis, et crimen laesae majestatis, cupiatis
« evitare: idcirco Vos dictum Judicem cum instantia, quanta
« decet, requirimus, et monemus, Vobisque mandamus expres-
« se quatenus praedicta castra cum eorum terminis et perti-
« nentiis, ut praefertur, Nobis restituatis, seu restituere fa-
« ciatis cum fructibus inde perceptis, et qui potuerunt per-
« cipi, incunctanter, ac morosis dilationibus et frustatoriis
« exceptionibus ac excusationibus cessantibus quibuscumque;
« alioquin si circa supradicta adimplenda negligentes fueritis
« vel remissi, procedemus contra Vos, et bona vestra, rigide
« et potenter ad vindictam eorumdem, sic quod jus Nostrum
« remanebit penitus illibatum, Vosque sentietis commissorum
« poenam, quae insane et improvide peregistis. Dicimus quod
« de praesentatione et relatione praesentium Gulielmo de A-
« piaria cursori Curiae Nostrae, et jurato nuncio ad hoc
« damus et dare intendimus plenam fidem ». Datum in Castro
Caralis octavo die junii anni Domini 1355.

Quum Judex his inspectis litteris omnia detineret, primasque pacis sanctiones esse omnino servandas responderet, Rex graviter exardescens XII. kal. julii bellum contra Judicem reparavit: infidam infamemque pacem et iniquis conditionibus sancitam dicebat: missique sunt Petrus Exerica et Bernardus Cabrera copiis in fines Arboreae, et cum Judice obviam facto levibus praeliis decertantes quemdam regem Maurum in hoc bello regi servientem amisere, et Berengarium Monros. Praeterea Artalis de Pallas adversus Trecentanos Pisanorum subditos, qui cum Judice Arborensi foederati regem oderant, mit-

titur, et Bernardus Cruillas Logudori gubernator cum Petro Ximenes Sampero duce militiarum illius provinciae contra Matthaeum Auriam exercitum duxit: sed nullum insigne praelium commissum. Tandem quia Genuenses pace composita cum Venetis poterant rebellibus jam succurrere, Rex animum ad pacem inclinavit, et missis legatis cum potestate Lupo Gurrea, Francisco de Perellos, Berengario Dolms V. jdus julii in oppido Salluris his legibus bellum est compositum, ut Judex tria florenorum millia solveret; Castrum Bonvicini, Castellum Pedresi, Urisam, et alia Gallurae oppida Regi cederet; redditis sibi Materò et Gelida, Castra vero Ardarae et Capulae, quae Judex ex venditione Damiani Auriae habebat, et Castra Genuense, Rupis-fortis, et Claramontis, quae Matthaeus Auria habebat, Archiepiscopo Arborensi, vel Episcopo Usellensi, traderentur, quousque de illis Innocentius Papa judicium ferret, cui deberentur. Quibus sic compositis et ex praescripto peractis, Marianus Judex et Matthaeus Auria obedientiam Regi praestitere et fidelitatem jurarunt, Timbora Judicis uxor, et Ugo primogenitus debitam reverentiam exhibuere. Atque ita VIII. id. sept. Rex Sardinia excessit munitis prius novo praesidio et ducibus Castris Sassaris, Caralis, Chirrae, Coronii, Santanae, Villae Gireti, Galtellini, Fabae, Auriae, Gioiosae guardiae, Aquaefridae, Villae Doxae, Cocinae, Contae, Villae gioiosae, Narcati, Tului, Villecclesiarum, Villae novae Sulcensis, et Castri Pedresi, ut ex Zurita et monumentis Regii Archivi Caralitani constat.

Anno tamen sequenti Matthaeus Auria a Rege deficiens bellum in regione Logudori instauravit, et castrum Auriae cepit. Genuenses et Vicecomites et Aurienses foedus contra Regem percussere. Quare Innocentius Papa cum illis de pace egit. Verum quia Genuenses insulam Corsicae, Aurienses antiquum dominatum, et Vicecomites Gallurensem Judicatum, in quo Urisenses jam parebant, petierunt, Rex pace repudiata classem duce Gilberto Centelles in Sardiniam misit, et Vicecomites atque Aurienses exercitum contra Sardos fieri imperarunt.

Altero autem anno Matthaei Auriae mors insulam pacatam aliquantulum reddidit. Brancadoria ejus nepos, Brancaleonis fi-

lius in illius dominatu succedens pacem a rege adeptus, et simul cum Castro Genuensi, Auriae, Montis-leonis, Rupis-fortis, et civitate Guisarchii, regiones Nurcarae, Capitis Aquarum, et Anglonae. Quae res anno sequenti 1358 causam novi belli dedit. Nam Nicolaus, Antonius, et Julianus Auria, cum Judice Mariano foederati contra Brancam Auriam ob id arma cepere, et simul cum Genuensibus insulam infestam reddidere. Quare feudatarii omnes, qui in Sardinia dominatum habebant, debita obsequia in eo bello praestare jussi sunt. Erant autem hac tempestate

Feudatarii Sardiniae.

Berengarius Carroz, qui habebat oppida Cellarii, Palmae, Germeae, Sennuris, Septimi, Sinnai, Sexti, Ceparae, Siurii, et Villae-novae S. Basilii, in regione Curatoriae Campitani; oppida Uttae superioris et Uttae inferioris, et Ortixedri in regione Curatoriae Decimi, quae antea erant Johannis Solit, oppida Tucati, Norariae, Petreti, Villaetronae, Castiadae: Orreae, Ulmi, Igualis, Cortimiae, et Pupus, in regione Curatoriae Sarrabi; oppida Terteniae et Ulli in Judicatu Quirrae: oppida Villaemajoris de Pontis in Judicatu Colostrais: oppida Tortolini, Girasolis, Lotzorais, Barini, Ilboni, Gairi, Lanuseis, Bauneis, et Arzanae, in Judicatu Agugliastri: ac denique oppida Olienae et Golionis in Judicatu Gallurae.

Bonanatus Cabrera, qui habebat oppida Serrentis in regione Curatoriae Nuraminis, et Paulis in regione Curatoriae Campitani.

Bernardus Descoll, qui habebat oppidum Quartiioni in eodem Campitano.

Petrus Sittiges, qui habebat oppidum Barallae in regione Curatoriae Nuraminis.

Franciscus Sancti Clementis, qui habebat oppida Pituxi, Mogori, Bargargiae, S. Mariae de Claro, Salsalis, Soleminis, Scanni, Sinnii, Sennenosi, Maheris, et Giulii in regione Curat. Campitani, et oppidum Gulbisae in regione Sigerri.

Henricus Alomar, qui habebat oppida Marae, Sirii, et Calagonis in Curatoria Campitani.

Bernardus Ladrera, qui habebat oppida Simbilis, Coronji, et Fluminalis in Curatoria Campitani, oppidum Nepos in Curatoria Sulcis; oppida Montis-galtelli, et Vignolae in Curatoria Montis, oppida Torpehe, Nurali, Isarlis in Judicatu Gallellino.

Petrus de Arbe, qui habebat oppidum Gesici in Curatoria Seurgi.

Berengarius Entença, qui habebat oppidum Sipiolae in Curatoria Doliae.

Raymundus a Monpavone, qui h abebat oppida Ussanae, Sidriani, et Bacchi in curatoria Doliae, oppida Taverrae, Aristolae et Octavae in curatoria Fluminariae; oppida Esse, Longi, Ussae, Issae in Curatoria Nurrae, et oppida Canarai in Judicatu Gallurae.

Johannes de Vacaduno, qui habebat oppidum Boraculi in Curatoriae Doliae.

Alibrandus de Sena, qui habebat oppida Turris, Sisternae, Jannae, Trogudoris in Curat. Doliae; oppidum Serris in Curatoria Seurgi; oppida Frongiae, Sebatzi, Ursae, Musei, Margani, Seici, Gibasturbae, Serrais, Baressae et Perucci in Curatoria Sigerri; oppida Palmae, Uratellis, Pesi, Burstri, Baidecannas, Petrargii, et Garenatae in Curatoria Sulcis.

Raymundus de Ampurra, qui habebat oppidum Sicci in Curat. Doliae; et oppida Seurgi, et Nigolli Curatoria Seurgi, atque oppida Suergii, Arenae, Trataliae, Pransi et Marbae in Curatoria Sulcis.

Thomas et Raymundus Marchettus, qui habebant oppida Nuracati, Donoris, Moduli, et Parasuli in Curatoria Doliae.

Petrus de la Casta, qui habebat oppida Monasterii, et Segogi in Curatoria Doliae; oppida Noracis, Sentis, et Pramontis in Curatoria Nuraminis. Hic interfuit et pro Gulielmo Escopeto qui oppidum Ninoxi habebat in Curat. Doliae.

Dalmatius Jardinus, qui habebat oppida Gibae et Puxmae in Curat. Sulcis, et oppidum Sigulis in Curatoria Sigerri, quod erat prius Gulielmi Escopeti.

Episcopus Doliensis, qui habebat civitatem Doliae et Bonavogliae.

Raymundus Satrillas, qui habebat oppida Castagnani, Sur-

legi, Connosi, Silii, Ballai, Armungiae, Latrini, Salti, Nuragi, et Sisini in Curatoria Galillae.

Johannes Carros, qui habebat oppida Speciani, Jstisai, et Castrum Orgogliosum in Curatoria Galillae cum Villanova Scaleplanae et oppidis Donnigalae, Sercolais, Scolchae, Mandarae, Nurris, Gergeis, Gerselai, Ussassai, Turbeni gentilis, Sadalis, Guidalae, Cosi, Pauli et Lesei in Curat. Seurgi.

Bertrandus Gulielmus de Torrente, qui habebat oppidum Furteis in Curatoria Nuraminis.

Ughettus a s. Justo, qui habebat oppidum Villae-graecae in Curat. Nuraminis.

Communitas Pisarum, quae habebat oppida Ortacesos, Goy majoris, Alurae, Seboci, Sennorbini, Bangii, Segolais, Arcuasilis, Simieris, Turris, Separae, Arigis, s. Basilii, Segarini, Sele-gbae, et Goi in Curatoria Trecentae; oppida Gippis superioris, et inferioris, ~~Leni~~, Pavi de Vinea, Xirdi, Leni, Ispidi, Aquenzae, Paurusi, Issi, Fanaris superioris, Fanaris inferioris, Mumpupusi, Marci, Serrae-mannae, Scari, Balnei, Sipoli superioris, Sipoli inferioris, Sogus, Palmae, Masonae, Gurgi et Donnicelli in Curatoria Gippis.

Petrus Gomes de Pennacuta, qui habebat oppidum Coronji in Curatoria Sigerri, ed oppida Guini et Barexis in Curatoria Seurgi.

Malgantus de Ampurias, qui habebat oppidum Orrolis in Curatoria Seurgi, et oppidum Samassai in Curatoria Nuraminis.

Ughettus S. Pacis, qui habebat oppidum Salluris in Curatoria Nuraminis, et oppidum Decimi-magni in Curatoria Decimi, quod a Rege habuit pro custodia Castri Salluris.

Bernardus Petrillas, qui habebat oppidum Barallae et Samassis in Curat. Nuraminis.

Heredes Narcissi Pontirani, qui habebant oppida Nuraminis inferioris et Cuxellae in Curat. Nuraminis.

Petrus de Labia, qui habebat oppidum Nuraminis superioris, Norapetzi et Borri in Curat. Nuraminis, et oppidum Sirici in Curatoria Sigerri.

Emmanuel de Entença qui habebat oppida Salis, et Pauli de Nora in Curat. Norae.

Raymundus Montagut, qui habebat oppida Horti-Jacobi et Terralbae in Curat. Norae.

Franciscus de Marsella, qui habebat oppidum Vestaris cum medietate oppidi Chiae in Curatoria Norae.

Alphonsus Calatayud, qui habebat aliam medietatem oppidi Chiae.

Marcellus Durdo, qui habebat oppidum Villaenovae in Curatoria Nora.

Franciscus de Coral, qui habebat medietatem oppidi Mogori in Curatoria Decimi.

Nicolaus Lotz, qui habebat reliquam partem.

Bernardus Coff, qui habebat oppidum Ardae, et alia deserta oppida in Curatoria Sigerri.

Petrus Martinez de Carassa, qui habebat oppida de Bingiargia, Sibolesii, et Baratuli, in Sigerro.

Justa Soldor, quae habebat oppidum Antesumadae in Curatoriae Sigerri.

Arnaldus de Ogiulo qui habebat opp. Addae in Cur. Sulcis.

Heredes Bartholomaei Cespujades, qui habebant oppidum Teuladae in Curat. Sulcis, et oppidum S. Mariae de Paradiso in Curat. Campitani.

Pontius Ugo de Ampuria, qui habebat oppidum Nucis et oppida Prati Longi, et Morgali in Curatoria Sulcis.

Marcellus Dalmatius, qui habebat oppida Archiepiscopi, Erculenti, et Manissae, in Curatoria Colostrais.

Bernardus Quiterano, qui habebat oppida Sorrui, et Plani de Castiada in Curatoria Sarrabi.

Consalvus Martinez de Corasta, qui habebat oppida Solanas et Thizae in Curatoria Campitani.

Jacobus Damianus, qui habebat oppidum Asseminis in Curatoria Decimi.

Franciscus Rubeus, qui habebat oppida Sirochae, Petraesalis, Garabionis, s. Mariae Magdalenae, et Cuchi in Curatoria Norae.

Petrus de Deo, qui habebat oppidum Speciosae in Curatoria Norae.

Timborgeta Roccaberti, uxor Mariani Judicis, quae habebat oppidum Capitis Terrae in Curatoria Norae.

Galielmus de Podio-alto, qui habebat oppida Agugaris, Gardoci, Lapiae, Malaterrae, Dani, et Saragui in Curatoria Ta-

rae in Gallura; et oppida Agii, Templi, Larinassi, Guortiglassæ, Nugue, Lauras, et Campi in Curatoria Geminis.

Bartholus Casu, qui habebat oppida Binissae, Unifais, et Galtelli civitatem in Judicatu Gallurae.

Franciscus de Labia, qui habebat oppidum Lulae in Judicatu Gallurae, quod erat antea Francisci Monpavonis.

Matthaeus Torrens heres Gerardi Torrentis, qui habebat oppida Loculi, Dorgalis, Duascodere, Dulosorre, Muri, Scopeti, Sifilionis in Judicatu Gallurae, et regione Uriseis.

Flaminius de Musato, qui habebat oppidum Irgolis et Gorofais in eadem regione.

Petrus Daço, qui habebat oppidum Siniscolae, Guerrenoleneri, Tammarispae, Polteriscae, Pananae, Stellari, Guidani, Lochoe, Illoi, Posatae, Ossi, Lodehe, Orfilis superioris, Requisonis, et Sullais in Judicatu Gallurae.

Raymundus Cardona, qui habebat oppida Horti-murati Castri, et Corverae in Judicatu Gallurae; oppida Noracis, Uranni, Vineae majoris, et s. Stephani in Curatoria Balaniana; et oppida Assuni, Albargii, Aristanis, Loci-sancti, Ariaganis, et Lapaligae in Curatoria Montagnae.

Johannes de Arborea, qui habebat oppida Verri, Puzzoli, Caresi, Toresi, et Villae majoris, Calaniani et Taresini cum agro Pipissonis et Congiani, quae antea erant Bernardi Senesterrae, et urbem Terrae-novae in Judicatu Gallurae.

Franciscus de Durantibus, qui habebat agrum et oppidum Cassari ab eo conditum in Gallura.

Catonettus Auria, qui habebat oppida Orfilis inferioris, Batoris, Terrargiae in Curatoria Balaniana; Calaniani in Curatoria Geminis; Ojani in Curatoria Caniani; Castri in Curatoria Unalis; Malassi, Agoragni in Curatoria Montagnae.

Johannes Morcan, qui habebat oppidum Serpeis in Judicatu Gallurae.

Thomasa de Serra, quae habebat oppidum Gurgurais insulae Posatae.

Hospitale s. Johannis, quod ex legato pio habebat oppidum Lodehe.

Boristorus Pogius, qui habebat oppidum Senneris in Curatoria Romandiae.

Gulielmus, et Ferretus Lull, qui habebant oppida Sursae, Gemonis, et Uruspae in curat. Romandiae.

Archiepiscopus Turritanus, qui habebat oppidum Lechelis in Curat. Fluminariae.

Gombaus Ribellas, qui habebat oppidum Bionis in Curat. Nurrae.

Gilbertus Monbovinus, qui habebat oppida Sugarrae, Occoae, Gilitis, Vialosi in Curat. Nurrae.

Otgerius Mameus, qui habebat oppida Esquilis, Duo-nuragis, Nurchis, Castri et Essolae in Curat. Nurrae.

Johannettus Corsus, qui habebat oppida Villae franchae Ericis in Curat. Montis.

Johannes Niger, qui habebat oppidum Cargieghe in Curatoria Figulinae.

Albertinus Corsus qui habebat oppidum Noalis in Curatoria de Coros.

Rex etiam hoc tempore in Sardinia habebat urbem et Castrum Sassaris, Castrum Caralis cum suburbiis Stampacis Lapolae, et Villaenovae, et oppida Quarti, Pirri, S. Vidriani, et Cipolae, quod habuit a Raymundo Cavall in Curatoria Campitani; Castrum Aquae-fridae cum oppidis Villaenovae, Macii, Borri, Villaenovae-Concii, Tului, et Perucii in Curat. Sigerri; illis adjunctis Castro Gioiosae guardiae cum illius oppidis Josi, Astiae, Nalarcati, Sigerri, et Sole in Curat. Sigerri; Castrum Chirrae cum illius suburbio et oppidis S. Petri et Lentischi in Judicatu Chirrae; oppida Coronji, Sedani et Carbonariae in Curatoria Campitani; Castrum Galtellinum et castra Fabae et Pedresi, Urisei et Osili cum illius suburbiis, et oppida s. Mariae de Scalas, Felisquentini, Tonsae, Gutois, Utalis, Sassalis, et Bualis in Curatoria Montis, nunc Baronia Osili dicta; civitatem Plovacae cum Castro Figulinae et illius suburbio, et oppidis Salvennori, Noagri, Biguegnis, Senae, Briais, Codrongiani superioris et inferioris, Mosquiani, Sebodae, Congrae, Muri, et Dulnosae in Curat. Figulinae; oppida Manstolae, Vindiguinoris, Sartis, Ossis, Tissis, Usinis; Bangii, Paulis, Zuccae, Turtanae, Lodai, Canneti, Iteris, Oltazoris, Turriguis, Liessis, Noracis-longi, et Junchi in Curat. de Coros; oppida Algarii, Vessi, Lunafras, Ul-

meti, Etcii, s. Marci, et Minutades; Castrum Bonvicini cum suburbio, et oppidis Patriae, Mocitani, Minervae, Moduli, Sumantis, et Ogii.

Cetera Sardiniae castra et oppida habebat Judex Arboreae, et alii hostes regis, ut ex antiquis monumentis constat.

Anno deinde sequenti 1359 cautum a Rege fuit ne bona feudalia in dictis locis possessa clericis aut ecclesiis ullo modo sub eorumdem bonorum amittendorum poena traderentur.

Anno autem 1360 Branca Auria a Rege defecit, et contra Gubernatores Sardiniae arma cepit omnia incursionibus et populationibus complendo. Quare Pontius Altariba cum classe regia in Sardiniam navigans castra et alia loca insignia munire curavit, ut refert Zurita.

Interea Genuenses bellum Sardoum prosequentes insulam maximis afficiebant incommodis. Itaque Rex Petrus, qui maximo bello in Hispania cum Rege Castellae erat implicitus, ne eodem tempore etiam in Sardinia bellum Genuensium sustineret, facto differentiarum compromisso, ex sententia Johannis Marchionis Montis-ferrati pacem cum Liguribus inivit, et Aurienses in pristinum eorum statum restituit, Algario et Castro Bonifacii in Corsica penes eumdem marchionem relictis, ut de illis et de Corsica, et quibusdam Sardiniae locis judicium ferret, Zurita referente.

Eodem anno Constantia Petri Regis filia, indulgente Innocentio Papa VI, nupta Friderico Siciliae regi, in Sardiniam venit, et ibi totam hyemem peregit; magnaque deinde Sardorum ac Catalanorum multitudine comitante Siciliam petiit, ut referunt Thomas Facellus, Maurolicius Abbas, et Zurita.

Hac tempestate in agro Villecclesiarum erat ingens effossio argenti et plumbi, ut constat ex antiquis monumentis Carali in Regio Archivio servatis.

Anno 1361 Timbora Mariani Judicis uxor oppidum Caputerrae Dalmatio Rodigia a Bagnolis vendidit, et a bello cessatum est in Sardinia.

Anno autem 1362 pestis et suspicio imminentis belli Sardiniam invasit. Quare oppida Sorrui, Arcenis, Stopopladis, Garrudi, et Erculenti curatoriarum Sarrabi et Colostrais Marcellino Dalmatio, et Bernardo Quiterano absque liberis defun-

ctis in regis ditionem redacta mille et quingentis libris fuerunt Berengario Carroz vendita, ut ex illorum pretio urbs Sassaris muniretur, custodiis vigiliisque firmaretur: nam in Sassaris defensione totius Logudori defensio consistebat. Insuper Rex magnam frumenti vim ex circumvicinis locis quotannis in eam urbem adduci et asservari jussit, et Antonio Podioalto facultatem disponendi dedit de suis oppidis, Gonni et Samassai; et oppida Marac-Calagonis et Sexti Gulielmo Olomai donavit, qui statim mille et quingentis florenis vendidit Berengario Carroz, et anno sequenti 1363 Castrum et suburbium Chirrae cum oppidis Carbonariae, Coronji, et Jardini eidem Berengario tradidit, ac titulo Comitatus Chirrae decoravit, illique ut latius Comitatus fines paterent indulsit oppidum s. Mariae de Paradiso, seu de Ecclesia, a Francisco Sancti-Clementis herede Barptholomaei Cespujades, et oppidum Solanas a Consalvo Corasta, oppidumque Fluminalis ab heredibus Bernardi Cabrera habere posset, prout ex vendito habuit. Eodem anno Rex duce Petro Lupo a Bolea copias plurimas in Sardiniam misit.

Anno sequenti, nempe 1364 Urbanus V. hujus nominis Pontifex de abdicando Petro, et creando Mariano Sardiniae rege in consistorio egit. Nam Petrus diuturno bello pecunia exhaustus bona Camerae Apostolicae, et fructus omnes Ecclesiasticorum non residentium in suis regnis, occupare fecit, et jam monitus restituere neglexerat. Tamen voluntate Urbani de creando Mariano Sardiniae rege litteris Ferdinandi de Heredia cognita, penitus resipuit, ac necessitatis excusatione se defendens veniam a Pontifice impetravit.

At Judex Marianus majorem insulae partem adeptus pro rege se gerebat, et a Petro Castellae rege suadetur, ut his temporibus, quibus in Hispania Rex Aragoniae communis hostis multis et implicitus bellis occasionem non spernat tota potiundi Sardinia. Itaque

Anno sequenti 1365 Marianus bellum in Sardinia prosecutus oppida Salluris est Villeclesiarum, Castrum Padres, et alia multa oppida occupavit, majoremque regni partem sub sua ditione habuit; eumque sequuti sunt Alibrandus de Sena, ejusque filius, qui in bello ceciderunt, et Sardi pene omnes,

Jardi

etiam ii, qui Pisanis subjecti erant, et Salebrus Auria avunculo prius occiso.

Rex ergo anno 1366 Barchinonem profectus Olphum a Prochita cum classe in Sardiniam contra Judicem misit, eique tercentorum militum praesidio Logudori custodiam demandavit. Praeterea, de mense octobri Ugo Sanctae-pacis equites peditesque plures in Sardinia coegit, ut simul cum Berengario comite Chirrae cum Branca Auria et Gubernatore Sassaris Judici se opponerent. Ducenti item milites subsidio Caralis ex regno Valentiae advenere, et in Castro Fabae, mortuo Oliverio Togores, novus dux cum valido praesidio sufficitur, militesque omnes disponuntur in Gallura et Algario, ubi Johannes Carroz præerat: nam Judex copiis potentior formidolosum nimis bellum gerebat.

Altero anno 1367, quo Judex exercitum ex Gallia conducere curabat, Aymericum Narbonae Vicecomitem Regemque Franciae Rex litteris rogat, ut nullum ferant Judici auxilium, nullumque militem in suis terris ab eo conduci patiantur, et Petrus Alberitus Logudori gubernator ex reditibus Algarii venditis stipendia militibus solvit, ut ex antiquis monumentis constat. Eo tempore Rex donavit Magdalenae Antonii Garesi uxori oppida Barcae et Coronji in regione Sigerri.

Anno 1368 Laurentius et Johannes Sanna, insignes duces Sardorum oppidi Figulinae, cum Petro de Luna regni gubernatore et exercitu in Sardiniam venere, et simul cum copiis, quas Berengarius Carroz in insula habebat, arma adversus Judicem Marianum movent, et castra erigunt in Campo Oristani juxta Ecclesiam S. Mariae Magdalenae prope urbem, ubi Judex cum validissimo praesidio erat. Hic ubi Aragonenses plures per agros palantes vidit, eductis ex urbe omnibus copiis, castraque adortus, Petrum de Luna cum ejus fratre Philippo, et Petrum Pinnam Sardum Minutadensem Aragonensium defensorem, cum aliis multis occidit, ceteris ad unum captis, pro quibus centum obsides Sardi dimissi fuerunt, ac plures alii Aragonenses a Judice gratiose liberati insula excesserunt.

Hac elatus victoria Marianus Judex anno sequenti 1369: expugnavit Castrum Osili, et urbem Sassaris, quae tunc parvo tenebatur praesidio, petiit.

Rex ut rebus Sardiniae consuleret in Cathalonia constitit, et die 17 jan. 1369 misit in insulam Berengarium Carroz Comitem Chirrae Capitaneum generalem. Franciscus de Averso cum classe et exercitu erat in Sardinia.

Interea Judex Arborensis bellum prosequebatur contra regia loca, et duxit exercitum contra arcem Acquaefridae, quam Berengarius de Enteça summa virtute defendit.

Hac tempestate Brancaleo Auria qui Judicem fuerat in rebellione secutus in Regis gratiam opera Dalmatii Jardini gubernatoris Capitis Logudori restitutus habuit feudorum cofirmationem, et in argumentum regiae benevolentiae regali insigni, quod tunc temporis *anchora* erat, decoratus est.

Eodem tempore vulgatur Regem ad bellum Sardoum profecturum cum magno exercitu: et altera die post Pascha Resurrectionis dominicae regium vexillum Barchinone erectum est, et privilegia iis concessa, qui armati regem sequerentur, ut consueverat, quum militia conscriberetur ad bellum gravissimum.

Verum Marianus tota insula potiebatur, et a Sassarensibus in urbe sua excipiebatur. Sed viri ejusdem urbis optimates in castrum simul cum Jordano Tolar urbis Vicario se receperunt. Erat tum Castri Alcaydus Berengarius Carroz, atque cum eo erat eques Aragonensis Sancius Ximenes de Ayerne. Judex qui vi arcem capere non poterat Februario ineunte cinxit obsidione; ex quo tempore *vicus Arboria* ab Arborensium multitudine, qui ibi considebant, nomen sumpsit, quod retinet. Obsessi multa sunt passi frequentibus pugnis et morbis, occiditque inter alios praedictus de Ayerne. Tandem ad deditionem venere. Quiricus de Mancone, Joannes de Sotgio, viri oppidi de Tonsa, ob res bene gestas multis privilegiis a Mariano fuerunt donati.

Magno in periculo erat hoc tempore dominatio Aragonensis. Nam praeter Sardorum rebellionem, Aragonenses et Cathalani, qui in insula erant, et numero et armis parum valebant; praeterea magna erat dissensio inter Chirrae Comitem, qui erat Capitaneus generalis, et gubernatorem Caralis. Hac dissensione Rex impeditus ne in Sardiniam cum exercitu veniret hoc anno, bellum distulit in annum proximum, quod

consilium tamen non patefecit ne simul cum spe auxilii promissi concideret animus suorum. Interim misit Jaspertum Campolongum thesaurarium suum, ut necessaria pararet: Feudatarii Sardiniae jussi sunt praesto esse ad obsequium; Lapola, Sardis eliminatis, Aragonensium praesidio est custodita, Saturninus Pinna vir Minutadensis, Petrus Cambo, et alii plures Sardi, Mariano inimici, de Rege benemeriti, agro donisque ditati sunt; oppida Loculis, Dorgalis, Duascodere, Dulosorre, Muri, Scopeti, Sifilionis, Lulae, Judicatus Gallurensis Petro Trullo, et oppidum Gesici Antonio Podioalto, concessa sunt.

Gallura feudo

Anno 1370 de mense januarii Rex Tortosae morabatur ea providens, quae erant necessaria ut Sardiniam posset retinere jam ex suis manibus fugientem: et virum Siculum Benvenutum Graffeum baronem Partanae mittebat cum aliquot navibus ut commeatus opportunos afferret Caralitanis et Algariensibus; et imperabat ut quatuor principalia Castra Gioiosae guardiae, Acquaefridae, S. Michaelis, et Chirrae, necessariis instruerentur. Rex ob haec merita praedicto equiti Siculo concessit castrum et suburbium Galtellini cum aliis multisque locis in Curatoria Nurrae, illique dedit honorificum titulum Vicecomitis Galtellini.

An. 1370. 24. Giugno Alberto di Trilla fu Governatore de' Capi Cagliari e Gallura. ... della ribellione di Lamparto de Lamparti di Stampace.
Nello stesso anno 17. Settem. ... reg. potestà di Mastro della zecca d'Iglesias ad Arnaldo Moragner da aver effetto quando detta città sia ritolta al Giud. d'Arbor.

Brancaleo Auria a Francisco Villarasa atque Jacobo Finellero regiis legatis ad bellum contra Judicem Arborensem ex Castro-genuensi inferendum magnopere suasus primo vere hujus anni 1370 omnia populaturus movet exercitum in Arboreae fines, et Arborensium copias conserto praelio vicit atque fugavit.

Rex pluribus nunciis spem suorum fovebat de suo adventu in insulam cum exercitu, atque iterum expeditionem Sardoam indixerat. Sed bellum quod exarsit inter ipsum et Henricum iterum vetuit ne in Sardiniam contra Marianum proficisceretur.

Anno 1371 Res Aragonensium in Sardinia in pejus ruebant, eoque ventum erat ut Algarium et Caralis tantum cum aliquot castris superessent, unde Rex posset Arborenses repellere, cetera erant in horum potestate cum Castro Sassaris. Hic ab Judice Arborensi captus fuit Manuel de Enteça filius Poncii Ugonis fratris nothi Infantae Theresiae, matris ipsius Petri.

Quum Rex non posset celeriter subsidium mittere, studuit ut Brancaleo inducias pacisceretur cum Judice usque ad extremum mensis aprilis hujus anni. Pactis induciis Petrus misit Berengarium de Ripol ducem sex triremium ut arces Caralis et Algarii muniret, et concedente Dominico de Campo-fregoso Duce Genuensi, aliquot naves frumento onustas misit Caralitanis.

Hoc tempore Rex per Comitem Chirrae, quem misit Avenionem, cupiebat suadere Benedicto Gualtero equiti Anglo, ut cum ducibus et chortibus suis in Sardiniam veniret. Hic a Petro insignitus titulo Comitis Arboreae in insulam venit cum Berengario Carroz, Olfo Prochita, Philippo Lamberto de Villa clausa, Ludovico Ros, et Raymundo Augero de Pontsorga. Hoc exercitu, atque prudentia Gilberti Cruyllas, qui Logudori gubernator creatus fuerat, satis consultum fuit tuitioni urbium, quas adhuc Rex retinebat.

In gravitate vectigalium, quae imperabantur pro bello Sardoo clamabant populi vexati, et Sardiniam detestabantur, quae plurimi stabat ipsis et dispendio et clade virorum; atque orabant ut eam Petrus Sardis relinqueret. Sed hunc nulli clamores a proposito removebant.

Anno sequenti Gualterus cum suis Anglis bellum Judicis Mariani sustinuit; et Franciscus Fara Regius Consiliarius Carali insignis habitus est, ut ex monumentis R. Arch. Caralitani constat.

Anni 1373 majorem partem Rex consedit Barchinone, ut rebus Sardiniae melius posset prospicere. Veris enim tempore Ligures quadraginta triremes instruebant et copiis implebant, ut aestate ineunte Sardiniae litora peterent in subsidium Judicis Arboreae, quamvis nulla esset causa belli cum Rege. Propterea hic plures milites misit ad Gilbertum de Cruyllas, ut validius Algarii arcem defenderet.

Anno 1374 Genuenses in bellum prorumpunt, et in Sardiniam navigant Judici Arborensi suppetias laturi. Oppugnarunt Lapolam Caralis suburbium, eaque potiti Ligures et Arborenses jam Castrum Caralis et urbem in incitas redigebant. Sed praeclara Gilberti de Cruyllas virtute, quem Rex Capitaneum generalem regni instituerat, mortuo Berengario Carroz, frustra hostes conati sunt Caralitanos cogere

ad deditionem. Brancaleo studuit Algario servando, atque ex illa parte res Aragonensium sua virtute sustinuit. Judex Marianus cum Liguribus terra marique Aragonenses ita vexabant et premebant, ut sibi plurimam isti laudem sint meriti, nisi se dederint.

Obiit eo anno Comes Chirrae qui fuerat Capitaneus generalis, et successit in Chirrae Comitatu, et in Judicatu Agugliastri ejus filia Violanta Carroz, Pontii Senesterrae in primis nuptiis uxor, licet filii Joannis Carroz et Benedictae de Arboreae ad se spectare contenderent.

Anno 1375 Bernardus Dusay Caralitanus ob res contra Judicem Marianum prospere gestas donatur oppidis Monasterii et Segafe reg. Curatoriae Doliensis, et oppidis Schertes Pramontis et Nuragis reg. Curat. Nuraminis morte Arnaldi Cavani in regiam ditionem devolutis.

Anno 1376 in Comitiis regnorum Aragoniae Valentiae Cathalauniae de rebus sardois, et de iis actum est, quae opus erant ad regnum servandum. Qui enim intra moenia Caralis consistebant gravi penuria premebantur; omnes equi et boves perierant, nec satis erat quo munirent castrum s. Michaelis, tum Castra Chirrae, Aquae fridae, et Gioiosae guardiae, hostibus totius pene insulae dominis. Deliberavit cum Caralitanis gubernator regni, qui in Castro Caralis morabatur, ut si fames urgeret, dirutam civitatem succenderent, et abeuntes regem exorarent, ne post haec de eorum fidelitate dubitaret. Per omnia insulae littora cum aliquot triremibus discurrebat Mariani Judicis filius, qui appellabatur Ugo de Arborea, multaque damna inferebat Cathalanis, commeatus deferentibus Caralim et Algarium. Deinde Franciscus de Averso Viceadmiratus Regius fortiter pugnando Ugonem compulit in fugam, et periculum sustulit.

Eo anno pestis Sardiniam invasit, et mortuus est Marianus Judex Arboreae. Ugo praedictus in Judicatu et bello contra Aragonenses patri successit, et Joannem de Arboreae fratrem Mariani, et Petrum Joannis filium duriori carcere mancipavit, qua crudelitate obierunt. Benedicta de Arborea et Moncada ipsius Joannis filia ex regia liberalitate successit patri in dominatu urbis et regionis Bosae. Haec nupserat Joanni Car-

Nel 1378 i Pisani mandarono Ludovico Fauglia dottor di legge e Nicolò Salmulo, a Pietro II di questo nome, re di Aragona, per trattar la pace tra loro e i catalani, che dalla perdita della Sardegna si era fatta la prima volta. Ma per nuove occasioni l'un popolo a l'altro si offendevano e i pisani aveano tolti i soliti mori a' catalani, che erano di avere la piazza, la loggia e la chiesa di Pisa, e crearsi ogni anno il consolo della lor nazione, innanzi al quale si decidevano e terminavano le differenze di quella provincia. Agevolissima cosa fu di far condescendere il re a pacificarsi con i pisani, avendo egli in animo di torre contro i Mori d'Africa alla qual guerra desiderava molto gli aiuti di questa città. Rone.

roz fratri Berengarii, quare Benedictae filii, mortuo Berengario, Comitatum Chirrae sibi poposcerunt.

Anno 1377 magno conatu bellum contra Aragonenses prosecutus Ugo omnia oppida Comitatus Chirrae occupavit, Sassarimque profectus Jacobum de Atene urbi potestatem praefecit, leges, quae adhuc extant, dedit, et Castrum Osuli munivit.

Ugonem etiam istum Arboreae Judicem Urbanus Papa VI. anno 1378 regem Sardiniae creare cogitavit, ejecto Petro Aragoniae, quem jam antea abdicatum ab ~~Innocentio~~ Alessandro Papa publice praedicabat. Sed Rex Petrus, qui id rescivit, numerosa triremium classe, quam instruere jussit, in Sardiniam proficisci decrevit, et pacem deinde, quam ex sententia marchionis Montisferrati cum Genuensibus inierat, paucis mutatis renovavit.

Qui regia Castra tenebant, et plerique ex populis qui in Arborea continebantur, adventum exercitus Aragonensis desiderabant, illi crudeli bello afflicti, isti crudeli dominatione oppressi. Tum hoc eodem anno 1378 Valor de Ligia ex primis Sardiniae gentibus, qui sanguine et amicitia conjunctus erat Judici Arborensi, in regias partes transivit, propterea a Rege donatus oppidis Gociani, aliisque multis locis, quae Judex habebat baroniarum nomine.

Hac tempestate magna pars Corsicae a Genuensibus defecit, favente Henrico Roca regis Aragoniae amico.

Anno 1379 Rex magnum exercitum comparaverat, quem secum transferret Sardiniam, indeque Siciliam, atque deliberaverat secum ducere Joannem filium suum, creato duce triremium Bernardo Cabrera; sed quidam ex suis consiliariis eum a bello Siculo deterruerunt, ac propterea neque ad Sardiniam accessit.

In quest'anno i Veneziani usarono l'artiglieria contro i genovesi.

Duobus annis sequentibus, 1380-81 nihil memorabile gestum in Sardinia legimus.

Anno 1382 Maria Friderici regis Siciliae filia, defuncto patre, in Sardiniam venit, indeque Barchinonem adnavigavit.

Anno 1383 Ugo Arboreae Judex omnibus invisus ob nimiam tyrannidem, qua dominabatur, a suis interficitur. Sperabant Aragonenses Sardos sponte, hoc perpetrato facinore, venturos sub Regis ditionem, vel facile ad obedientiam armis cogen-

dos: propterea Rex, audita Ugonis caede, exercitum in Sardiniam decrevit, et expeditionis ducem Pontium de Senesterra designavit.

Facilior provinciae Arborensis occupatio visa est, postquam Brancaleo Auria, qui in Sardinia magna auctoritate ob suam virtutem florebat, atque fidelis extiterat regi in Mariani Ugonisque bello, venit ad regem. Hic duxerat uxorem Leonoram filiam Mariani Judicis, sororemque Ugonis, regique pollicebatur sub suam potestatem se totam insulam redacturum, si Mariani hereditatem uxori filiisque suis relinqueret. Eum Rex benigne excepit, equitem armavit, Comitem Montis-Leonis appellavit, et Marmillae regione amplius ditavit.

At Arborenses pertaesi dominationis Judicum, qui eos jam pridem vectigalibus, militia, et superbo imperio, vexaverant; nec minus dominationem Aragonensium detestantes, libertatem acclamaverant. Magnopere enim desiderabant Arboreae regnum in rempublicam vertere, vel si hoc non liceret, se in fidem et clientelam populi Genuensis recipere.

Quod Rex cognoscens continuo ad Urbanum Papam legatos misit Petrum Gulielmum de Estaymbos, et doctorem Matthaeum Clementem auditorem S. Palatii et Regis consiliarium, ut impedirent ne Genuenses hoc pacto Sardinia, sibi a Pontificibus concessa, potirentur.

At Leonora uxor Brancaleonis, maximae virtutis foemina, quum aegre ferret illam Arborensium deliberationem, qua sua et filiorum jura violabantur, arma sumit, et viris fidelibus comitata Arborenses aggreditur, castra expugnat, regiones occupat, oppida et urbes invadit, et populos subjicit. Fridericus filius suus adhuc tener Judex Arboreae salutatur a populis more solito.

Horum gestorum fama extemplo Aragoniam pervasit. Brancaleo ardet regredi; sed Rex eum detinet, ita suadentibus consiliariis, ne si uxori vir conjungeretur difficultates Sardiniae recuperandae augerentur.

Tandem Rex cum Brancaleone pepigit, ut obses in Castro Caralis usque sub suorum ministrorum potestate maneret, dum traderet Bernardo Senesterrae filium suum Fridericum, in eodem Castro moraturum, donec aetas sineret ut ad auli-

cum servitium vocaretur a Rege: quod si non posset consequi, ipse persisteret in Castro Caralis, quo Leonoram et Sardos ad obsequium persuaderet; Rex vero exercitum mitteret contra rebelles. Datus custodiae Bartholomaei Togores, et Lupi Alvarez de Espejo, anni sequentis initio cum exercitu ducitur in Sardiniam, et in Castrum Caralis conjicitur. Ubi quoad Rex vixit constitit: nam nullo pacto Leonoram potuit suadere ut se totam permitteret in Regis arbitrium, vel filium iis traderet, quos ipsa noverat infensissimos familiae Arborensi.

Leonora hac de re conquesta bellum contra Aragonenses annis 1384-85 et plusquam dimidio 86 gessit. Fortissima foemina non modo regnum paternum recuperaverat a factione Arborensium rebellium; sed et reliquae terrae partem majorem sibi adjunxerat. Interim animi ad pacem convertebantur: sed perpetua erat dissensio in pactis. Missi sunt a Leonora ad pacis compositionem Leonardus Episcopus S. Justae et Comita Pontius, qui illius nomine et ceterorum Sardorum, qui jugum Aragonensium excusserant cervicibus, proponerent quibus pactis Leonora et Sardi omnes desisterent a bello, et regiam auctoritatem agnoscerent; Rex polliceretur veniam iis qui defecerant, et annueret ut pacta cum Mariano reviviscerent, in quae Rex consenserat quum venerat cum exercitu; et confirmaret libertates et immunitates, quas in decem annos Leonora promiserat iis Sardis, qui a regiis partibus ad suas transierant; hoc foedere Brancaleo in libertatem restitueretur, et bona, quae tum Sardiniae tum foris fuerant ablata, redderentur; in castellis, quae Rex antea possederat, liceret et Regi ponere quoscumque praesidiarios praeter quam in arce Sassaritana, in qua Alcaydus esset quicumque, at praesidiarii Sacerenses: odio enim maximo isti oderant Aragonenses; quod necessarium erat tranquillitati civium, qui hac de causa se dederant Genuensibus, vel si non placeret Regi haec conditio, arx dirueretur. Praeterea petebant Sardi ut nullus ex dynastis Aragonensibus, qui feuda haberent in regno, in eodem residerent; unus esset regni gubernator, et singulis locis unus minister, unusque administrator pro regiis vectigalibus recipiendis, ceteris officiis Sardi fungerentur, quos Rex eligeret, exceptis Castris Caralis et Algarii, ubi Rex posset instituere quos ministros vellet

Rex in eam conditionem condescendebat, quae posita fuerat pro dynastis alienigenis, et decernebat ut triennalia essent officia regia ad exemplum Cathalauniae, nec possent in insulam redire qui male ex sua sententia rem publicam gessissent: idem valeret pro gubernatoribus, sed eorum residentia esset quinquennalis. His conditionibus, quas a Leonora et a Sardis acceperat Bernardus Senesterra gubernator Caralis, et Jaspertus Campolongus consiliarius regis, erant Regi restituenda oppida et castra, quae ad regem spectabant ante bellum, et remanebat Leonorae quantacumque erat regio, quam Marianus possederat ante defectionem; atque pendendum erat quod conflabatur ex praeteritorum annorum vectigalibus pro feudo Judicatus Arborensis, atque Castrum Longonis Regi adjudicabatur. Hanc pacem Rex juravit die 31 augusti anni 1386 in civitate Barchinonae sub ducentorum millium florenorum poena. Nullum tamen effectum habuit haec concordia, mox superveniente Petri Regis morte. Quare Leonora bellum prosecuta est contra Aragonenses.

Anno 1387 die 5 jan. Rex Barchinone moritur damnans ea quae inique perpetraverat contra subditos. Quae omnia ex Zurita Taraffa et monumentis in regio Archivio Caralitano reconditis constant.

Hac tempestate vorax ignis fortuito elapsus sexaginta novem domos in urbe Caralis consumpsit, quas tamen prorex Ximen Perez de Arenoso mox reficere coepit.

Petri regis temporibus insulam gubernarunt, annis

1337 Raymundus Ribellas Valentinus III id. jan. Sardiniae et Corsicae prorex.

1339 Gulielmus Cervellonus mense octobr. creatur Sard. et Cors. prorex; impeditus tamen venire non potuit.

1340 Bernardus Boxados, mense junii, fuit Sardiniae et Corsicae prorex, et obiit anno sequenti.

1341 Gulielmus Cervellonus, mense junii, creatus iterum Sardiniae et Corsicae prorex, obiit in bello anno 1347.

1347 Jacobus Aragoniae, spurius regis Jacobi, post obitum Gulielmi Cervelloni insulam pro rege gubernavit.

1347 Rimbaus Corbera, eodem anno fuit Sardiniae et Corsicae prorex, et obiit anno 1354 tertio kal. julii.

1355 Olphus Prochita Sardiniae et Corsicae prorex.
1366 Petrus de Luna Sardiniae et Corsicae prorex.
1369 Berengarius Carroz, a XVI kal. februarii creatus fuit Sardiniae et Corsicae prorex.
1374 Gilbertus Cruylla Sardiniae et Corsicae prorex.

Gubernatores Sassaris et Logudori.

1344 Petrus Gilbertus gubernator urbis Sassaris et provinciae Logudori.
1355 Bernardus Cruylla gubernator Sassaris et Logudori.
1356 Frater Galzerandus Finollerus eques Hierosolymitanus, gubernator Sassaris et Logudori.
1357 Bernardus Guimera gubernator Sassaris et Logudori, qui uxorem in Sardinia duxit Violantam Branchae Auriae sororem.
1367 Petrus Alberitus gubernator Sassaris et Logudori.
1369 Dalmatius Jardinus gubernator Sassaris et Logudori.
1371 Gilbertus Cruylla gubernator Sassaris et Logudori, qui postea fuit Sardiniae et Corsicae prorex.
1383 Franciscus Joannes Sanctae Columbae gubernator Sassaris et Logudori.

Anno 1357 extincto tandem Gallurae Judicatu, eaque provincia addita provinciae Caralitanae, et nova regiminis forma introducta in urbem Caralis, quae huc usque vicariis regiis tantum, citra proregem, regebatur, coeperunt in insula Sardiniae esse sequentes:

Gubernatores Caralis et Gallurae

Anno 1359 Ximen Perez primus gubernator Caralis et Gallurae, patria Caralitanus. Nam antea Caralis Vicarios regios tantum habebat. Huic infrascripti successerunt gubernatores
1361 Petrus Toletus gubernator Caralis et Gallurae.

1363 Albertus Zatrilla gubernator Caralis et Gallurae.
1386 Bernardus Senesterra gubernator Caralis et Gallurae.

Antistites

1341 Petrus Archiepiscopus Caralitanus.
1352 Joannes ab Aragonia Archiepiscopus Caralitanus.
1386 Bernardus Cardona Archiepiscopus Caralitanus.
1360 Arnaldus Archiepiscopus Turritanus.
1377 Joannes Cosso ordinis Minorum sancti Francisci, Archiepiscopus Turritanus, qui fuit regis Petri confessarius, et coram eo rex ipse ante obitum jurisdictionem et dominatum ecclesiae Tarraconensis restituit.
1382 Gonarius Archiepiscopus Arborensis.
1382 Raymundus Mereus Episcopus Bosanensis.
1386 Leonardus Episcopus Sanctae-Justae
1382 Gonarius Episcopus Sorrensis.
1387 Petrus Episcopus Ampuriensis.
1387 Antonius de Roma Episcopus Ussellensis.

JOANNES REX ARAGONUM ET SARDINIÆ.

Joannes filius Petri regis Aragoniae, ex Leonora, filia regis Siciliae procreatus, defuncto patre, Aragoniae Sardiniae et Corsicae, aliorumque paternorum regnorum, gubernacula suscepit, mense januarii 1387, et XVII kal. februarii ejusdem anni Ximenem Perez de Arenoso proregem in Sardiniam misit, qui pacem cum Leonora Judicissa Arboreae et omnibus Sardis, eisdem legibus renovaret, quibus antea cum rege Petro firmata fuerat, modo urbem et castrum Sassaris, et Villae-Ecclesiarum, atque Castra Osuli, Bonvicini et Pedresi, et insuper Sallurim, Longonem-Sardum et alia regia oppida et castella regionum Montis, Posatae, Isclae, Galtellini, et Encontratae baroniae, quae Arborensis Judex occupaverat, regi restitueret, eorum incolis a praestito fidelitatis jurejurando absolutis; Ardaram quoque et Capolam Archiepiscopo Arborensi, aut Us-

sellensi Episcopo, sub sequestro traderet, donec summus Pontifex judicium de illis intra biennium ferret: atque ita Leonorae, ejusque filiis, Arborensis Judicatus cum paterno dominatu maneret.

Hoc foedus, sequenti anno 1388 pactum fuit nonis februarii, atquae illud infrascripti legati subscripsere, nempe:

Ximen Peres de Arenoso pro Joanne rege Aragoniae et Sardiniae.

Leonardus Episcopus S. Justae,

Comita Pancia,

Thomas Serra Arborensis, et

Antonius Casu, pro Leonora Judicissa Arboreae, comitissa Gociani et vicecomitissa Bassi.

Jacobus Joveri Oristanensis pro Mariano filio Brancaleonis Auriae et Leonorae Judicissae, tamquam ejus curator et tutor.

Nicolaus Caraus, et Petrus de Sellurio, Oristanenses pro populo Oristani.

Galeaccius Masala syndicus et civis Bosae.

Petrus de Casilis syndicus Castrojanuensis.

Folcus de-Sii syn. Montis-Acuti habitator villae de Ocieri.

Lemocius de Colco pro populo Terrae-Novae.

Margianus Gadulesus synd. Montis-Regalis habit. villae de Sardara.

Barisonus de Simala oppidi Trium-Noracium pro Encontratae Castri-Serraevallis, nunc *Planargia* dicta.

Petrus Coghe de villa Gorate synd. Terrae de Macomer, pro curatoriis Marguinis, et Gociani.

Joannes de Agos oppidi de Muchiano pro Encontrata Montis-Verri.

Antonius de Alesio oppidi de Sporlato synd. Curatoriae de Anella.

Bernardus Lepuri oppidi de Gavoi pro Encontrata Barbargiae Ollolai, et Curatoriae Austis.

Petrus de Montes habitator villae de Sarule synd. Curatoriae Dore.

Nicolaus de Vare habitator loci de Caramonte et synd. de Caramonte vel Anglona.

1388 Il Re di Tunisi, il quale avea avuto una continuata pace co' Genovesi e co' Pisani la ruppe nel maggio e cominciò con le sue armate a molestare le cose loro. Volendo i genovesi provvedere a questi inconvenienti significarono a' Pisani l'intenzione loro, e Antoniotto Adorno loro doge scrisse più lettere agli anziani di questo stato pregandoli a voler unire insieme le armate di quelle due città per reprimere l'audacia del Re e de' suoi corsali. Alle quali fu risposto che i pisani erano prontissimi con le loro galee a questa guerra. Si armarono per tanto cinque galee pisane e dodici genovesi, Francesco Orlandi, uomo valorosissimo comandò le nostre, e Raffaele Adorno quelle di Genova. Venne ancora a tale impresa con tre galere, Manfredi Chiaramonte ammiraglio di Martino, re di Sicilia e navigossi con questa armata in Africa La quale apportò al Re di Tunisi diversi ed infiniti danni, togliendogli l'isola delle Gerbe, dove avean sicuro ricetto i corsali, della quale i pisani e genovesi fecero un presente all'ammiraglio regio. Quivi si guadagnò tutto quello, che gli abitatori dell'isola scorrendo e corseggiando i mari aveano tolto a' cristiani, e dopo che ella fu spogliata delle sue ricchezze si corse tutta la costa d'Africa, per tutto facendosi vedere i Pisani e genovesi vincitori. I quali in tal modo furono ricevuti nella patria loro, e Francesco Orlandi fu l'ultimo che trionfò de' nemici infedeli e vinti in mare. Roncioni.

Franciscus Sabiu habitator villae de Lacono pro curatoria partis Alenza.

Joannes Masala opp. de Ribecco pro curatoria Costae-Vallis.

Franciscus de Zori opp. de Guilarci pro Encontrata Guilcieris.

Elias Sanna habitator loci de Capula pro Encontrata de Ardar, et de Mejulogu.

Guantinus Porcu habitator villae Nurapuliae synd. de Parte Milis.

Laurentius de Montisi habitator villae de Gonnos de Tramacia synd. de Parte Montis.

Gulielmus Secche habitator Montis-Leonis synd. de Monte-Leone, et Encontratae Capitis-Aquarum.

Nicolaus Porru habitator villae de Solarussa synd. Universitatis Campitani-Majoris Aristani.

Augustinus Ferralis habitator villae Mahara synd. de Marmilla.

Bartholus de Lacon habitator villae Bidonj synd. de Parte Barigadu.

Tomeus Sotgia habitator Sanctae-villae de Sia-Sanctae Luciae synd. Campitani Simagis.

Jacobus de Sii habitator villae de Solgono synd. de Mandrabolisay et Barbagiae de Bilbj.

Marcus Jover, et Franciscus Roig pro populo Castri Caralis.

Bernardus Camella, Franciscus Bos, et Antonius Ferret habitatores et syndici villae Algarii.

Antonius Pugioni, et Salatinus de Lacon cives et syndici Sassaris.

Ludovicus Nelli pro populo Villae-Ecclesiarum.

Marcus Capula habitator et synd. terrae de Selluris.

Petrus Quiso habitator de Urisè synd. Mole de Posata et Isclae de Galtelli.

Gavingius Masala habitator loci de Ploaghe synd. baroniae de Osolo.

Acta in Castro Carali insulae Sard. in aula palatii regii dicti Castri praesentibus ad haec honorabilibus viris Raymun. Cervarie decretorum doctore consiliario domini regis ac curiae suae negotiorum promotore, Francisco Joanne de s. Columba,

Jodarno de Tholor, Galcerando de Villanova, Poncio de Jardino, et Raynerio de Pisquella militibus, Berengario de Entença Castellano Castri de Aquafrida, Roderico Lançol Vicario Caralis, et Joann. Planes domicellis, Petro Calort mercatore, Bart. Puyades, Bernardo Rubei, Francisco Tomich, Petro de Solle juris perito, Michaele Sarovira, Franc. Tolza juris perito, habitatoribus dicti Castri Caralis, et aliis pluribus.

Ea pax a Joanne Rege sexto id. aprilis jurejurando firmatur: atque ita Petrus de Arenoso triginta acceptis a Leonora pacis obsidibus, et cum illis Galzerando Villanova, Roderico Lançol, Joanne Auria, et Joanneto Brancaleonis filio, Castrum Fabae Comitae Panciae, et Castrum Salvaterrae Raynerio Pisquella, viris Arborensibus, foederis pignore tradidit, et Brancaleonem custodia eductum in Arborensem agrum tutum ex conventione dimisit, ut si a pace recederet Castrum Genuense et Auriae amitteret, et si Rex recederet, ille Castrum Bonvicini et Osili cum illius Baronia lucraretur. Ea pace perfecta Rex urbem et Castrum Sassaris ceteraque castella Osili, Bonvicini, Petresi, et Galtellini, et viginti duorum millia florenorum a Leonora exegit una cum Castris Fabae et Salvaterrae, obsidibus prius restitutis, et insula sic pacata benemeritos multis donis ditavit, Antonium et Bartolum Tanda strenuos viros Gallurenses laudavit, Stampacinos, Lapolenses, et Villanovanos, ob res antea contra Judices Arbor. bene gestas, privilegiis decoravit, et ut Castrum Caralis, Algarium, Longosardus, et aliae arces custodirentur praesidio, trecentos equites, peditesque mille in Sardiniam misit.

Ea tempestate Martinus Regis Johannis germanus frater, Dux Montis Albi Martinum filium ex Maria Lunae comitis filia susceptum cum Blanca Siciliae Regina Barchinonem delata matrimonio conjunxit, et simul cum filio, nuru, Bernardo Cabrera, Artale de Luna, aliisque multis proceribus Cathalanis Aragonensibus et Valentinis triginta cum navibus et aliis multis triremibus Aragonia solventes in Sardiniam de mense martio trajiciunt, et Sardorum comitatu Drepanum Siciliae applicuerunt.

Anno 1389 cum Rex Joannes lata sententia Comitatum Quirrae et Judicatum Agugliastri Violantae Carros, defuncto

Berengario ejus patre, adjudicasset, et advenienti ejus viro Berengario Beltrando eorum possessionem tradi statim fecisset, classemque ingentem construeret, occasionem renovandi bellum Leonorae dedit. Haec enim Comitatum Quirrae ad Judices Arbor. spectare dicebat, et eam classem in Judicat. Arborensem, fortunasque suas imminere formidabat.

Anno 1390 Leonora ad bellum contra Aragonenses Brancaleonem mittit, qui inprimis Caralitanos et regios fautores commeatu privato et publico prohibuit, deinde cum exercitu oppida regia invasit Longosardum Olianam Salgulim Eltonum, et majorem partem Gallurae occupavit, castra Osili Salluris Galtellini et Fabae et alia plura oppida et castella obsedit et cepit, Villecclesias ingressus Castrum Salvaterrae obsidet, Algarium, Sarrabum et Comitatum Quirrae ad defectionem incitavit, urbemque et Castrum Sassaris expugnavit. Quare qui inter Sassarenses, Regi erant fidelissimi, nolentes tam dispari domino subjici, Patria et omnibus bonis relictis, in Castra Aragonensium confugerunt, et Barisonem Cano ad opem auxiliumque deprecandum miserunt nuncium ad Regem. Quod ubi Rex etiam per litteras Joannis Montis Bovini Proregis ab Antonio Podialto Rog[illegible]o delatas anno 1391 novit, milites quam celerrime comparat, Sardiniae feudatariis debitum obsequium imperavit, arces omnes muniri jussit, et oppido Longosardi asylum, ut populosum sic fieret, concessit, Sardosque omnes oppido Algarii eliminari jussit. Praeterea quadringentos milites in Sardiniam cum Arnaldo Porta Insulae Conservatore et Antonio Podialto, cui oppida Serrentis Samassis et Barallae in regione Nuraminis tradidit, quae, Bernardo Cruyllas absque liberis decedente, in Regis ditionem devenerant, in quibus postea successerunt Johanneta ipsius Antonii filia Marco de Monte Bovino nupta, Joannes Mons Bovinus, et Podialtus Jagamovens, qui postea illa Francisco Erillo vendidit. Oppidum etiam Mogori, defuncto Bartholo Roig, ad regis ditionem devolutum Francisco Formineo traditur.

Altero etiam anno, nempe 1392 Jordanus de Tolon a rege missus, copias in Sardiniam subsidio duxit. Georgius de Planella Baylus generalis insulae ex regis mandato quadringentos milites conduxit; et in Corsicam profectus est

Asbertus Satrilla, ut Comitem Henricum de Roca suosque ad fidelitatem hortaretur, nec faverent Leonorae et Brancaleoni. Atque quia videbatur Ducem Montis Albi bellum Siculum confecisse Rex illum exercitum cogitabat in Sardiniam mittere. Quare Stephanus Salvator Siciliam profectus nonnullas triremes ad insulae custodiam mercede conduxit; ac mense junii rex in Sardiniam proficisci decrevit, eamque expeditionem solemniter proclamari mandavit.

Deinde misit hac de causa Raymundum Abellam, et Galcerandum Marquetum Genuam Pisas Niceam et Provinciam. Interea defectu commeatum timor erat ne Algarium se dederet obsessoribus: hinc Rex quosdam instituit, qui celeriter omnia pararent quae erat necessaria bello sardoo.

At bello Granatensi excitato, quum Rex non posset eodem impeditus Sardiniam venire Pontium Ribellas virum strenuissimum triremium suarum ducem in Sardiniam misit; et Joanne Lorale stipendia militibus adferente, optimo peditatu et equitatu Castrum Caralis munitur, praesidiisque firmatur castrum Aquae Fridae et Longonis-Sardi. Praeterea Rodericus Ruiz de Corella equites et pedites plures Algarium traduxit; et octo florenorum millia in insulam mittere rex decrevit, quibus triremes duae instruerentur, quae maritimam oram tuerentur, et omnia regia praesidia bellum sustinere possent.

Eo anno Violanta Carroz donavit Berengario Bertrando comitatum Chirrae et judicatum Agugliastri, reservato sibi usufructu, et Joannae filiae dote.

Anno deinde 1393 de pace agitur cum Brancaleone Auria, ad quod Rex miserat in Sardiniam Julianum Garrium. Sed Brancaleo inter tractationem Algarium obsidet, et Longonis Castrum mari cum triremibus Bonifacianis, terra cum Arborensibus oppugnat.

Rex Dertosam de mense junio se contulit ut expeditionem properaret. Ibi ducem exercitus creavit Gilabertum Cruyllas jussitque ut classis die 25 augusti solveret in Sardiniam.

Dum Rex his studebat, advenit ex Sicilia Berengarius Cruyllas missus a Duce Montis-albi, ut auxilium posceret contra illius regni dynastas, qui defecerant.

In duplici periculo quum Joannes anceps haereret, bellum

contra Sardiniam et Siciliam dilatum est ad annum proximum. Die tamen 21 decembris constituit Locumtenentem suum generalem in insulis Sardiniae et Corsicae Comitem Henricum Rocam, qui Algariensibus in summo discrimine versantibus opem dedit.

Anno 1394 quum Rex jam amplius nollet Sardiniam cum exercitu adire, designavit supremum exercitus ducem Petrum Maçam de Licana, cui commisit administrationem belli Siculi et Sardoi. Gilaberto Cruyllas pars exercitus fuit subjecta.

Classe in Siciliam cum exercitu profecta, Regi nunciatur Brancaleonem adhuc perseverare in Algarii obsidione, et Castra Caralis et Longonis maximis premi angustiis.

Pestis horrida per aestatem invasit Cathalauniam et Valentiam. Quare Rex in Majoricam secessit, ubi gubernatorem generalem regnorum Sardiniae et Corsicae pro Joanne de Montebovino creavit Rogerium de Moncada, et in insulam aliquot copias misit contra Leonoram et Brancaleonem. Hoc subsidio Rex obtinuit ut solveretur obsidio Longonis, qui terra marique a Brancaleone premebatur. Triginta quinque diebus Aragonenses ad Longonem pugnarunt contra Arborenses, qui plurimis damnis affecti recesserunt. Fuissent alia regia oppida amissa facile tunc recuperata, si superveniente regis morte virtus militum non quievisset.

Obiit namque Joannes rex in Castilionensi agro e mulo decidens, XV. kal. junii anno 1396: cujus corpus ad Populeti monasterium delatum fuit jussu Martini ejus fratris, ibique sepulturae datum regia pompa et magnificentia.

His Joannis Regis temporibus fuere in Sardinia:

Proreges

Anno 1387 Ximen Peres de Arenoso, XVII. kal. februarii, creatus fuit Sardiniae et Corsicae prorex.

1391 Joannes de Montboy sive de Monte-Bovino, quinto idus februarii, creatus fuit Sardiniae et Corsicae prorex.

1394 Rogerius Moncada Sardinia et Corsicae prorex.

Nel 1395 guerreggiando tuttavia, cò morì d'Aprile Giovanni Re di Aragona, e perciò domandando aiuto a' Pisani gli furono mandati ambasciatori Ranieri Salinguerri e Bartolommeo Bonagii, i quali a nome della città offerisero al Re tutte le cose possibili. Ma non si trova altro di questa guerra negli annali. Rone.

Peste in Italia Ligure nel 1397, 98, 1400, 1402, 1422, 23. 24. 25.

Praesules.

1389 Ubaldus Archiepiscopus Turritanus.
1397 Antonius Archiepiscopus Turritanus.
1388 Leonardus Archiepiscopus Arborensis.
4391 Conradus Archiepiscopus Arborensis.
1387 Antonius Roceres Episcopus Galtellinensis.
1394 Paulus de Roma Episcopus Galtellinensis.
1391 Joannes de Martis Episcopus Sorrensis.
1392 Joannes Episcopus Doliensis.
1391 Antonius Cajus Episcopus Bosanensis.

MARTINUS REX ARAGONIAE ET SARDINIAE

Martinus Petri Regis Aragoniae et Leonorae filius Joanni fratri, in regnis Aragoniae, Sardiniae, et Corsicae successit, XV. kal. junii anno 1396; et anno sequenti e Sicilia in Sardiniam veniens, prius urbem Caralis adivit, mox Algarium profectus, Corsicam inde petiit, atque Vincentio et Joanni Istriae, comitibus Rocae, et aliis suae ditionis viris auxilium opemque laturus. Ex Corsica etiam jussit Longonis Castrum ab inimicis obsessum muniri, et Bernardum Torrellas ei praefecit. Inde Avenionem abiit, ubi Bonifacio Papae IX. solitum juramentum fidelitatis pro regnis Sardiniae et Corsicae praestitit.

Anno sequenti, nempe 1397 praedictum Castrum Longonis fortiter oppugnabatur a Brancaleone, Logudorenses vexabantur, nec jam Comes Henricus, et alii qui Regis partes et castra tuebantur, poterant obsistere aggressoribus. Rex viderat miseram Logudorensium conditionem, cum Sardiniam appulerat; sed miseriorem hoc tempore novit. Quare jussit ut, dum Moncada a Sardinia abesset paraturus ea quae opus erant, Lapola, Castrum Caralis, Castrum Sancti Michaëlis, et Castrum Aquae Fridae optimis praesidiis muniretur: deditque facultatem Francisco Joanni de Sancta Columba, qui locumtenens erat gubernatoris pro Rogerio Moncada, ut inducias pacisceretur cum Leonora Judicissa Arboreae.

Anno deinde 1398 dira pestis in Sardinia grassata est, et anno 1403 minus praevisa graviorque fuit.

Anno autem 1404 obiit Leonora Arboreae Judicissa, mulier quidem in administrando judicatu prudentissima et in bello gerendo invictissima: cui successit unicus ejus filius Marianus, ex Brancaleone Auria susceptus, qui brevissimum tempus regnavit; adhuc namque puer decessit anno 1407.

Mariano defuncto Brancaleo in Judicatu succedere, insulamque sibi subjicere cupiebat. Sed Arborenses illius dominatum detrectantes, Gulielmum Narbonae vicecomitem, filium Aymerici ex Beatrice Arboreae sorore Leonorae Judicissae in Sardiniam vocarunt; et captis interea armis, Brancaleonem obsessum tenuerunt.

Hos Sardorum motus ubi Martinus junior Siciliae rex novit, occasionem rei bene gerendae nactus, Sardiniam proficisci decrevit rebelles profligaturus, insulamque inde pacatam Martino patri regi Aragoniae redditurus.

Itaque, anno 1408 mense octobris, relicta Blanca ejus uxore Siciliae vicaria, decem triremium classe Algarium appulit; et missis Barcinonem legatis, classem exercitumque omnem a Martino patre petiit. Sed contra eum Vicecomes Narbonae foedus cum Brancaleone Auria percussit, et magna navium triremiumque classe exercitum in Sardiniam traduxit, junctisque Brancaleonis copiis, castra in oppido Salluris posuit. Genuenses etiam sex triremes, duce Gulielmo Mollo, in Sardiniam contra Aragonenses miserunt; eas tamen Joannes Columbus decem triremibus obviam factus prope Ænariam insulam invasit et cepit, pluresque nobiles Genuenses captos ad Martinum regem misit.

Praeterea Cathalani piraticam hoc tempore exercentes Sardiniam infestabant; quatuor tamen eorum inter reliquos magis insignes Petrus Auria cepit, aliosque septem Baptista Montanus, qui omnes laqueo suspensi fuere, ut Justinianus refert.

Anno sequenti, nempe 1409 Martinus Aragoniae rex, XIV. kal. junii, numerosam navium triremiumque classem satis instructam, duce Petro Torrella cum optimo exercitu, et infrascriptis insignoribus viris in Sardiniam misit, quorum nomina sunt:

Joannes Fox vicecomes.
Archimbaldus Fox ejus frater, dominus Lusae.
Gerardus de Mallone.
Bernardus Galzerandus de Pinos.
Petrus Galzerandus hujus frater.
Vicecomes de Horta.
Comes Cardonae.
Antonius de Cardona ejus frater.
Comes Chirrae.
Bernardus de So vicecomes.
Berengarius Arnaldus Cervellonus.
Galzerandus Sanctae-Pacis.
Acartus de Mur.
Galzerandus Cruyllas.
Bernardus de Espes.

Tres etiam naves cum multis copiis, duce Joanne Valle, Barcinonenses misere; et Petrus de Luna praetensus Papa sub nomine Benedicti XIII. misit centum selectos milites cum ejus nepote Joanne Martines de Luna, atque Roderico de Luna, Joanne de Bardaxi, aliisque pluribus.

Horum adventu laetus Martinus Siciliae rex Algherio, solvit, et copias omnes, quas e Sicilia adduxerat, traduxit Caralim. In hisce copiis nobiliores viri erant sequentes, nempe:

Comes Modicae.
Comes Augustae.
Comes Vintimilliae.
Comes Henricus Russus.
Comes Artalis de Luna.
Gilbertus Centelles.
Jacobus Centelles.
Bernardus Anglesola.
Augeratus Larta.
Sancius Ruiz de Lihori.
Gilius Ruic seu Ruiz de Lihori.
Joann. Ferdinandus de Eredia.
Gerardus de Queralt.
Joannes Cruylla.
Gerardus Dedoni.
Et alii plures.

Cum hisce et militibus, qui in Castris Caralis, et Algarii, et in arce Longonis Sardi continebantur, exercitum trium millium equitum et octo millium peditum Martinus rex Siciliae habebat, quem prope Sallurim, ubi vicecomes Narbonae erat, continuis itineribus duxit; et pridie kal. julii praelium commisit. Primo certamine, tanto impetu a Sardorum copiis impulsus fuit Martinus, ut retrorsum in locum parumper editum referre gradum fuerit coactus. Deinde tamen fortiter pugnatum est, vario bello, unde et varia fuit victoria. Tandem Aragonenses superantes vicecomitem Narbonae vicerunt, et insula trepidantem deturbarunt, Joannetum ejus vexillarium cum vexillo, et Brancaleonem Auriam ceperunt; oppidoque Salluris expugnato,

oppidanos omnes, nulla sexus aut aetatis facta differentia, crudeliter trucidarunt, ejusque expugnarunt Castrum.

Eo praelio Aragonenses Sardique plures cecidere; et Narbonae vicecomes, aliique fuga elapsi in Castrum Montis-Regalis; alii vero in urbem Oristani se receperunt. Martinus autem Rex Siciliae in urbem Caralis cum Aragonensibus reversus, statim nuncios victoriae, rerumque in Sardinia actarum, ad patrem misit. Deinde, IV. nonas julii, opera Joannis Sena, insignis viri Sardi, Castrum et oppidum Villae-Ecclesiarum recuperavit, firmissimoque praesidio munitum, custodiae tradidit Guantino de Sena, qui cum laudato nuper Joanne de Sena, in hoc praelio claruit. Milites praeterea strenuos donis et privilegiis ornavit; atque Maram, Tuilim et Gesturim, oppida rebellium, Gerardo Dedoni viro strenuissimo, et in hoc praelio, et antea in Sicilia de rege benemerito, idibus julii concessit. Inde etiam ordinationem de decimis in dioecesi Caralitana solvendis cum Antonio Archiepiscopo fecit.

Paucos tamen post dies, bellico labore, seu nimio pulcherrimae mulieris sardae concubitu, febri correptus, nulla superstite prole, ab humanis decessit quinto kal. augusti ejusdem anni 1409 atque in templo maximo urbis Caralis, ubi adhuc jacet, honorifice sepultus fuit, ut referunt Marineus, Taraffa et Zurita.

Morte Martini Siciliae regis, universus Aragonensium exercitus, tam superbo delectu conquisitus, solutus, dispersusque pene fuit, atquae res omnes Sardiniae ad primaevum statum restitutae. Nam Gulielmus Narbonae vicecomes, qui insula excesserat, audita Martini regis morte, majori conatu, reversus in regionem Logudorii, convaluit, urbemque Sassaris, et omnem ferme regionem illam in ditionem suam redegit; et Leonardus Cubellus Sardus, vir strenuus, in locum Judicis Arboreae ab Oristanensibus et aliis Sardiniae populis suffectus fuit.

Quare Petrus Torrella, totius Aragonensis exercitus praefectus, hujus rei nuncios ad Martinum regem Aragoniae misit; et una cum Joanne et Petro de Moncada, collectis undique militibus quos habere potuit, bellum contra populos a rege deficientes reparat; Oristanumque versus profectus, cum hos-

tium agmine obviam sibi facto, secundum praelium conseruit, in quo ut iniquit Zurita, ad quinque millia occisi fuere.

battaglia di Cubello contro Torrella

Praeterea rex Martinus, licet filio orbatus et pecunia exhaustus, Gulielmum Raymundum a Moncada cum copiis in Sardiniam misit, ut bellum absolvere posset; et comitatum Ampuriae pro quadragiuta millibus florenorum Barcinonensibus oppignoravit.

Anno deinde sequenti, nempe 1410 Petrus Torrella contra Arborenses, qui Leonardum Cubellum Judicem sibi constituerant, arma movens urbem Oristani, quae in ipsius Leonardi potestate erat, numerosa militum corona cinxit, obsessamque tenuit usque ad IV. kal. aprilis, quo die infrascriptum foedus cum Leonardo Cubello percussit.

» *In nomine Dei aeterni* »

» Noverint universi, quod Nos Petrus Torrella locum-tenens
» illustrissimi principis ac domini Regis Aragonum etc., atten-
» dentes quod ad tractatum et inductionem honorabilium, Ray-
» mundi de Raxach militis, et aliarum nobilium personarum,
» quae circa ista plurimum insudarunt, vos Leonardus Cubel-
» lo infrascriptus, quem habitatores civitatis Oristani, et non-
» nulli alii istius insulae nationales elegerunt et posuerunt in
» eorum protectorem et dominum, ac in locum judicis Arboreae,
» occupaveritis dictam civitatem, quam tenemus cum nobilium
» equitum nobiliumque peditum multitudine copiosa obsessam,
» recognoscendo vestros errores et culpam, fessus et fatigatus
» praedictorum discriminibus bellorum et periculis; petendo-
» que nobis humiliter veniam, vultis vos, bono animo, re-
» ducere ad dictum dominum regem, adserendo facere sacra-
» mentum et homagium, quod vos et eritis de cetero ligii
» veri et legales subditi et vassalli dicto domino regi et ejus
» successoribus; et in signum vassallagii solvetis eidem quin-
» gentos florenos Aragonum quolibet anno pro tributo; et
» pro praedictorum majori robore, et securitate ponetis unum
» ex filiis vestris et nonnullos alios filios proborum hominum
» dictae civitatis in potestate nostra obsides; et dabitis nobis
» triginta milia florenorum auri Florentiae ad succurrendum

» gentibus armigeris, peditibus et triremibus armatis. Nos
» autem cupientes ducere ad finem optatum adquisitionem
» regni praedicti, propter quam praedictus illustrissimus do-
» minus rex nos misit in praesentem insulam cum dictorum
» nobilium equitum et peditum comitiva, cum quibus festinan-
» ter intendimus equitare in caput Logudorii, quod, divino
» suffragante auxilio, infra breve credimus conculcare et pe-
» nitus reducere ad veram obedientiam dicti illustriss. domini
» regis; ad supplicationem venerabilis et religiosi fratris
» Eliae de Palmas, prioris monasterii de Bonarcado, Joannis
» Latte, et Leonardi de Ferraria notarii, nunciorum ad nos
» missorum nomine, vice, et pro parte vestri dicti Leonardi
» Cubello et duodecim proborum virorum electorum pro po-
» pulo civitatis Oristani praedictae, quam, ut praediximus,
« tenemus obsessam; et ne tot mala sequantur, quae parata
» sunt cum invasione, quam manu forti deliberaveramus
» facere contra dictam civitatem et populum ejusdem, ob re-
» verentiam passionis Domini nostri Jesu Christi, et propter
» compassionem populi dictae civitatis, supersedemus. Et quia
» vos dictum Leonardum Cubellum, et vestros, et populum ci-
» vitatis praedictae, speramus et credimus de cetero promptos
» habere animos ad servitium domini regis, cum deliberatione
« et consilio nobilium militum praedictorum, tenore hujus
» publici instrumenti, firmiter et cunctis temporibus valituri,
» moti rationibus praedictis aliisque, quibus ad haec rationa-
« biliter invitamur, gratis ex certa scientia, et ex parte prae-
» dicti regis et auctoritate officiorum, quibus fungimur, damus
» et concedimus donatione pura et irrevocabili, quae dicitur
» *inter vivos*, vobis dicto Leonardo Cubello et vestris here-
» dibus et successoribus perpetuo in feudum et ad propriam
» naturam feudi, juxta tenorem feudorum Italiae, et sub con-
» ditionibus et rententionibus infrascriptis, civitatem Oristani
» praedictam cum omnibus ejus accessoriis, Campidano Par-
» te de Milis, fortalitiis, villagiis et civitatibus, et comitatum
» et castrum Gociani cum omnibus etc., et cum mero et
» mixto imperio etc. Retinemus etiam dicto domino regi et
» ejus successoribus expresse, quod titulus sive nomen judi-
» catus Arboreae aboleatur, et quod vos, dictus Leonardus

» Cubello et successores vestri, dignitate et titulo videlicet
» marchionis Oristani et comitis de Gociano, sitis perpetuo
» insigniti et nominati. Et quia vos, dictus Leonardus Cubello,
» civitatem praedictam, totumque fere Campidanum, partem
» de Milis et comitatum Gociani occupaveratis, ut dictum est,
» ne istud ejusque adquisitio cujusque animo revocetur in
» dubium, praesensque donatio ullum patiatur defectum, sed
» omni effectu et firmitatis officio potius roboretur et fulciatur
» concessionem facimus supradictam, rationibus supradictis,
» et vos eumdem Leonardum Cubello et vestros successores
» marchiones dictae civitatis Oristani et comites Gociani cum
» hoc publico instrumento, ex parte dicti domini regis et in
» perpetuum duximus erigendos cum illis praerogativis, hono-
» ribus, praeeminentiis, modis et formis, quibus ceteri mar-
» chiones et comites dicti domini regis sunt gaudere soliti:
» ita videlicet quod vos, dum vixeritis, et vestri successores
» titulo marchionis dictae civitatis Oristani et comitis Gociani
» utamini, et quod nullum alium dominatum, seu dominos,
» vos nec vestri successores, aut habentes caussam a vobis
» seu successoribus vestris, praeterquam illustrissimos domi-
» nos reges Aragonum habeatis, seu nominare aut proclamare
» ullo modo debeatis aut valeatis etc. Nos vero certificamus
» et in veritate recognoscimus habuisse et recepisse a vobis,
» qui nobis bene et plenarie numerando tradere fecistis, tri-
» ginta millia florenorum auri Florentiae, quos gentibus ar-
» migeris peditibus et triremibus pro eorum stipendiis exsolvi
» mandavimus, nec non unum ex filiis vestris, et alios filios
» proborum hominum dictae civitatis, quos in posse nostrum
» obsides misistis, prout nomine vestros extiterat promissum.
» Ad haec vos Leonardus Cubello donationem et concessionem
» praedictam acceptantes gratis etc. et juramus etc. Datum in
» obsidione civitatis Oristani apud Sanctum Martinum, die
» 29 mensis martii 1410 ». Hujus exemplar in regio archivio
» Caralitano reconditum reperitur.

Praeterea concessit Joanni Deyana ipsius Leonardi Cubello socero, ac de rege in reductione Arborensium, benemerito, in Barbagia regiones Mandralisai et Ollolai. feudo

Martinus autem rex, moerore et adversa valetudine confe-

etus e vita migravit, pridie kal. julii ejusdem anni 1410 nulla superstite prole, prope Barcinonem, in monasterio monialium Cisterciensium, cui Vallis-Donzellae nomen est, indeque Barcinonem ejus corpus delatum, in ecclesia pontificali sepultum, honorifice jacuit ad latus arae majoris usque ad tempus regis Alphonsi filii Ferdinandi sui successoris, a quo in Populeti monasterium delatum fuit, ut Zurita, Marineus, aliique Hispani auctores referunt.

His Martini regis temporibus fuere in Sardinia

Proreges

Anno 1394 Rogerius a Moncada, idibus augusti, creatus fuit Sardiniae et Corsicae prorex, in cujus absentia fuit praesidens Sardiniae.

1398 Joannes Franciscus a Sancta Columba.

1408 Martinus Siciliae rex, Sardiniae et Corsicae prorex.

1409 Petrus Torrella Sardiniae et Corsicae prorex.

Gubernatores Caralis et Gallurae

1400 Franciscus Caçcarriga gubernator Caralis et Gallurae.

1404 Ugo Rosanes gubernator Caralis et Gallurae.

1408 Marcus Montboy gubernator Caralis et Gallurae

Antistites.

1387 Antonius Archiepiscopus Turritanus.

1399 Priamus, olim Episcopus Posaliensis, creatus Archiepiscopus Turritanus.

1403 Paulus, olim Episcopus Pactensis, creatus Archiepiscopus Arborensis.

1409 Antonius Dexart Archiepiscopus Caralitanus.

1400 Geminianus, ex canonico Arborensi, creatus Episcopus Sanctae-Justae.

1401 Dominicus ordinis fratrum Minorum creatus Epsicopus Sanctae-Justae.

1400 Petrus Benedictus Joannes de Bonifacio, ex canonico Sactae Mariae de Bonifacio, creatus Episcopus Ampuriensis.

1400 Simon Margens, olim Episcopus Castrensis, creatus Episcopus Civitatensis.

1402 Antonius de Ligios ex Archipresbytero Episcopus Bosanensis.

1406 Benedictus, olim abbas Sanctae Euphemiae de Villanova Dernisinae dioeceseos, creatus Episcopus Bosanensis.

1402 Jacobus, olim Episcopus Stragulentis, creatus Episcopus Ussellensi; indeque postea fuit ad ecclesiam Lavellensem regendam translatus.

1403 Joannes, olim Episcopus Lavellensis, ac postea creatus Episcopus Ussellensis.

1404 Beltramus Flores, ex archipresbytero Castrensi, creatus Episcopus Galtellinensis.

JOHANNIS FRANCISCI FARÆ

DE REBUS SARDOIS

LIBER III.

EX RECENSIONE VICTORII ANGIUS

Defuncto Martino Seniore Aragoniae rege, absque liberis, orta est altercatio et dissensio magna inter propinquos de regnorum successione. Ferdinandus in primis Joannis Castellae regis secundogenitus, quem *Infantem* appellabant, veluti propinquior, utpote linea transversali Aragoniae stirpis, ex Violanta, quam plerique Eleonoram vocant, Petri II Aragonum regis filia, et Martini recens defuncti regis sorore, Henrico Castellae regi, priore uxore defuncta, nupta editus, ab Aragoniae magnatibus et populis ab Antequera, quod est Baeticae oppidum, accitus est, ut regis titulum et coronam acciperet. Fridericus quoque comes Lunae Martini junioris regis Siciliae in Sardinia defuncti filius ex pellice, Ludovicus rex Neapolis et Andegavensium dux, Matthaeus comes Foxanus, Alphonsus dux Gandiae et Ribagorsae comes, Joannes cognomento Pradensis, atque Jacobus Urgellae comes, regnorum competitores duobus fere annis fuere magno cum Aragonensium, Valentinorum et Cathalanorum dissidio, multorumque clade, ut ex Laurentio Valla, Lucio Marineo, Thoma Facello et Maurolicio abbate constat.

Dum Aragonia in hisce rerum motibus versatur, Gulielmus Narbonae Vicecomes, non solum Arboreae Judicatum, sed et totius Sardiniae regnum adfectans, omnes Sardos ad defectionem sollicitat, insulamque reddit infestam.

Aurienses etiam cum Genuensibus res novas in insula moliuntur. His tamen non terretur Petrus Torrella prorex; nec animo consternatur; quin potius, omnibus munitis et eductis triremibus, collectoque exercitu regias communit arces, et omnes in fide et officio continere satagit, Raymundo de Perellos interea in Cathaloniam propere misso, qui de Sardiniae statu et periculo certiores redderet optimates illius Principatus, militumque suppetias quam primum adferret.

Eodem anno 1410, Cassianus Auria Castri-Genuensis dominus, consociatis armis cum Artali de Alagone, Longonis sardi Gallurae fortissimum castrum contra Bonifacium Corsicae in ora maritima situm, classe petunt, militibusque in terram expositis, VI. idus augusti, turrim Sancti Georgii oppugnant, ac die sequenti deditione obtinent. Adorto deinde suburbio, Berengarium Michaëlem cum ejus praesidio facile vincunt, victumque fugant mox e turri sanctae Mariae deturbant, quam etiam cum toto oppido statim deditam in manus habuere, magno cum ipsius Berengarii dedecore, qui oppidum defendere poterat, atque magno moerore proregis, qui terra marique, illi auxilium laturus, si tam facile non cessisset, aderat.

Devictis Longonensibus, pavor et trepidatio invasit alios regios Sardiniae populos, Algarienses praesertim, qui praesidio satis debilitati, et morbo afflicti, triremes regis Ladislai cum Genuensium classe in eos adventare intellexerant. Quare prorex triremim unam et Georgium Caramaynum cum septuaginta equitibus Algarium misit et Caralis urbem omnesque regias arces novo praesidio munivit, legatosque in Cathaloniam Andream de Biure et Franciscum Zatrillam destinavit, qui optimates omnes de statu et periculo Sardiniae certiores facerent, militem et pecuniam peterent, opemque et transmarinum auxilium ferrent. Caralitani praeterea Marcum Joverium eadem deprecantes ad eos miserunt. Cumque, mense septembris ejusdem anni, Gulielmus Narbonae Vicecomes exercitum in Arborenses moveret et Oristani urbem teneret obsessam,

Petrus Torrella prorex, collecto undique milite, excursionibus quibusdam factis, receptis multis oppidis, quae Vicecomes occupaverat, atque, populis, qui defecerant male multatis, Montem-Regalem cum exercitu quater centum equitum petiit; et subsidium centum selectorum militum, ductu Georgii Caramayni, Raymundi de Rexa et Petri, Beltrami Oristanensibus adtulit; atque dominum Morlany de induciis, deque omnium quaestionum compromissariis eligendis, nomine Vicecomitis Narbonae, disserentem audire noluit, priusquam obsidionem solveret, et bellum ipsum deponeret.

Itaque, educto ex Arborea exercitu, Sassarim reversus Vicecomes, anno sequenti 1411, quo prorex Algarium venerat, pactis induciis, controversiam omnem ad Urgellae comitem et Vicecomitem de Illa et Canneto, aliosque duos equites a quolibet eorum nominandos, retulit; et paucis post diebus, Petrus Torrella peste correptus in eodem Algarii oppido e vita migravit, postquam Joannem Corberam sui loco Sardiniae proregem creaverat, qui Petro Torrella defuncto, foedus ipsum statim, et inducias cum vicecomite Narbonae pactas firmavit.

Eodem tempore, Joannes de Montagnana Caralis et Gallurae gubernator, fortiter cum inimicis dimicando ex vulnere in praelio accepto obiit; et Berengarius Carroz comes Chirrae a Caralitanis, qui electionem Corberae ignorabant, Dux est suffectus in Torrellae locum.

Magna erat suspicio contra Vicecomitem, qui nihil agere poterat inconsultis Sacerensibus, quorum tam ferox erat odium in Aragonenses, ut jurarent se passuros extrema, et Maurorum dominationi potius se subjecturos, quam Aragonensium jugum subire.

In tanto Sacerensium et aliorum populorum invidia contra Aragonenses, omnibus erat dilectissimus Vicecomes, a quo ab illorum armis protegebantur. Hic inito contra Aurienses praelio, Nicolosum Auriam dominum Montis-Leonis vicit ac cepit. Precibus tamen Sassarensium statim dimisit, tribus florenorum millibus prius acceptis. Cumque deinde bellum contra eumdem, inito cum Cassiano Auria foedere, reparasset, Nicolosus pacem cum Aragonensibus fecit, et foedus cum Vincentio Istriae, Cinercae in Corsica comite, et Joanne ejus

fratre percussit, eodem Joanne cum triginta florenorum millibus in Cathaloniam misso, qui transmarinum militem conduceret, et trecentos equites totidemque sagittarios, Algarium contra Narbonae Vicecomitem adferret; nec multo post Cassianum Auriam ab amicitia Vicecomitis avertens cum prorege Rimbao Corbera reconciliavit.

Itaque anno sequenti 1412, Vicecomes Narbonae, magno comparato exercitu, inimicorum agros ingressus populabundus excurrit et vastat, atque advenientem Cassiani exercitum vincit, tercentis eorum trucidatis. Deinde in oppidum Macomelis Oristano propinquum profectus munitum illud reddit, et populos regionum partis Valentiae, partis Montium, et Marmillae ad defectionem sollicitat. Frustra tamen: nam Leonardus Cubellus Marchio Oristani et Berengarius Carroz cum Aragonensium exercitu in Arboream convolantes, omnes in fide tenuere.

Algarium deinde, quae semper infensa fuerat Sassaris urbi, occasionem nactus Narbonae Vicecomes cum valido tercentorum equitum et centum quinquaginta sagittariorum exercitu, mense maji, adortus, strenue oppugnat, non paucis in murum ascensis militibus; qui tamen a Raymundo Zatrillà tunc Sassaris et Logudori gubernatore, et Joanne Bartholomaeo unius triremis duce, atque aliis multis viriliter repugnantibus e moeniis dejecti, atque cum ~~ducis~~ comitis Sabaudiae filio notho, aliisque pluribus Gallis capti et trucidati ab oppidanis fuere, ut constat ex Zurita et antiquis monumentis.

Ex his notum, testatum manifestumque mansit foedus a Vicecomite Narbonae violatum fuisse; bellumque inde commotum et confirmatum. Quare exercitus e Cathalonia in Sardiniam propere mittitur, duce Acarto de Mur, qui gubernator Caralis creatus fuit. Berengarius etiam Comes Chirrae, Leonardus marchio Oristani et Nicolosus Auria praesidia omnia repararunt et communierunt.

Antonius tamen Auria Genuensis, septem navium classe, duas Cathalanorum naves, aliaque parva navigia in portu Caralitano tunc temporis invasit, cepit atque combussit, et bonorum direptionibus suburbia Caralis multisque damnis Corsicam, ut refert Justinianus, vexavit.

Dum autem his motibus agitatur Sardinia, Aragonenses invicem de rege dissidentes, rem totam ad compromissarios detulerunt. Delecti, communi consensu, fuere novem judices, terni scilicet ex singulis regnis; videlicet ex Aragonia Dominicus Ramus Episcopus, eo tempore, Oscensis, postea Illerdensis, ac postremo sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalis; Franciscus Aranda maximi vir consilii, qui prorsus rebus humanis renunciaverat, ac vitae eremiticae totum se addixerat; et Berengarius de Bardaxi jurisperitissimus ac prudentissimus: ex Valentia Bonifacius Ferrerius Chartusianae religionis moderator, ac princeps, juris civilis prudentia ac pietate insignis; magister Vincentius Ferrerius Bonifacii germanus frater Ordinis Praedicatorum, concionibus, vitae sanctimonia et miraculis clarus, atque inter divos postea a Callixto Papa III. relatus; et Ginerus Rabaça vir plane integerrimus, eques et jurisperitus: ex Cathalonia vero Petrus Cagarriga, Tarraconensis Archiepiscopus, utroque jure vir praecellens, Gulielmus de Valseca, jure civili et religione praestantissimus, et Bernardus de Gualbes eminentissimus literis, prudentia et moribus.

Hi judices delecti fuerunt, ut sententiam pro aliquo competitorum ferrent, quam alioquin ferre non possent, nisi duo saltem ex singulis regnis judices in unum aliquem convenirent Quo die judicium sunt ingressi, eucharistiam spectante populo sumpserunt, subinde, per triginta dies, competitores eorumque jura exactissime audierunt; postea in Caspe Aragoniae provinciae oppido, atque arce minutissima, ea lege sunt inclusi, ut eis inde egredi, nisi rege prius declarato, non liceret. Ibi plures menses commorati et competitorum inspectis rationibus ac juribus examinatis, partibus, III. kal. julii, ad sententiam audiendam convocatis judices, in loco edito ante valvas templi maximi ejusdem oppidi, consederunt.

Convenit ergo ominis aetas, sexus, conditio, ad regis electi nomen excipiendum, cum Vincentius Ferrerius Dominicanus e concilio surrexit, et suggestum ascendens orationem ad populum habuit; a cujus ore cum omnia ora mentesque penderent inter spem et metum sollicitis omnium animis Ferdinandum Castellae Infantem, cognomento Justum, tunc ab-

sentem, omnium judicum voto, Aragonum, Valentinorum, Cathalanorum, Sardorum, Corsorum atque Siculorum regem declaravit, ad cujus nomen tantus populi exultantis clamor est excitatus, ut omnia militaribus vocibus, tubisque ac tormentis aeneis obstrepere viderentur.

Igitur nullo competitore obsistente, quin imo gaudentibus et exultantibus omnibus, III. nonas septembris ejusdem anni 1412, in aede sancti Salvatoris rex apud Caesaream Augustam coronatur, ut ex Laurentio Valla, Lucio Marineo, Thoma Facello et Hieronymo Zurita constat.

Audita regis Ferdinandi nominatione, Antonius Archiepiscopus Caralitanus et alii plures Sardiniae primores, nomine marchionis Oristani, Comitis Chirrae et aliorum regulorum Sardiniae, Ferdinandum regem adivere, eique praestitere obedientiam et fidelitatis jusjurandum; et ab eo de rebus in Sardinia bene gestis, deque statu insulae certiorato, opem auxilium, et omnium quae in Sardinia possidebant, confirmationis tabulas petiere, quas facile elargitus rex, etiam benemeritos gratiis et privilegiis cumulavit, Petrumque Otgerum Castro Aquae-fridae et oppido Sirici regionis Sigerri donavit. Praeterea Albertum Zatrillam creavit gubernatorem Logudori, et in Sardiniam exercitum mitti, bellumque contra rebelles prosequi jussit, quinquennes inducias cum Genuensibus pactus.

Deinde, XI. kal. decembris, rex Dertusam profectus, a Petro de Luna, Benedicto Papa XIII. appellato, regnis Sardiniae et Corsicae investitur. Quod ubi Gulielmus Vicecomes Narbonae a Gutierre Sanctae Clarae, regis Castellae nauclero, qui copias Sassarim ducebat, rescivit, de ipsius regis benignitate et justitia confisus, arma deponens et bellum agitare desistens, prius Morlany dominum nuncium ad regem misit, qui, favente Alvaro de Avila, diserte de jure Vicecomitis egit. Deinde, anno sequenti 1413, publica regis fide Barcinonem Vicecomes ipse petiit, Aymerico Arboreae vicario, Petro de Montboy Logudorii gubernatore et Leonardo Cano Sassaris potestate in Sardinia relictis. Inde cum sexaginta equitibus bene armatis, et Berengario Carroz Comite Chirrae a rege obviam ei misso, Illerdam magnifice petiit, ubi a rege comiter et magnifice exceptus et honestatus, annuo mille florenorum stipendio donatus fuit.

Berengarius insuper Carroz, qui Leonoram Garci Ferdinandi seu Petri Maurici sororem et reginae domicellam uxorem duxerat, laetitia, comitatu et convivio a rege honoratus, mille et quingentorum florenorum reditus in Sardinia dotis nomine habuit; et oppida Asseminis, Sancti Vireti, Padulis de Nura, Chiae, Salionis, Horti-Jacobi, Terralbae, Villae-novae, et Vestaris est in Sardinia consequutus, ut ex Petro Tomico, Alvaro Garcia, Hieronimo Zurita et antiquis monumentis constat.

Anno sequenti 1414, Rex concessit Joanni Cavallero militi Caralitano oppida Hippis inferioris et superioris, Leni, Sorris, Pavi superioris et inferioris, Ispidi, Aquensae, Fanaris superioris et inferioris, Serrae-magnae, Decimi-putei, Ussanae, Sebolles, et Villae-xidri regionis partis Hippis.

Gulielmus Vicecomes Narbonae, hoc anno, ad concordiam, ut diximus, cum Rege adductus, Sassarim regii patrimonii urbem, brevi tempore, Regi ipsi restituere promisit et judicatum Arboreae, comitatum Gociani atque alia oppida in Sardinia jure successionis sibi debita pretio centum quinquaginta trium millium florenorum vendidit; pro quorum octoginta millibus habere debebat Gulielmus oppida Argillae, Figuerae et Terellae, vel pro toto pretio idoneos fidejussores Tolosae Carcassonae et Narbonae existentes. Quibus datis, Alvarus de Avila et Bernardus Dolmus in Sardiniam proficisci debebant, horum dominatuum possessionem pro rege accepturi.

Haec ubi rescivit Leonardus marchio Oristani, Eliam Archiepiscopum Arborensem ad Regem misit et de novo tabulas confirmationis concessi marchionatus Oristani et comitatus Gociani, anno sequenti 1415 impetravit; eoque anno, Genuenses ob simultates, quas cum regibus Aragoniae propter Sardiniam et Corsicam, habebant, animum Joannae Neapolis reginae a nuptiis cum Joanne filio Regis Ferdinandi, teste Zurita, avertere conati sunt.

Eodem anno 1415, cum Petrus de Luna, dictus Benedictus Papa XIII, ad concilium Constantiense, omnium nationum consensu citatus a Sigismundo Imperatore et Ferdinando Aragoniae Rege, pro salute christiani nominis, jam ob schisma periclitantis, se pontificatu abdicare hortaretur, cogitavit ille ex Hispania in Sardiniam confugere, et in Castro Caralis

aut alia tutiori arce se continere. Quare Ferdinandus literas ad Sardiniae proregem de eo non admittendo propere misit; cernensque hujus antipapae pertinaciam, concilii opinionem de eo abrogando est sequutus. Hinc ille continens se in castello Paniscolae, loco munitissimo, et in sententia persistens, Ferdinandum regem schismaticum et regnis privatum, ut inquiunt Alvarus Garcia et Hieronymus Zurita, declaravit anno 1416.

Hoc eodem tempore, quo Ferdinandus rex a Petro de Luna declaratus fuit schismaticus, adversa detinebantur valetudine, qua tandem in Aqualato Aragoniae oppido, IV. nonas aprilis ejusdem anni 1316 e vivis excessit anno quarto ac mense nono sui regni, sepultusque fuit in monasterio Populeti, ut Marineus Facellus, Taraffa, et Zurita tradunt.

His Ferdinandi regis temporibus fuere in Sardinia

Proreges.

Anno 1411 Rimbaus Corbera Sardiniae et Corsicae prorex a Petro Torrella prorege ante obitum designatus.

1415 Acartus de Mur Sardiniae et Corsicae prorex.

Gubernatores.

1411 Berengarius Carroz Comes Chirrae gubernator Caralis Joanni Montagnano defuncto suffectus, ac postea prorex creatus.

1412 Acartus de Mur gubernator Caralis, ac postea, anno 1415, creatus Sardiniae prorex, et obiit in Sardinia anno 1419.

1412 Raymundus Zatrilla gubernator Logudorii.

1413 Albertus Zatrilla gubernator Logudorii.

Praesules.

1411 Joannes Athenes ex rectore parochialis ecclesiae sancti Nicolai Sassaris, creatus Archiepiscopus Turritanus, sedit annos 10 et obiit.

1411 Secundus de Moris Ordinis fratrum Minorum Episcopus Doliensis creatus fuit mense decembris.

1413 Franciscus . . . . Episcopus Doliensis.

1412 Gulielmus Vacca Episcopus Terralbensis.

1412 Leonardus a Sassari Ordinis fratrum Minorum, Episcopus Castrensis, seditque annos 33.

Hic diocesanam Synodum, anno 1420, congregavit, constitutiones antiquas confirmavit, novasque numero quadraginta duas edidit.

1412 Simeon Christophorus de Jarda Ordinis fratrum Praedicatorum, Episcopus Bisarchensis, seditque annos 9.

1412 Antonius Stamengo Ordinis fratrum Minorum, Episcopus Bosanensis.

1414 Gerardus . . . . . Episcopus Galtellinensis.

1414 Petrus . . . . . . Episcopus Sorrensis.

. . . . Thomas . . . . . . Episcopus Sorrensis.

. . . . Bartholomaeus . . Episcopus Bosanensis.

1414 Petrus. . . . . . . Episcopus Ussellensis, qui per Petrum de Luna Benedictum XIII. dictum, ad Caralitanum Archiepiscopatum promotus fuit.

1415 Elias . . . . Archiepiscopus Arborensis.

ALPHONSUS II. REX.

Alphonsus, mortuo Ferdinando patre, cum esset fratrum natu maximus ex Urraca, quae et Eleonorae nomen accepit, Albuquerque comitis admodum divitis filia procreatus, jure ac merito Aragoniae Sardiniae ac ceterorum regnorum imperium et dominatum suscepit; rex prudentia, auctoritate, munificentia, clementia, pietate, religione et doctrina praestantissimus a Laurentio Valla, et Bartholomaeo Facio jureconsultissimis, et fide dignis scriptoribus laudatus.

Itaque VII. idus maii hujus anni 1416, Alphonsus rex Raymundum Zatrillam Logudori gubernatorem creatum in Sardiniam misit, ut in fide et officio populos illos contineret, quos ad defectionem iterum Gulielmus Narbonae Vicecomes sollicitabat. Is enim, hoc eodem anno, cui Ferdinandus pactam

pecuniam non exsolverat, nec fidejussores ex praescripto foederis dederat, bellum in Sardinia reparaverat, urbem Sassaris et alia oppida regiis ministris tradere recusans. Et licet, vivente Ferdinando, Berengarius Carroz, jussu ipsius regis, promissis pecuniis et pactis quindecim mensium induciis, Gulielmum Vicecomitem pacaverat, tamen eo mortuo, res novas in Sardinia hic moliebatur.

Hoc anno, Bernardus Castagno fuit oppido Sancti Veneris in regione Decimi a Rege Alphonso donatus.

Accidit per idem tempus ut, quum Leonardus Marchio Oristani, jubente Rege Ferdinando, possessionem regionum partis Guilcieris et partis Baricati dimisisset Valori de Ligia et Bernardo Valori ejus filio, qui natione Sardi de rege benemeriti fuerant; tamen Valor non posset vassallos Baricati suo obsequio mancipare, nec reciperet jusjurandum et homagium fidelitatis, ut fecerant homines Guilceriani, in hoc obstinati, quod nunquam obedientiam ei praestarent, nec a jurisdictione regioque patrimonio paterentur abscindi. Mox animo improbo ei spem praebentes quod dominum agnoscerent in oppidum Zuuris vocarunt. Quo quum Valor una cum filio accessisset, eo primores Baricatensium armati se contulere cum aliquot cohortibus Barbaracinorum qui subjecti erant Vicecomiti, et Valorem cum filio et quibusdam stipatoribus miserabiliter trucidarunt. Quod factum est die dominica, et decimanona julii. Hinc in bellum apertum prorupere asseclae Vicecomitis.

His auditis Rex die 17 octobris litteras misit ad Ludovicum de Pontos Gubernatorem Caralis et Bartholomaeum Mirallem: et Vicecomes respondebat Ludovico de Pontos satis esse debere regi si ipse se agnosceret vassallum, et quae possidebat feudi nomine retineret: in quae Alphonso consentiente ille renunciaret omnibus juribus et actionibus suis in regiones, quibus nondum erat potitus: tum hanc apposuit conditionem, quod si Rex vel sui successores sibi vel heredibus suis solverent unica solutione centum quinquaginta millia florenorum, ut in primis pactis fuerat conventum, ipse recederet ab insula. Rex in haec consentiebat, ut compositis Sardiniae rebus Corsicam posset omnibus viribus aggredi, quam Genuenses tyrannice opprimebant.

Pax ergo composita fuit, et pacata insula his conditionibus quod nempe Gulielmus, abdicato ab se nomine, et insigniis Judicis Arboreae, urbem Sassaris et alia possessa oppida tamdiu feudi nomine possideret, donec pactum pretium integre foret a Rege pensum.

Dum autem hoc bellum in Sardinia extinguitur, aliud in Corsica exardescit. Genuenses etenim, quos ducebat frater Ducis ipsius reipublicae Corsicam ingressi, castellum Cinercae, ubi erat Comes Vincentius Istriae, qui in ea insula Regis partes fovebat, oppugnare coeperunt, tribusque tormentis aeneis adeo ejus muros feriebant, ut multis jam quassatis partibus, et a Vincentio Istriae in arcem tutiorem confugiente desertis, victoria facile potiti essent, nisi Joannes Istria ejus germanus frater cum sua triremi, et tribus aliis Raymundi Torrellae et Bernardi Martini triremibus opportune ex Sardinia auxilio venisset, qui cum suis copiis et Corsorum multitudine, castrum ingressus hostibus se opposuit, et de illis victoriam, multis occisis et tormentis aeneis captis, reportavit.

Eodem anno rex concessit Ludovico de Pontos gubernatori Caralis benemerito, oppida Nurallai, Mogorellae, Senis, Asolae et Ruinae regionis partis Valentiae; nec non oppida Fordongiani, Bidonii, Sorrei, Ardaulis et Lodduu partis Baricati. Concessit etiam eodem anno 1417, Joanni Corberae proregi oppida Isilis, Nurecis, Jannadis et Azunis regionis partis Valentiae, et oppida Paulilatini, Norghilli, Domusnovae, Orenae et Guilartiae regionis Gulcieris. Gulielmum denique Montagnanum strenuum virum oppidis sancti Luxorii, Culuris, Scani, Sinnarioli et Castro Montis-ferri donavit.

Feudi
forse valenza
e Barigadu

Guilcieri

Anno eodem de mense novembris, relaxatum fuit in concilio Constantiensi censum, a rege, pro feudo Sardiniae et Corsicae, Sedi Apostolicae futuro quinquennio solvendum. Et anno sequenti 1418 idibus martii fuit illi a Martino Papa V. remissus census illuc usque non adhuc solutus.

Anno autem 1419 obiit Gulielmus Vicecomes Narbonae, qui fuerat filius Aymerici Vicecomitis, et Beatricis de Arborea, et illi successit Gulielmus de Tineriis, filius Guilielmi de Tineriis et cujusdam foeminae ex gente Vicecomitis, quae suc-

cedebat in jura Gulielmi defuncti, et reparatum fuit bellum in Sardinia, et milites in eam, jussu regis, ex Sicilia trajecti fuere, ducibus Artale de Luna et Simeone Moncada; pro quorum mercede et aliis in Sardinia necessariis, Leonardus Cubellus Oristani Marchio multa nummorum millia Regi suppeditavit. Rex postea cum Gulielmo de Tineriis foedus, quod cum defuncto Vicecomite ferierat, renovavit; atque de ejus adventu in Sardiniam, ac de expeditione contra Corsos facienda, eumdem Leonardum Cubellum et Antonium Cardonam in Sardinia, ac Ferdinandum Velasquez et Martinum Torres in Sicilia, certiores reddidit.

Anno eodem 1419, oppida Sellae et Godasini Barisoni Cano, concessit, ob ejus fidelitatem et res contra Brancaleonem Auriam antea gestas. Petrum de Fenu Sassarensem generosi privilegio decoravit, et oppidi Montis, quod antea a Martino rege habuerat anno 1412, donationem confirmavit. Ferdinando Pardo tradidit regionem Barbargiae Belvini, cum oppido Seduli partis Guilcieris; atque ejus filio oppidum Moraquesi.

Instructis deinde pluribus triremibus, praefectisque ducibus Nicolao de Valdaura, Petro Centellas, Francisco Belvis, Joanne Pardo de Casta, Nicolao Joffre, Joanne Bardaxino et Joanne Eslava, Balearicum mare perlustravit, et in fine mensis februarii anno 1420 futuram expeditionem intra mensem publicavit.

Itaque viginti quatuor triremium, sexque biremium classe, die 7 maii ejusdem anni solvens, Baleares insulas, ubi quatuor Venetas triremes pluresque naves sibi conjunxit, appulit. Ad Sardiniam accedentibus navibus triremis Joannis Eslava adeo fortiter impegit noctu in praetoriam qua Rex vehebatur, ut haec pene submergeretur. Alphonsus in litus Algaritanum, ubi Artalis de Luna cum suis copiis erat, pervenit. Quod ubi rescivere Sassarenses, qui Gulielmi jugum e cervicibus excutere jamdiu cupiebant, statim Petrum de Fenu potestatem urbis, Leonardum Sanna, Andream Cardello, Gonnarium Gambella, Stephanum de Querqui, et Petrum Pilo, legatos perspectae prudentiae, et magnae auctoritatis viros, Algarium ad Alphosum regem miserunt, qui calamitatibus deploratis, Regi quo quisque in eum animo esset exponerent, neminemque ab

eo esse alienum, sed omnes velle se ipsos a Gulielmo redimere; et promissam a Rege pecuniam se ultro Vicecomiti solituros sponderent, si Rex eos cum Aragoniae regno copularet, eique perpetuo junctos vellet habere.

Horum legatione benigne et comiter a Rege audita, omnium populorum, qui sub Gulielmi ditione erant, propensis animis cognitis, XVI kal. septembris, eos in potestatem suam, ingenti omnium laetitia recepit; Raymundum Caldes ducem in castro Sassaris praefecit, et centum millia florenorum Petro Raymundo de Montbruno procuratori Gulielmi de Tineriis exsolvit, iisdem omnibus, et Leonardo Cubello marchione Oristani contribuentibus. Deinde, missa sex triremium classe, Terram-Novam, et Longonem expugnavit ac cepit: atque ita omnia pacata in Sardinia reddidit.

Postea urbem Terrae-Novae concessit Nicolao Carros de Arborea cum illius regione et oppidis ab eo antea possessis. Tradidit Ludovico Aragall oppida Villae-Massargiae, Gesiae, Petrae-Concae, Clacadis, Domus-Novae, Marganis, Pardi, Petrae-Longae, regionis Sigerri; oppida item Olzais, Fonnis et Mamoiadae regionis Barbargiae Ollolai. Dedit insuper Petro Gomez oppida Ussanae, Sicerri, Ruidas, Locumellis et Iave. Garcias de Ferrarió cessit hoc eodem tempore Raymundo de Monte Cateno regiones Marmillae, et Montis-Regalis. Denique Gulielmus Ugo Rocaberti litem contra Leonardum Cubellum egit, super rebus a Maria ejus matre, Ugonis Judicis Arboreae filia, in Judicatu Arboreae sibi relictis ac donatis, quam litem posta Dalmatius ejus filius est prosequutus. Denique, hoc eodem tempore, Gonnarius Gambella generositatis titulo a rege decoratus fuit.

Hac tempestate, Joanna Neapolitanorum regina, Ladislai soror, cum a Ludovico Andegavensi duce, qui postea rex est appellatus, gravi bello premeretur, quod ad se deferri Neapolitanum regnum volebat, misit in Sardiniam ad Alphonsum regem Antonium Caraffa cum Garcia Aznar, qui postea Episcopus Illerdensis fuit; auxilium implorans: quod ut facilius rex ei concederet, spem praebere jubet in amplissimum Neapolis regnum succedendi.

Legati etiam Regis Ludovici Algarium adpulsi, partem clas-

17. ag.

feud.

Mamm...?

sis a rege Alphonso deprecantes, petitum auxilium Joannae reginae ferri dehortati sunt. Ceterum quia rex Ludovicus a foedere Genuensium Alphonsi inimicorum recedere noluit, oblata tanti regni potiundi occasione, de mense augusti, duodecim triremium trium biremium atque aliarum navium classem auxilio reginae misit, a qua in filium cum futura regni successione fuit confestim adoptatus.

Deinde, ob pecuniam in Sardinia mutuo acceptam, regiones Mandralisais, Barbargiae Ollolais, et oppida Neonelis, Nuceti, Ullae, Allai, et Busaci partis Baricati cum turre Montis-Sancti, et villa excisa regionis Campidani Leonardo Cubello marchioni Oristani, Sursamque oppidum insigne regionis Romandiae Antonio Sunier pignori tradidit.

Postea Corsicam propinquam insulam cum omni residua classe et Hispanis Sardisque copiis proficiscitur; inter quos Gonnarius Gambella, Franciscus Saba, et Stephanus Fara, viri primarii Sassarensium erant. Itaque Calvum in primis adgressus, terra marique obsidet Alphonsus, oppugnat, ac deditione capit, Dalmatio Sanjusto et Gulielmo Montagnano viro Sassarensi strenue cum ceteris dimicantibus. Deinde valido ibi relicto præsidio, cum Joanne Lignano duce portum Syracusanum petiit, et XII. kal. novembris Bonifacii munitissimam urbem terra marique obsessam tenuit, multisque mensibus fatigavit.

Claruerunt in hac obsidione Ximenes Perez de Corella, Bernardus Centella, Fridericus de Aragonia, Artalis de Luna et Joannes de Bardaxi, qui in ea obiit; et ex Sassarensibus Stephanus Fara, et Petrus de Fenu, quorum ultimus oppidis Codrongiani, Bedes et Montis fuit a rege donatus; et Seraphinus Montagnanus, qui etiam habuit, ob res in ea bene gestas, Plovacam cum oppidis Salvennoris, et Figulinae.

Hostes autem longa obsidione fessi, fameque exhausti, amissa quadam arce, quam Joannes Moncada cum suis copiis expugnaverat, animis conciderunt; et V. idus decembris, deditionem ad kalendas januarii, si prius auxilium Genuenses non adferrent, datis obsidibus regi promiserunt. Ceterum Genuensium naves peropportune, duce Joanne Fregoso, adfuerunt et in angustiis situs, ubi sedet id oppidum, vi ventorum, ma-

gnoque armorum certamine, id Genuenses obtinuerunt, ut oppidum commeatibus adjuvarent; eademque postea ventorum vi, novaque arte hostem ludificando retro abierunt, Sabellico, Cypriano Manente, et Zurita referentibus.

Rex itaque soluta Bonifacii obsidione de mense decembris in Sardiniam revertitur; et anno sequenti 1421 conventum in castro Caralis habuit, omnes urbium procuratores, principesque Sardos debita praestantes officia comiter excipiendo. Jura itaque illis ex legibus dixit, gratias concorditer postulatas indulgenter firmavit, omnesque benemeritos gratiis, honoribus, privilegiis decoravit. Concessit enim Bernardo Centellae proregi regiones Montis-Acuti, Anglonis, Osuli, et Mejuloci; Dalmatio Sanjust oppida Villae-Graecae et Furteis regionis Nuraminis; Joanni de Sena oppida Laconis, Genonis et Nuragi. Marco Montboy oppida Gesici et Gonnis regionis Seurgi, et Samassis regionis Nuraminis; Antonio Bolaix Caralitano oppida Cerdiani, Bacchi, et Morcati; Nicolao Cacciano Caralitano oppida Monasterii et Segogi regionis Bonavollae, et oppida Sentis Pramontis et Noracis regionis Nuraminis, quae antea erant Bernardi Durantis; Jordano de Tolo oppida Soleminis, Mogoris, Sannae, Sirici regionis partis Ollae, et oppida Sipontis, Sancti-Sperati, Susumi et Villae-Speciosae regionis Decimi; ac vicecomiti Gessa Villecclesiano oppida Nucis durae et Fluminis-Majoris regionis Sulcis et oppida Montaniae, Conesae et Gulbisae regionis Sigerri; denique Petro Ogerio castrum Aquae-Fride cum oppidis.

Eodem anno 1421 Ludovicus de Pontos vendidit Nicolao Bottero oppida Asolae, Mandas, Gergey, Donnigallae, Serrios, Serri, Villae-Novae, Scalae-Planae, Sirassi, Speciani, Sassai, Dorgudoris, Stertilis, Serchis, Sercalais, Ussasais, Turbengentilis, Leseis, Sadalis, Guidisaffe, Orsi, Masai, Manurli, Orrolis et Scolchae. Vendidit etiam Antonio Madello oppida Mogorellae et Ruinae; atque Francisco Carbonello oppidum Senis. Gulielmus insuper Montagnanus vendidit Raymundo Zatrillas oppida Sancti-Luxorii, Culuris, Scani, et Sennarioli, cum castro Montis-ferri. Denique Joanna de Podio-Alto successit in feudis Antonio patri, ut ex antiquis monumentis et libro statutorum curiae militaris constat.

Farlam.

Hoc eodem anno, rex ab Joanna adoptiva matre Neapolim accitus a Corsicano ad Neapolitanum bellum animum cogitationemque convertit; atque rebus Sardiniae compositis, instauratisque viribus, Siciliam prius, mox Neapolim est profectus, magna illustrium Hispanorum, Sardorum et Siculorum caterva illum comitante; inter quos erant Stephanus Fara et alii Sassarensium legati, nec non Leonardus Zonza Sassarensis, qui generosus a rege creatus centum annuis aureis ob res bene gestas fuit ab eo donatus.

Dum autem Alphonsus Reginae Joannae hostes Neapoli debellare conatur, Calvenses in Corsica, regio devicto praesidio, ad Genuenses, teste Justiniano et Zurita, defecerunt.

Anno sequenti 1422, tranquillitas Sardiniae inopinato eventu perturbatur. Barzolus Magnus Castrum Gociani occupat praesidiisque munitum illud retinens vicinis damnum infert, omnia etiam longe ac late populando. Quare Leonardus Oristani marchio, coactis militum copiis, castrum illud tamdiu obsessum tenuit, donec Barzolo a suis jugulato deditum in potestatem habuit.

Praetera Franciscus Spinula, eodem anno 1422, cum classe septem navium Longonem oppidum Sardiniae regionis Gallurae opulentum invasit, cepit et diripuit, ingentemque praedam Genuam adsportavit, ut Justinianus refert. Quod ubi Alphonsus rex accepit, Longonis oppidum, anno sequenti 1423, solo aequari jussit; et Rambaldo Corbera ejus domino concessit oppida Silionis, Caniani, Margiani, Crasmisadae, Corvariso Horti-Murati, Capikere, Agracani, Batori, Jacoen, Aristani, Alvargii, Carsianae, Maleaxini, Nuragues, Conari, Vineae-Majoris, Montis, Arangiae, Vignolis, Montis-Caredi, Lapiae, Arsaquenae, Baradilis, Agughetae, et Deviani, quae in eadem regionae Gallurae, ab oppido Longonis usque ad regiones Cocinae et castri Auriae, quae ad eumdem Rambaldum spectabant, sita erant. Jussit insuper rex ut, addito novo centum sagittariorum praesidio, turris portus Turrium, Algarium, et Lapola Caralis suburbium munirentur.

Eodem anno 1423, Montis-Regalis comitatus ab Alphonso rege fuit in Sardinia erectus, Gulielmo Raymundo Montpavone primo comite creato. Et Joannes Melone, et Antonius Milia,

strenui viri Sassarenses de rege in bello benemeriti generositatis honore honestantur.

Cum autem, hac tempestate, Joanna Neapolis Regina, instabilis animi foemina, mutato consilio, et in filium adoptato Duce Andegavensium, insidias regi parasset, ac propterea Alphonsus Neapolim bello vexaret, nuncii ex Hispania retulerunt Henricum ejus fratrem a Joanne Castellae rege in carcerem conjectum detineri. Quare vehementer commotus Alphonsus ad Henrici auxilium cum valida classe, debellata inter eundum Massilia, praecipua inter civitates ducis Andegavensis, in Cathaloniam trajecit, relicto Petro in Italia totius belli praefecto; qui anno sequenti 1424 cum insigni viginti quatuor triremium classe, portum Syracusanum in Corsica adpulsus, Bonifacium magno impetu est adortus; sed oppidanis strenue repugnantibus, re infecta, cum omni classe, ut refert Justinianus, discedere coactus fuit.

Hoc anno 1424 centum novi coloni deducti sunt in Algarii oppidum, morbo satis adflictum, et populo deminutum. Belli etiam initia hoc eodem anno serebantur inter Bernardum Centella Sardiniae proregem, qui oppidum Macumelis possidebat, et Leonardum Cubello marchionem Oristani militum copiis illud occupare nitentem; nam ad se spectare dicebat. Sed Petrus Joffre et Raymundus Botterus, Caralitanorum legati ad marchionem missi, illud impediere, controversiam omnem ad regem deferentes. Hac tempestate Gonnarius Gambella Sassarensis adeptus est oppidum Sennoris Romandiae regionis, ab heredibus Petri de Picamanibus Barchinonensis emptum. Seraphinus etiam Montagnanus, anno sequenti 1425, habuit ex permutatione a Raymundo Centella prorege oppida Urgieghe, Noagrae et Mussellani regionis Osulensis.

Alphonsus interea cum Joanne Castellae rege conciliatur, Henrico fratre liberato, et pristinae fortunae restituto. Altero autem anno 1426, foedus cum Philippo vicecomite Mediolani, Lucae et Genuae, domino, percussit, ac Lericis et portus Veneris dominium accepit, tamdiu retenturus, donec ab eo Calvum et Bonifacium, consentientibus Genuensibus, pacate possideret, ut Justinianus et Zurita referunt.

Hoc anno 1426, Leonardus Cubello marchio Oristani ade-

ptus est, venditione Joannis Corberae, oppida Paulis Latini, Norghilli, Domus-Novae, Orenae, Subdi, Zuuris et Gulcieris regionis partis Gulcieris. Eodem modo Petrus Joffre nactus est oppidum Asolae regionis partis Valentiae a filiis Nicolai Botteri. Dalmatius etiam Sanjust, ob res in Sardinia Corsica et utraque Sicilia viriliter gestas, donatus fuit oppidis Paulis et Encatii in agro Caralitano.

Praeterea, anno sequenti 1427, fuit Joannes Manca generositatis privilegio honestatus; et oppida Geriti et Tanicae regionis Romandiae fuerunt urbi Sassaris a rege liberaliter tradita, et monasterium sancti Petri de Sirchis extra Sassaris muros situm, et a monalibus desertum, metropolitanae Sassaris ecclesiae fuit a Martino Papa V. unitum. Oppidum etiam Nurallai regionis Partis Valentiae Ludovico Aragall a rege donatum fuit: atque oppida Marganis, et Petrae-Longae regionis Sulcis ab eodem Ludovico Aragall vendita fuere Ugolino Gessae; et oppida Salluris et Decimi fuere vendita Joanni de Sena a Gulielmo Sanctae Pacis, Pontii Sanctae Pacis successore.

Jus et dominium, quod olim in Sardinia Gulielmus Narbonae Vicecomes habebat, quodque ex venditione Ferdinando regi superioribus annis facta, regi fuerat acquisitum, hoc tempore a Gulielmo de Tinieriis, teste Zurita, confirmatum fuit.

Subsequentibus annis quum bello contra Castellae regem moto, Alphonsus in Hispania detineretur, Sassarenses ad eum, anno 1429, Leonardum Zonza, bellica disciplina in rebus Sardiniae et Corsicae atque utriusque Siciliae clarum, legatum miserunt, auxilium pro viribus offerentes, et Jacobum Malficam virum ingenio simul et manu promptissimum, anno sequenti 1430, destinarunt, multis pecuniis in eo bello regi subvenientes.

Aliae insuper urbes et reguli Sardiniae regi fidelitatis suae munia praestitere. Et quoniam in Sicilia, ea tempestate, Castellani plures aderant, praecavendum ei insulae ratus Alphonsus rex, ad illam Salvatorem Cubellum, fratrem Leonardi marchionis Oristani, misit cum ducentis Sardis equitibus. Misit etiam in Sardiniam Jacobum de Besora proregem, et Seraphinum Montagnanum, cum trireme Raymundi Boyl; qui e Cajeta solventes, incolumes e manibus Genuensium, eos duabus triremibus insequentium, ad Caput Cominum effugere.

Hac tempestate claruerunt Antonius de Angios Sassarensis; et Franciscus Turringius Oristanensis, qui oppidis Bittis et Oranis fuit a rege donatus; ac Petrus Joffre Caralitanus, qui oppida Mogorellae et Ruinae ab Antonio Madello emerat.

Anno postea 1431, Alphonsus rex cum Joanne rege Castellae, quinquennales inducias pactus, a Martino Papa V, reginaque Joanna Neapolim vocatur. Itaque anno sequenti 1432, instructa classe triginta sex triremium, et novem onerariarum navium, primum in Sardiniam, mox in Siciliam navigavit; ibique aucta classe in Africam trajecit Gerborum insulam cepit, et Mauros bello profligavit. Postea Joannem Mari Algariensem, ob res praeclare ab eo gestas, oppidis Ulmeti, Septemfontium et Vexi in Sardinia donavit.

Concessit etiam Rex, hoc tempore, castrum Gioiosae-Guardiae cum suis oppidis, Ludovico Aragall, castrum Galtellini cum oppidis Urisa, Irgoli, Unifai, Loculi, Torpee, Durgali et Luvula Ferdinando de Almanza; Asolam, Ruinam et Mogorellam, regi devoluta, Petro Joffre; et Ergolam Partis-Ollae Antonio Bolaix.

Praeterea Franciscus Erillus habuit oppida Gesici, Gonnis, Samatzais, Pires, Barallae, Serrentis et Massais, ex venditione Joannis de Montboy. Joannes etiam et Nicolaus Dedoni emerunt a Nicolao Caciano oppida Monasterii et Segafae regionis Bonaevollae; et oppida Sentis, Pramontis et Noracis regionis Nuraminis. Bernardus Ruffus Caralitanus adsequutus est villam Alerii. Denique Salvator Arboreae, Leonardi marchionis Oristani filius, omnia oppida Ludovici de Pontos et partis Cieris cum mille florenis ab Antonio marchione Oristani ejus fratre adeptus, cetera hereditatis paternae jura laudato fratri cessit.

Hac tempestate, abbatia Sanctae Mariae de Paludibus ordinis Cisterciensium a monachis jam deserta, unita fuit ecclesiae Turritanae ab Eugenio Papa IV. Joannes etiam Gambella Sassarensis titulo generositatis a rege decoratus fuit.

Anno autem 1433, Alphonsus rex ex Africa Caesareaugustam, inde Sardiniam reversus, et cum regina Neapolis Joanna reconciliatus, Senenses omnes et Florentinos in regnis suis existentes fracti foederis reos, ut ipse dicebat, comprehendi jussit. Veritus deinde Thuscorum et Genuensium motus, pecunias ad Raymundum Valdes pro reparatione castri Sassa-

ris misit; et Petrum Ledesma ducem castri Serravallis in urbe Bosae, defuncto Raymundo Centella, praefecit; atque Antonium Oristani marchionem praesto cum omni equitatu, teste Zurita esse voluit. Denique res in Sardinia gerendas rescripsit literis Jacobo Besora proregi, cui omnia oppida regionis Trecentae dedit.

Anno sequenti 1434, Genuenses cum Venetis et Florentinis foederati bellum in Corsica movent, et Vincentius Istriae, ingentis spiritus et roboris vir, Cinercae comes, qui omnem Corsicae insulam, Calvo et Bonifacio exceptis, Regi Aragoniae subactam tenebat, bello navali victus, capite obtruncatur, ut refert Aug. Justinianus. Praeterea Nicolosus Auria Brancae Auriae filius, Montis Leonis Comes et castri Genuensis dominus cum Genuensibus foederatus varios motus in Sardinia excitavit, et a rege defecit, qui in insula Siciliae rebus Neapolitanis satis intentus non poterat, praesertim mortuo eo tempore Ludovico Andegavensi regni competitore, in Sardiniam venire; Nihilominus Jacobus Besora cum paratissimis Sassarensium Algariensium et Bosanorum copiis jussu Regis in Nicolosum Auriam Montem Leonem versus proficiscitur, istudque Castrum, ubi Nicolosus erat, expugnare se accingens: verum quia in vertice excelsi et undique praerupti montis situm erat, nullumque aditum exhibebat, quo vi capi posset, militum corona acriter obssessum tota hyeme anni sequentis apud Montem Spinellum tenuit castrametatus, Sassarensibus semper milite et commeatu faventibus et adjuvantibus, ad quos octavo id. aprilis Rex Messanae existens has litteras dedit.

« Ex literis Jacobi Besora, Proregis a nobis in ipso regno « destinati, et ex verbis nostri a secretis Francisci Axalonis « plene accepimus qua fide animique ardore, ut soletis, et « quae egregia praeclaraque facinora in bello contra Nicolo- « sum Auriam rebellem, ejusque oppida et arces, ab eodem « Jacobo Besora nostro nutu inito nostrisque auspiciis, ges- « sistis, quas opes commeatusque nostris castris ad molem « Montis Leonis positis, tulistis, quos sumptus et labores in « tam atra hyeme, et annonae caritate sustinuistis, consilium « auxilium et favorem praestando ut interclusis itineribus ci- « baria et suppetias ferre obsessis accessumve habere inimici

« nequirent. Pro his et aliis multis officiis nobis praestitis « maximas vobis gratias agimus et habemus, illudque a vobis « petimus et rogamus, ut quae honori et servitio nostro to- « tiusque regni tranquillitati maxime convenire scitis deinceps « semper praestetis et coeptis Jacobi Besorae contra Nicolosum « Auriam omni conatu et studio ita faveatis, ut exitum opta- « tum consequentes castris Montis-Leonis et Genuensi po- « tiri, et a Nicoloso Auria, et ejus complicibus scelerum « poenas repetere valeamus: nam improbis et facinorosis ho- « minibus castigatis boni ac frugi omnes tuti ab illis quie- « tam et tranquillam poterunt ducere vitam. Nos diebus ela- « psis classem etiam conscensi Sardiniam ob id petere statue- « ramus; sed aliis supervenientibus rebus gravioribus, statum « et honorem nostrum tangentibus, supersedere volumus, de « vestra et aliorum dicti regni fidelitate innata et amore ita « confisi, ut non obstante nostra absentia vestro auxilio et « favore de dicto Nicoloso ejus fautoribus, et castris victo- « riam quamprimum reportabimus. Itaque monemus et requi- « rimus ita vos semper in hac re geratis, ut Nicolosus Auria, « ejus fautores et arces, nequeant e manibus nostris evadere. « Certiorantes vos, quod vestrorum officiorum memores in vos « et alios benemeritos animum semper praestabimus libera- « lem et magnificum ». Datum Messanae id. apr. 1435, ut ex Archivio civitatis Sassaris constat.

His datis literis Alphonsus a Neapolitanis sui studiosis, mortua Joanna Neapolis Regina, vocatus Messana solvit, Cajetam terra marique obsidet et oppugnat, deinde advenientem subsidio urbi classem Genuensium quatuordecim navium totidem instructis navibus inter Pontiam insulam et Cajetam adortus post longam et acrem pugnam a Genuensibus superatur et cum Joanne et Henrico fratribus, aliisque multis proceribus, de quorum numero, teste Zurita, Salvator Cubellus Marchionis Aristanis frater et alii plures Sardi erant, captus ad Philippum Mariam Mediolani Ducem cum spe liberandi non tantum Cajetam, sed et Nicolosum Auriam, et recuperandi Sardiniam, ut inquit Aug. Justinianus, perducitur. Quare Maria Regina Alphonsi uxor statim cum Aragoniae proceribus conventum Caesaraugustae coëgit, ut rebus Sardiniae et Siciliae provideret:

Ceterum Alphonsus cum fratribus et optimatibus suis a Philippo liberaliter fuit dimissus, et Cajetam potitus. Castrum Montis-Leonis et arcem Bonvicini et oppida Thiesis, Bessudae, Patriae, Marae, Romanae et Putei-majoris in Sardinia deditione Nicolosi Auriae anno sequenti habuit, eodem Nicoloso in castrum Genuense pactis induciis recedente. Fuerunt arces praefatae Montis-Leonis et Bonvicini petentibus Sassarensibus desolatae, et omnes in ea obsidione benemeriti multis privilegiis et donis honestati. Urbs enim Sassaris, Bosa et Algarium habuerunt castrum cum agro Montis-Leonis parvo pretio dato, et ex Sassarensibus, Seraphinus Montagnanus praefectus militiae Sassaris, oppida Javis et Cossaynis, Urgiegue et Noagre, qui postea vicina oppida Capulae, Silici, Banaris et Terquiddi a Nicolao Viguino emit. Joannes Gambella oppida Settipalmi et Querquis in Fluminaria: Gonnarius Gambella oppida Taverrae, Ferraidi, Lequilis, Lentis et Hertis in eadem regione a Martino Valle procuratore Petri Ferrer emit. Franciscus Saba oppida Nonnois, Murussae, Domus-novae, Erlae, Eristolae et Octavae ejusdem regionis: Jacobus, Joannes, et Andreas Manca fratres agrum et oppida Thiesis Keremulae et Bessudae regionis Capitis Aquarum parvo dato pretio ab Alphonso obtinuere; Franciscus Melone oppidum Putei-majoris ejusdem regionis parvo dato pretio; Petrus Ispanus oppida Moduli et Musitani parvo dato pretio, Geritum et Tanicam gratis. Joannes Amoros Illorlis oppidum desertum ejusdem regionis. Ferdinandus Heredia et Matthaeus Fara, Petrus Joffre, qui decem equitibus inserviebant, agro donantur. Ex Algariensibus etiam habuit Petrus Ferrer oppida Sorsi, Sennori, et Uruspae, ab Antonio Suniero redempta, et oppida Patriae et Marae cum agro castri Bonvicini parvo dato pretio; Bernardus Sellent, alias Pujades, oppida Lunafras in Algariensi agro, et oppida Minutadas, Massadae, Montis Carti, et sanctae Victoriae regionis Monteleonis; Andreas Xonxotus, Jacobus Figuera et Gilbertus Ferret, qui cum tribus equitibus serviebant, agro donantur, et Nicolaus Abella salinis Algarii, Fangacio vocitatis. Ex Bosanensibus Nicolaus Salaris oppido Minervae, et Nicolaus Palmas agro donatur, Salvatorque Portula Oristanensis, qui cum duobus equitibus serviebat, agrum Plani de Murtas est adeptus.

Eodem anno 1436 decedente Alemano de Valguarnera in obsidione Montis-Leonis Rogerius Besora de Rege benemeritus donatur devolutis oppidis Nuraminis, Borri, Barallae et Corongii regionis Nuraminis; et ex oppidis Salluris, Laconis, Gennonis, Nuragui, Nurallai et Decimi erigitur a Rege Vicecomitatus Salluris, Joanne De-Sena eorum possessore primo Vice-comite creato, qui oppida Quarti, Quartucci, Pirri, s. Vidriani, Fluminalis et Sebolles eodem tempore ex vendito habuit. Illi successit Antonius De-Sena, qui tum in urbe Theani pro regni Neapolitani acquisitione cum ducentorum armigerorum comitatu propriis expensis militando serviebat, et oppida Guilartiae, Aquae-Sanctae et Aditus-majoris Antonio Marchioni Oristani vendidit.

Eadem tempestate Salvator Arboreae, ipsius Marchionis frater, ob res ab eo in Hispania contra Regem Castellae, in insula Gerbes, in obsidione Cajetae, et in navali conflictu contra Genuenses, praeclare gestas, obtinuit a Rege gratiam et confirmationem regionum Mandralisais et Barbargiae Ollolais maternae hereditatis omniumque oppidorum Neonelis, Nurguilli, Ullae, Allai, Busachi cum turre Montis Sancti, Ussai, Ustedi Gurilmedi, Orenae, Orogogi, Uras, Boeles, Licheri, Boloninae, Sudi et Nordai regionum Partis Baricati et Cieris.

Anno etiam sequenti 1437 Antonius Marchio Oristani ob servitia in obsidione Montis-Leonis personaliter praestita novam concessionis Marchionatus Oristani et Comitatus Goceani confirmationem a Rege obtinuit, foeminis etiam ad successionem admissis, masculos tamen illis praeferendo et majores junioribus: habuit insuper oppida Bittis, Oranis, Regionis Barbariae, Francisco Turringio Oristanensi illius domino mortuo, et Ludovicus Aragall ex venditione Antonii De-Sena est adeptus oppidum Decimi-magni.

Eodem anno Petrus De-Zori Sardus militia clarus intercepit plures homines cibaria ex oppido Caramontis in Castrum Genuense deferentes; qua de re conquestus Nicolosus Auria ipsius Castri Dominus arma movit, et vicinum Castrum Auriae, Rambaldi Corberae cepit.

Anno tamen sequenti 1438, Raymundus Riusech, Franciscus Gilbertus Centella dictus, illud recuperavit cum oppido

Coquinae, quod pro expensis belli eis solvendis Angelo Cano vendidit, renovatoque cum Nicoloso Auria bello, Rex Castrum Genuense eidem Raymundo si infra tres annos illud expugnaret, et oppida Mores, Todoraquis Iteri, Laquesos et Ardarae cum illius turre concessit, regionemque Urisae et Galtellini Henrico de Guevara Vasti Marchioni donavit.

Anno autem sequenti Angelus Cano miles Sassarensis habuit a praefato Raymundo Castrum et regionem Osuli, et Salvator Arbore Castrum et regionem Marginis Macumelis, parvo dato pretio; et Franciscus Saba consecutus est oppida Codrongiani superioris et inferioris atque Bedae ex venditione Petri Archiepiscopi Turritani, tutoris Petri De Fenu, Petri filii. Eodemque tempore Berengarius Carroz Comes Quirrae contractis secundis nuptiis cum Eleonora Manrique in dotem ab Rege habuit regiones partis Montium, et partis Bonorcilis, et Usellis, et Nicolaus Viguino, Valentinus Capra, et Ferdinandus de Heredia, insignes viri Sassarenses, fuerunt a Rege generositatis privilegiis honestati.

Anno deinde 1440, Franciscus Saba, et Gonnarius Gambella Sassarensium legati de rebus Sassarensium Capuae praeclare agentes, qui Castrum Genuense expugnarunt, obtinuere gladii potestatem in regionibus Nurrae, Nurcarae et Montis-Leonis, et aliis multis privilegiis fuerunt donati, quibus Marchiones Oristani ab emptione oppidorum regionis Logudori, et exteri omnes a dignitate Archiepiscopi Turritani aliisque Sassaris sacerdotiis fuerunt prohibiti. Deinde Stephanus Fara centum annuis scutatis aureis est donatus, et alii Sassarensium legati multis ditati muneribus fuerunt dimissi, eodem Stephano et Antonio Pisquedda cingulo militari et generositatis privilegio decoratis.

Eodem anno Baptista Fliscus Pirata Genuensis duas Sassarensium naves cepit; et Ecclesia s. Mariae insigne Franciscanorum monasterium extra muros Sassaris fuit in melius reparata.

Anno sequenti 1441 Eugenius Papa hujus nominis quartus transtulit sedem Archiepiscopalem Turritanam ad Ecclesiam s. Nicolai Sassaris, titulo et honore civitatis Turritanae Sacerrim decorando, ut ex antiquis tabulis in Archivio ejusdem Ecclesiae conservatis constat.

Eodem anno Jacobus Manca vir insignis generosus creatur a Rege, et Monserratus Ferret habuit oppidum Boraculi regionis Doliae, Ferdinandusque Pardus oppidum Pirris regionis Caralitanae, et Galzerandus Gulielmus cum Joanne Torrellone pro venditione Jordani de Tolo consequutus oppida Sipontis, s. Sperati, Suiceti, et villae Speciosae, aliaque oppida Soleminis Mogoris et Suris regionis Partis Doliae.

Anno 1442 Raymundus Ruisech, Franciscus Gilbertus Centellas dictus, vendidit oppida Mores Todoraquis Laquesos et Ardarae cum ejus Castro regionis Mejuloci Francisco Saba Sassarensi, et oppidum Cargiegue Seraphino Montagnano Sassarensi, oppidaque Capulae Silici Bannaris et Terquiddi regionis Mejuloci Christophoro Manno Sassarensi, qui postea Nicolao Viguino Sassarensi ea vendidit.

Anno 1443 Petrus Ferrera habuit a Petro Hispano oppida Moduli et Mositani, et a tutoribus filiorum Francisci Meloni oppidum Putei-majoris parvo soluto pretio; eoque tempore Petrus Cariga, Thomas Marongius, Bartholomaeus Magnus, et Guantinus fuerunt a Rege generositatis honore decorati.

Anno sequenti Joannes Milia, Ambrosius Blancus, Stephanus de Orlando, Antonius de Angios, Angelus Marongius, et Nicolaus Gadulesus Sassarenses fuerunt eodem generositatis privilegio honestati, et urbs Sassaris multis privilegiis ab Angelo Cano, Raynierio Puliga, et Angelo Marongio, petitis donata.

Eodem anno prioratus s. Saturnini fuit ab Eugenio IV. Ecclesiae Caralitanae unitus, aliaeque plures uniones in Sardinia factae, quae non fuerunt sortitae effectum.

Anno 1445 Abbatia s. Mariae de Cerigo Ordinis s. Benedicti fuit Ecclesiae Emporiensi unita.

Eodem anno Pantaleo Fancellus oppidi de Silico nobilitatis honore a Rege decoratur, et Vicecomes Gessa Villecclesianus habuit oppida Nucis et Fluminis-majoris regionis Sulcis, atque oppida Connesae et Gulbisae regionis Sigerri.

Anno 1446 Gilbertus Centellas habuit oppidum Iteris regionis Mejuloci a Gonnario Gambella emptum.

Anno 1447 Comitia habita sunt in Castro Caralis et Ignigus Guevara, Arrianus Thomes, et Petrus Joffre legati a regulis Sardiniae missi triginta et unum capitula gratiarum et

privilegiorum militarium, oblatis mille nummis aureis, a Rege obtinuerunt, qui aucto stipendio praesidium in Castro Sassaris augeri jussit.

Raymundus Ruisech habuit ab Angelo Cano oppidum Coguinae cum turre Auriae parvo soluto pretio, et anno sequenti 1448 Joanne Milia legato Sassarensium ad Regem misso bellum contra Nicolosum Auriam susceptum, et Castrum Genuense expugnatum fuit, urbsque Sassaris multis privilegiis donata.

Anno 1449, floruit Vitalis Sardus insignis Archipirata Alphonso Regi intimus, qui a Veneta classe adortus et captus a Laurentio Loredano illius Praefecto capite obtruncatur. Quod Alphonsus iniquo ferens animo mercatores Venetos in suis regionibus interceptos prius custodiri, mox ex regnis ejici jussit, bello contra Venetos suscepto, ut refert Sabellicus et Tarcagnotta.

Eodem anno Castrum et regiones Galtellini et Urisei ab Henrico Guevara Salvatori Guiso traduntur: et anno sequenti oppida Siguris, Pixinae et Gibae regionis Sulcis, quae erant Dalmatii Jardini Jacobo Caxa venduntur.

Anno deinde 1451, quo Sardi summa perfruebatur pace, Corsi erant nimia tyrannide et factionibus afflicti, alii Genuensium, alii Aragonensium partes sequentes. Vincentius Istria post mortem Comitis Cinercae arcibus et oppidis Salonis et Istriae a Rege donatus fuit; nec non et Paulus atque Antonius Roca confirmationem suae ditionis ob eorum perpetuam fidem adepti Regem ad bellum in Corsica renovandum, finito jam bello Neapolitano, vocant, opem auxiliumque polliciti.

Ceterum Alphonsus, qui tunc pacem cum Genuensibus habebat, bellum in aliud tempus distulit, et Jacobum Besora cum copiis et magno Sardorum peditatu equitatuque Proregem in Corsicam mittit ut suos defenderet, omnesque arces et populos in officio contineret, Bonifacio Calvo et aliis locis, quae a Genuensibus tempore initae pacis possidebantur, exceptis.

Anno deinde 1452 Comitia habita sunt in civitate et castro Caralis, quibus interfuere Antonius de Arborea Marchio Oristani, Jacobus Carroz Comes Quirrae, Raymundus Ruisech, Comes Olivae, Salvator de Arborea Marchionis frater, Philip-

pus Aragall, Franciscus Saba, Jacobus Manca, et ejus nepotes Brancaccius, Antonius et Jacobus Manca, Antonius Gambella, Galcerandus Torrella, et ejus fratres, Gerardus Dedoni, Raymundus Zatrilla, Jacobus Pardus, Franciscus Tomingo, et Petrus Joffre cum Ignigo Guevara. Hi suo et aliorum Sardiniae militum nomine capita vigintinovem gratiarum et privilegiorum militarium, oblatis duobus millibus et quingentis scutis aureis, ab Alphonso Rege obtinuere; et Joffredus Ortaffa Prorex jussus est Fabae et Longonis portus, aliaque loca Nicolai Carroz, nullum jus exhibentis, apprehendere.

Eodem anno Fratres Ordinis Minorum s. Francisci de Observantia, indulgente Nicolao hujus nominis V, ex Corsica in Sardiniam migrantes plurimas insignes domos in ea sibi compararunt.

Anno 1453, bello contra Florentinos ab Alphonso Rege inito, milites et commeatus ex Sardinia Joffredus Ortaffa Prorex diligenter suppeditabat, et regiis copiis in Corsica pariter subveniebat, ubi eo anno oppidum s. Florentii fuit debellatum, et valido Regis praesidio munitum. Itaque Genuenses rerum Corsicarum pertaesi insulam Officio s. Georgii cessere, sub cujus dominatu duodecim annos, ut refert Augustinus Justinianus, stetit.

Anno 1454 Raphael De-Leca de Rege benemeritus fuit acriter obsessus; quare Bernardus Villamari suppetias cum sua classe illuc quam primum ire a Rege jussus fuit.

Anno etiam 1455 missus est in Corsicam Berengarius Erillus Prorex illius insulae creatus, qui Bonifacii Castrum et urbem ad mensem februarii pollicitam deditione Ludovici Campi Fregosi habere sperabat. Eodemque anno Antonius Esbertus Sanjustus habuit parvo pretio oppidum Segarinum regionis Trecentae, et Petrus Bellinus oppidum Gurgum ex venditione Antonii De-Sena, et oppida Nurgui Barro Villaenovae Surriae et Sulti cum Castro Aquae fridae ex venditione Gerardi De-Doni; emit etiam anno sequenti oppidum Baratuli a Michaele filio Monserrati Ferreti defuncti: et Raymundus Zatrilla eodem modo a Bartholomaeo filio Joannis Mari oppida Septemfontium et Nexi fuit consequutus, oppidaquae Armungiae, Latrini, Villaesaltus, Nuraxi, Barlai, Surlegi,

Castagnani, Sisini, Crari, et Connosi regionis Gerreis a Rege impetravit.

Eodem anno Urbs Sassaris multis privilegiis decoratur, Joanne Milia misso ad Regem legato: et cum Antonio Gambella de Geriti et Tanicae possessione litem habuit.

Anno 1457 Alphonsus Portugalliae Rex expeditionem suscepit contra Othomanum II. Turcarum principem, qui annis superioribus Constantinopolim expugnaverat, Sardiniamque petiturus litteras Regis Aragoniae commendatitias ad Sardos praemisit.

Post haec Alphonsus Aragoniae Rex anno salutis 1458 IV. kal. julii Neapoli in Arce-Nova obiit aetatis suae anno sexagesimo quinto.

Per haec Alphonsi Regis tempora Praesules infrascripti in Sardinia floruere.

Anno 1422 kal. april. Petrus Spanus ex canonico Archiep. Turritanus creatus.

Hic anno 1438 ex urbe Turrium, injuria temporum deserta et desolata, Sassarim cum Archipresb. et Canonicis migravit palatio Archiepiscopali, et claustro canonicorum, *Canonica* nuncupato, in ea conditis: et anno 1441 Sedem Archiepiscopalem ad Ecclesiam s. Nicolai transferri curavit, Synodumque anno proximo congregavit, in qua veteres constitutiones confirmavit, et novas numero triginta trium condidit multis privilegiis archipresb. et canonicos honestando. Hic Abbatias s. Petri de Sirchis Monialium anno 1427, et s. Mariae de Paludibus Ordinis Cisterciensium anno 1432 Ecclesiae Turritanae unitas, primus est consequutus, et alias Abbatias s. Mariae de Cerigo Ordinis s. Benedicti, et s. Michaelis de Plano Ordinis Vallis umbrosae eidem Ecclesiae uniri anno 1444 ab Eugenio IV. impetravit cum facultate etiam uniendi puerorum seminario ex omnibus suffraganeis Ecclesiis octo sacerdotia, quae tamen gratia, superveniente morte ipsius Petri, non est effectum sortita. Obiit enim vigesimo sexto Pontificatus sui anno vitae sanctitate clarus et sepultus fuit in Ecclesia s. Nicolai, eoque tempore erat Andraeas Cano Archipresbyter Turritanus.

1448 II. kal. novembris Antonius Cano Sassarensis, prius Rector oppidi de Jave, mox Abbas SS. Trinitatis de Saccargia Ord. Camaldulensis ordinatus, postea Episcopus Bisar-

chiensis creatus, translatus est II. kal. novemb. ad Ecclesiam Turritanam. Hic fuit Orator Regis Alphonsi, scripsit historiam ss. mm. Gavini, Proti, et Januarii; auxit numerum Canonicorum Ecclesiae Turritanae, et Synodum provincialem contra Judicem appellationum et gravaminum congregavit, ejusque tempore Joannes Gambella fuit Archipresbyter Turritanus.

1423 idibus maiis Joannes Fabri, frater Ordinis Carmelitarum, fuit Archiep. Caralitanus creatus; sedit annos sexdecim, et postea se abdicavit.

1439 IV. kal. febr. Matthaeus... ex Decano Archiep. Caralitanus creatus sedit viginti duos annos, et obiit. Ejus tempore Prioratus s. Saturnini fuit Ecclesiae Caralitanae unitus ab Eugenio IV.

1437 nonis aprilis Laurentius Squintu Archiep. Arborensis ordinatus sedit annos terdecim.

1450 pridie id. octobris Georgius... ex Canonico Archiep. Arbor. creatus.

1454 XII. kal. novembris Jacobus..... ex Commendatario Monasterii sancti Angeli de Trigillo Dioecesis sancti Severini Archiep. Arbor.

1418 II. id. mart. Lodovicus Hernatus Ord. Fr. Praedicat. Eps. Bosan.

1445 III. non. decembris Thomas de Rubeo Ord. Fr. Praedic. et Regis Alphonsi a confessionibus Eps. Bosanensis, Nicolao Bizone contradicente et super Episcopatu litigante.

1445 prid. non. jan. Joannes Cossu Eps. Bosanen. creatus; post paucos menses obiit.

Paullo post ordinatus est Franciscus Meloni Eps. Bosanen. obiit circa anno 1470.

1414 XII kal. maj. Bernardus Rubeo Ord. Fr. Min. Sacr. Theologiae professor Episcopus Usellen. creatus: sedit annos tres.

1421 II. id. mart. Joannes de Campo Ord. Fr. Carmelitarum, Magister in Theologia Eps. Usellen. creatus sedit annos quinque.

1426 id. decembris Jacobus de Villanova Ord. Fr. Minorum Eps. Usellen. creatus sedit annos terdecim.

1439 kal. julii Joannes Garzia Ord. Praedic. Eps. Usel-

len. creatus sedit annos quinque, et translatus fuit ad Ecclesiam Syracusanam; eoque tempore fuit ab Eugenio IV. Ecclesia Terralbensis Usellensi unita.

1444 XII. kal. nov. Bernardus Michael Ord. Fr. Praed. Eps. Usellen. suspensa unione.

1454 XV. kal. januar. Antonius De Vich Canon. Doliensis creatus Eps. Usellen.

1419 XI. kal. jul. Matthaeus Serra Ord. Fr. Praedic. Eps. Terralbensis creatus sedit annos undecim.

1436 V. kal. jul. Jacobus Tola Canon. Caralitanus Eps. Terralb. creatus sedit annos septem.

1443 VIII. id. septemb. Joannes de Aranda Ord. Fr. Eremitarum s. Aug. Eps. Terralben. eoque tempore Ecclesia Terralben. fuit ab Eugenio IV. Usellensi unita.

1419 XI. kal. sept. Joannes de S. Paulo Ord. Fr. Praed. Eps. Dolien.

1422 Ludovicus . . . . Eps. Dolien.

1438 non. mart. Nicolaus Canonicus Caralitanus Eps. Dolien.

1440 Joannes Annades Eps. Dolien. et se abdicavit.

1451 VII. kal. julii Antonius ex Canon. Eps. Dolien.

1420 III. id. decembres Joannes de Miracapillis Ordinis Fr. Praed. Eps. Galtellinen. creatus sedit annos octo.

1428 III. non. mart. Gulielmus de Muerana Ord. Fr. Min. Eps. Galtellinen.

1432 nonis martii Sebastianus Abbas Ord. Fr. Praed. Papae Poenitentiarius Eps. Galtel.

1422 VII. kal. jul. Antonius Perma Can. Turritanus Eps. Bisarchien. Synodum Dioecesanam in Ecclesiae S. Mariae oppidi de Ocieris congregavit, et constitutiones numero viginti novem ordinavit.

1436 kal. aug. Antonius Cano, Rector Ecclesiae de Jave Sorrensis Dioecesis, Eps. Bisarchien. creatus sedit annis duodecim, et fuit translatus ad Ecclesiam Metropolitanam Turritanam, eoque tempore Prioratus S. Nicolai de Butule fuit Ecclesiae Bisarchien. ab Eugenio IV. unitus.

1441 XII. kal. novemb. Sisinnius . . . . Episcop. Emporiensis translatus ad Ecclesiam Bisarchien. sedit annos decem et octo.

1422 IV. non. maji Joannes de Cassa Ordinis Fr. Eremitarum s. Augustini Episcopus Sulcitanus.

1430 Sisinnius . . . . Eps. Sulcitanus.

1442 X. kal. aug. Anton. Presto Ord. Fr. Praed. Ep. Sulc.

1428 III. non. julii Stephanus ex Abbate s. Mariae de Paludibus Ordinis Cisterciensis Turritanae Dioecesis Episcop. Sorrensis creatus sedit annos duodecim.

1040 XV. kal. jul. Joannes Sanchez Ord. Prae. Eps. Sorren. sedit annum unum supra viginti, eoque tempore Ecclesia sanctae Mariae de Sali . . . . s. Antonii Montis Cartilis et s. Carreti fuerunt ab Eugenio Papa IV. Ecclesiae Sorrensi unitae.

1428 II. id. aprilis Gavinus . . . . ex Canonico Episcopus Emporiensis: ejusque tempore, anno 1434, Ecclesia s. Joannis Adotelis et Sancti Nicolai Orriae magnae fuerunt ab Eugenio IV. Ecclesiae Emporien. unitae.

1443 Sisinnius . . . Eps. translatus ad Ecclesiam Bisarchien. illiusque temporibus, an. 1445, Abbatia s. Mariae de Cerigo Ordinis s. Benedicti fuit ab Eugenio IV. Ecclesiae Emporien. unita, soluta priori unione Ecclesiae Turritanae facta.

1448 XII. kal. novem. Gonnarius Gadulesus ex canonico Eps. Emporien. sedit annum unum.

1449 IX. kal. oct. Giletus Aesus Eps. Emporien. Hic dioecesanam synodum congregavit, et multas edidit constitutiones, quarum septem adhuc extant.

. . . . Antonius . . . . . Episcop. Ampurien. et se abdicavit.

. . . . Basilius . . . . . Episcopus Othanensis.

1429 III. id. febr. Simon . . . . Abbas s. Michaelis Salvennoris Ord. Vallis-umbrosae Plovacen. dioecesis, creatus Eps. Othanen. sedit annos vigintiseptem.

1454. . . . . Joannes Salvus Aureus Ord. Frat. Min. creatus Eps. Othanen. sedit annos septemdecim, et postea translatus fuit ad Ecclesiam Bosanen.

. . . Petrus . . . . Episcopus Plovacensis.

1430 IV. id. febr. Sancius de Ferraria Ordinis Fr. Praedic. Episcopus Plovacen. sedit annos duodecim.

1442 V. id. mart. Marcus ex Archipresbytero Episcop. Ecclesiae Plovacensis sedit annos quinque; eoque adhuc vivente, an. 1446, Ecclesia Plovacen. fuit Turritanae unita.

1447 XVIII. kal. julii Nicolaus Bazone Archipresb. Ecclesiae

Othanen., suspensa unione, Episcopus Plovacen. sedit annos vigintinovem.

1443 Leonardus Sassarensis erat adhuc Episcopus Ecclesiae Castren. cum ab Eugenio IV. fuit medietas omnium praebendarum Castren. dioecesis ejusdem Ecclesiae perpetuo unita.

1445 XI. kal. jan. Franciscus Prior s. Zeni de Bonarcado Arborensis Dioecesis Episcop. Castren.

. . . . Thomas Episcopus Castren.

His temporibus insignes in Sardinia fuere infrascripti Praesides.

1412 Acart De-Mur. Sard. P. R.

1419 Joannes Corbera Sard. P. R. secundum.

1429 Bernardus Ruisech, sive Gilbertus Centelles, Olivae Comes, Sard. P. R.

1434 Jacobus Besora Sard. P. R.

1437 Franciscus Erill Sard. P. R.

1448 V. id. febr. Nicolaus Anton. De Monte Capra Sard. P. R.

1450 Galcerandus Mercader Sard. P. R.

1451 Joffredus Ortaffa Sard. P. R. Galcerando substitutus.

1455 Jacobus Carroz Comes Quirrae Sard. P. R.

1456 Jacobus Besalù Sard. P. R.

1416 VII. id. martii Raymundus Zatrilla Logudori Gubernat.

1433 Joannes Pardus de la Casta Logudori Guber.

1440 XVI. kal. junii Joannes Flos Logudori Guber.

1417 Ludovicus de Pontos Guber. Caralis et Gallurae.

1434 Ludovicus Aragall Guber. Caralis et Gallurae.

1455 Jacobus Carroz Comes Quirrae et P. R. Gubernator Caralis et Gallurae.

1457 Petrus Besalù P. R. Gubernator Caralis et Gallurae.

JOANNES II. REX.

Joannes hujus nominis secundus, Ferdinandi Regis et Eleonorae Alburquerque secundogenitus, Alphonso fratri, qui sine legitima prole decessit, in Aragoniae, Sardiniae, Siciliae regnis ceterisque principatibus citerioris Hispaniae successit, et statim non. aug. ejusdem anni 1458. Joannem Flos qui erat

Logudori gubernator Proregem Sardiniae creavit. Deinde foedere cum Pirrino Campo Fregoso Genuae Duce percusso, et Calvo atque Bonifacio in potestatem redactis, insulam omnem ope atque interventione Bernardi Villamari totius classis Ducis recuperare cogitavit. Montacutani et Anglonenses Sardiniae populi a Gilberto Centella tunc maria sardoa una cum triremi lustrante defecere, et de eorum reductione septimo id. martii Joannes Prorex egit.

Anno autem 1459 de mense julii Joannes Margaritinus Eps. Elvae, Petrus Peralta aulae regiae praefectus, Joannes Gallari vicecancellarius, et Franciscus Ferrer legati Joannis Regis ad Pium II. missi obedientiam pro regno Sardiniae praestitere: et in fine ejusdem mensis Carolus Vianae Princeps, ipsius Regis Joannis et Blancae filius primogenitus, ex Sicilia in Hispaniam ut patri reconciliaretur profecturus a Sardis vocatus, et de eorum voluntate Perotto Roca praemisso certioratus Caralim cum omni classe advenit, ubi Arnaldum Rogerium de Pallas Patriarcham Alexandrinum et Episcopum Urgellensem ad Ecclesiam Montis regalis in Sicilia promotum invenit, et summa veneratione ingentique omnium Sardorum laetitia atque apparatu pene regali receptus in Castro, cui Petrus Bellit praeerat, de eodem maxime confisus, commoratus est, et de mense augusti postquam Jacobus Aragall, tunc Gubernator Caralis et Gallurae, donativum ex omnibus insulae populis procuravit, insula discessit et Hispaniam petiit.

1459. Ord. del Re che il V. R. visiti il regno una volta l'anno e gastighi i baroni e uffiziali della curia che maltrattano con estorsioni i loro vassalli. Dat. in Barcellona.

Eodem anno Genuensium classis Sardiniae et Corsicae oras incursionibus et populationibus vexavit, Rexque omnes Genuenses et Narbonenses, Corsos ac etiam Sardos oppido Algarii eliminari, et ab Algariensium nuptiis coerceri jussit: deinde, pactis induciis quinque mensium cum Genuensibus, de regno Corsicae compromissum fecit.

Anno deinde 1460 idib. sept. Rex Joannes conventum apud Fragam agens, juraque populis Aragonensibus reddens, insulas Sardiniae et Siciliae Aragoniae regno perpetuo conjunxit, et incorporavit, praestito jurejurando eas semper copulatas se et Reges successores in eorum coronatione deinceps promittere, et jurare.

Hoc eodem anno Pius Papa II. decimo kal. julii, officium

judicis appellationum pro commodiore oppressorum remedio in regno Sardiniae erexit, Joanne de Capdevilla Ecclesiae Algariensis Rectore primo Judice creato.

Eodemque anno Jacobus Aragall habuit Castrum Aquaefridae, Siliquae et alia oppida ex venditione Michaelis Otgerii, et oppida Marae Arbareae et Tuilis ex venditione Gerardi de Doni Joannis filii, et Gerardi nepotis.

Eadem tempestate Joannes Rex venationibus et aucupio deditus, falcones Sardos, quos in deliciis habebat, misso Joanne Pardo de la Casta in insulam, consequitur.

Anno 1461 Carolus Princeps ob varios conatus Joanni Aragoniae Regi conjurationis suspectus custodiae traditur, et fluctuante ob id tota fere Hispania, omnibusque Sardis Siculis et Balearibus tumultuantibus, fuit procerum precibus ex carceribus liberatus, suaeque libertatis litteras ad Nicolaum Carroz Sardiniae Proregem, et Salvatorem Arboreae Marchionem Oristani, statim scripsit, Princepsque a Cathalanis juratus, et gubernaculis Aragoniae atque Principatus Cathaloniae assumptis, eidem Marchioni remissionem feudi supplicanti concedere morte praeventus nequivit: funus autem illius non sine maximo moerore et acerbissimo luctu ab Hispaniae populis et Sardis omnibus celebratum est, Marineo et Zurita referentibus.

Anno 1462, quoniam Barchinonenses a Rege defecerant, et contra Ferdinandum ejus filium conspiraverant, Jacobus Carroz Comes Quirrae opem auxiliumque ex Sardinia cum sex triremibus tulit, et naves quinque in portu Barchinonensi aggressus expugnavit, Castrumque Ampostae primus ingressus ad Principatus recuperationem magnopere profuit, cumque Ugo Rogerius Comes de Pallas Gerundam, ubi Regina erat, oppugnatum venisset, Petrus de Sena ex Vicecomitibus Salluris oriundus, Joannes Polla, et Petrus Zapata viri sardi, armis et aliis virtutibus nobiles, per civitatis moenia acerrime propugnantes hostium tormentis percussi magno Reginae moerore ceciderunt, Marineo et Zurita referentibus.

Anno 1463 septimo kal. nov. ad Synodum provincialem Turritanam vocati ab Antonio Cano Archiep. Turritano convenerunt Sisinnius Episcopus Bisarchiensis, Nicolaus Episcopus Emporiensis, Jacobus Episcopus Sorrensis, Petruccius Abbas

s. Michaelis de Plano, Joannes Mannus Archipresb. Sassarensis, Guantinus de Lima Canon. et Vicarius Turritanus, Pantaleo de Serra Can. Tur., Elias Masala Can. Tur., Gonnarius Pilus Can. Tur., Franciscus Cano Rector de Sennori, procurator Epi. Plovacen., Joannes Cossu Can. Tur. et procurator Epi. Castrensis, Joannes Mura Can. et procurator Episcopi Bosanen., Basilius Gambonus Can. Sorren., Antonius Virde Canon. Emporien., Antonius de Serra Can. . . . Antonius Tanca Can. Bisarch., Nicolaus Prior de Montibus, et Rectores Parochiarum Sassaris Angelus Fructuosus, Gonnarius Solinas, Joannes Corda, Antonius Serra Can. Plovac. Antonius Toca Can. Bisarch. Antonius Bode Can. Ampurien. procuratores Ecclesiarum et capitulorum suorum, et alii multi Clerici, qui inter cetera de Judice Appellationum nuper a Pio II. creato agentes illum in Provincia Caralitana a Pio II. institutum habere jurisdictionem, non autem in Turritana declararunt, ut ex manuscriptis tabulis authenticis constat.

Anno 1464 IX. kal. julii Pius Papa II. concessit Vicario et fratribus Ordinis Minorum gratiam construendi tria seu quatuor monasteria in Sardinia: et anno 1467 decimo kal. sept. Marianus de Cenis atque Ludovicus de Vincentia fratres Ordinis Minorum de Observantia adepti sunt Monasterium s. Petri de Sirchis, ab antiquis monialibus desertum et Ecclesiae Turritanae unitum, ex concessione Archiep. Turritani, ut constat ex antiquis monumentis ejusdem Monasterii et Curiae Romanae.

His temporibus Corsica a Genuensibus Duci Mediolani concessa, a Thoma Fregoso, teste Augustino Justiniano, occupatur. In Sardinia Georgius Otgerius acquirit oppida Perduci et Tuilis a Michaele Otgerio vendita. Caralitani quoque oppidum Caputerrae ex venditione Antonii Castagnani habent, quae postea ab Eleonora ejus filia fuit revocata.

Anno insuper proximo 1468 Seraphinus Montagnanus emit, et adjunxit Plovacae, et aliis quae possidebat, Codrongianum superiorem et inferiorem, Bedam et Saccarjam, a Francisco Saba: et non. kal. octob. Rex dedit Bosam liberaliter cum omni regione Planariae et illius oppidis Suni, Tresnoraghes, Magomadas, Sindia, Tinnura, Sagama, Fluxio, Modulo, et regione Oppiae Joanni Villamari classis Regiae praefecto, qui

terra marique multos annos, multosque labores ei impenderat, et ad ejus nepotem Bernardum Villamari donata transire voluit, qui Isabellam filiam atque successorem reliquit, et cum Principe Salerni, et Caputatii Comite in matrimonium collocavit, fuitque Oppiae domina, ut ex Marineo Zurita et aliis monumentis constat.

Eodem anno Jacobus Carroz, Berengarii Carroz et Leonorae Manrique filius ab humanis decessit, Violanta filia et successore in Comitatu relicta, quae moriens absque liberis haeredem in Comitatu instituit Gulielmum Raymundum Centella Todde sororis suae filium, illiusque fratres Jacobum et Seraphinum Centella natu minores haeredes substituit, ut ex antiquis constat monumentis.

Altero anno Andræas, qui gentis Auriae erat princeps, et Baptista, Lucianus, Leonardus, Stephanus, et Branca Auria fratres ac Leonelli Auriae filii, Janusque filius Manuelis tutelae et patrocinio Ducis Mediolani Francisci Sfortiae, spe recuperandi amissum in Sardinia dominatum, se commisere, eodem Zurita referente.

Anno deinde 1470 Salvator Cubellus Marchio Oristani e vita migravit nulla superstite prole, et heredem sibi in Marchionatu Oristani et Comitatu Gociani testamento reliquit Leonardum Alagon, Benedictae sororis suae et Artalis Alagon filium primogenitum, quem antea successorem delegerat, et populis voce praeconis denunciaverat, omnesque regiones Barbarjae Ololai, Mandrelisai, Belvini, et Austis Salvatori Alagon ipsius Leonardi et Mariae Morilli filio legavit, et alia multa Francisco, Joanni, Ludovico et Petro Alagon, nepotibus necnon et Marchesae et Sybillae nepotibus, Raymundo Satrillae, Violantae, Catharinae et Joanni Ribelle consobrinis suis: atque Salvatori, Francisci de Sena filio, donavit legata; quorum exequutores Antonium Cano Archiep. Turritanum et Dominicum Marras Canonicum Arborensem nominavit, ut ex tabulis in Archivio Caralis et Sassaris reconditis constat.

Eodem anno, mortuo Salvatore Cubello, Leonardus Alagon Marchionatum Oristani et Comitatum Gociani injussu Regis occupavit; quod Nicolaus Carroz de Arborea Prorex Sardiniae moleste ferens, nam ad Regem spectare, et in illis nullum jus

Leonardum habere asserebat, cum paucis Sardorum et Aragonensium copiis Sardaram prope Castrum Montis regalis contendit, et in oppido Uras non procul ab Oristano justum undique comparavit exercitum, tormenta aenea et globulos ferreos orbiculatosque lapides, quibus Leonardi arces oppugnaret, a Petro Pujades Logudori Gubernatore cum triremi Comitis Quirrae habuit; deinde decimo kal. maii Leonardum Alagon cum Sardorum exercitu et Arboreae signis advenientem non procul ab Ecclesia s. Salvatoris ejusdem oppidi Uras bello aggreditur. Pugnatum est aliquandiu constanter: tandem Nicolaus Prorex a Sardis strenue dimicantibus superatus Sardaram repetit, magno accepto incommodo; nam, ultra quinquaginta Aragonenses caesos, Antonius Erillus, Galzerandus, et Gulielmus Torrellas, aliique multi Caralitani capti fuere cum . . . . fratre Perotto de Castelvì, et . . . . nepote Joannis Beltrami, atque Antonio Vicecomite Salluris, qui ex vulnere in praelio accepto mortuus est, et in Ecclesia s. Francisci Oristani sepultus. Leonardus autem hostium spoliis, quorum sibi quincuncem ut Reges solent adjudicavit, potitus tantum terroris ea victoria inermibus populis injecit, ut regiones omnes partis Montium, partis Valentiae, Montis regalis et Marmillae, multaque oppida brevi fuerit consequutus.

Eodem anno IV. kal. octobris Rex cupiens ad fidem et obedientiam Leonardum Alagon revocare Lupum Ximenes de Urrea Siciliae proregem quatuor triremibus in Sardiniam misit, qui cum Leonardo de pace egit, et Marchionatum Oristani cum Comitatu Gociani in feudum illi concedere ex regio rescripto obtulit, si modo centum quinquaginta millia ducatorum solveret in presens, pacatam insulam redderet, et Antonium Erillum et alios in bello captos cum omnibus regiis oppidis statim restitueret. Verum Leonardus ferocia exultans has pacis conditiones jussaque regis aspernatus, benemerenti obtemperare noluit, coeptumque bellum prosequens Castrum Montis regalis a Bernardo Monte Bovino cum valido praesidio custoditum deditione facile habuit, et Castrum Salluris haud magno negotio cepit, Caralimque urbem, ubi Franciscus Alagon ejus frater, Salvator Guiso, Raymundus Galcerandus Besora, et alii plures ejus fautores erant, petere intendit; nam

in eam jus habere jactabat, eumque sequebatur Joannes et Ludovicus Alagon ejus germani fratres legitimi, et Joannes et Garcia Alagon fratres spurii, Joannes Ribelles, Leonardus Tola, et alii multi Caralitani. Petrus autem Alagon et Jacobus Aragall a Rege nunquam defecerunt, et propterea Jacobus Aragall fuit donatus oppidis Guidilis, Frongiae, Sebatzi superioris et inferioris, Suergii, Palmae, Flumentepidi, Arenae, Mattae, Pederucci, Villae-sturbae, Barette, Baicuccu, Parniani, Vatterrae, quae erant antea Marci de Monte Bovino, nec non oppidis Oradulis, Pesi, Garanciani, Soconari, Disirai, Adoi, Murcani, Baicannae, Natalis, et Parmianae, quae erant desolata.

feudo

Juvari etiam Leonardus credebatur a Barchinonensibus, et Auriensibus Sardinia pulsis, qui Mediolani Ducis patrocinio amissum in Sardinia dominatum recuperare sperabant. Itaque Joannes Rex anno sequenti 1472, bello Cathalano peracto, et Barchinonensibus in obedientiam redactis, ad Sardiniae res conversus in principio mensis decembris classem cum equitatu peditatuque contra Leonardum Alagon misit, et copias tormentaque bellica a Ferdinando Rege Neapolis postulavit.

Verum Leonardus a Ferdinando Rege blanditus, et aliunde potentiam Joannis Regis veritus pacem his conditionibus procuravit, ut Marchionatum Oristani et Comitatum Goceani cum omnibus oppidis locis juribus privilegiis praedecessorum Marchionum, et sinum Oristani a Capite s. Marci ad Caput Neapolis sibi et successoribus in feudum concederet, et ubique voce praeconis enunciaret, suaeque ditionis sacerdotia ad petitionem suam provideri permitteret, sibi et aliis omnibus suae factionis non vitam solum et criminum impunitatem et libertatem et bonorum possessionem relinqueret, sed et ab jurisdictione Proregis, cum eis odio et simultatibus certantis, omnino subduceret, Seraphino Montagnano, seu Petro Pujades Logudori gubernatore judice illis dato, ita tamen ut ipse Leonardus vocatus nonnisi per procuratorem comparere teneretur.

Haec foederis pacta fuerunt a Galcerando de Requesen Comite Triventi et Avellini nomine Leonardi Regi proposita: et anno sequenti Ferdinandus Neapolis Rex adeo enixe et studiose, misso Ludovico Joanne nuncio, ea omnia petiit et rogavit, ut Rex acceptis quadraginta millibus florenorum, paucis-

que additis et sublatis, pacem Leonardo dedit, et Marchionatu et Comitatu investivit.

Decimo deinde kal. novembris Galcerandus de Requesen Oristanum veniens mandata Regis attulit, quibus Petrus Pujades Logudori Gubernator parens Leonardum Alagon Marchionem Oristani et Comitem Goceani omnibus Sassaris Algarii et Arboreae populis palam notumque fecit, receptis prius omnibus arcibus et oppidis regiis, quae antea Leonardus et sui occupaverat.

Verum Nicolaus Carroz Comes Quirrae Prorex asserens res alienas a Leonardo et suis olim occupatas hucusque non fuisse ex praescripto foederis restitutas noluit eum in Marchionem et Comitem Carali recipere et praedicare; sed veluti hostem e moenibus Caralis cum suis fratribus et filiis inimico et infenso animo arcuit, bona Francisci Alagon et illius uxoris sub sequestro detinuit; quae res principium et seminarium novi bellum et perditionis Leonardi Marchionis fuit; nam is pacem et fidem regiam a Prorege violatam queritur, et anno 1474 regnum in factiones dividitur: nam hi Marchioni, illi Proregi favebant: subditi praeterea Marchionis et Proregis mutuis odiis exardescunt, et alteri ab alteris infestantur, et intercipiuntur: nonnulli etiam, quibus bellum pace gratius erat, gladio magis, quam honesto labore, victum quaerentes discordias inter eos fovebant.

Itaque anno 1475 in apertum bellum prorripuere, et exercitum quinque millium selectorum militum, duce Nicolao Montanaro, contra Proregem foedifragum et acerrimum hostem usque ad Castrum Caralis Leonardus Marchio misit, et urbem oppida et agros crebris invasionibus vexans, Castrum Montis-regalis obsedit, et itinera commeatusque interclusit.

Anno sequenti 1476 Artalis de Alagon ejus natu major, et Ludovicus de Alagon, nec non Joannes de Sena Vicecomes Salluris coacto exercitu sex millium bellatorum urbem Caralis obsident, portum occupant et duas triremes eripiunt, omnia incursant caedibusque ruinis et incendiis complent. Petrus autem Pujades Logudori Gubernator eos admonet citat et pecunia multat, cumque nihil proficeret, sed alia multa quotidie dicerent facerent et jactarent, nulloque modo comprimi

ab eo possent, rem omnem litteris et nunciis Joanni Regi aperuit. At Prorex Barchinonem profectus pluribus verbis et testimoniis palam omnia fecit: quare idib. octobr. 1477 Rex Barchinone has tulit sententias contra praedictum Leonardum filios et fratres, omnibus prius citatis.

Jesu Christi nomine, et ejus gloriosissimae matris umiliter invocatis etc.

« Nos Joannes Dei gratia Rex Aragonum etc. Visis diversis « informationibus et processibus receptis et factis in insula et « Regno Sardiniae tam in civitate Saceris per Gubernatorem « capitis de Lugudor, quam in civitate, seu castro Caralis « per Viceregem, et Gubernatorem dictae civitatis contra as- « sertum Marchionem Doristany, et Comitem de Goceano a- « pud nostram Majestatem delatum de multis criminibus, et « delictis, conspirationibus, seditionibus, inobedientiis, rebel- « lionibus, et contemptionibus, minis, et opprobriis factis Re- « giis Officialibus, illos tam verbis, quam factis injuriando « atrociter. Visa littera citatoria contra dictum Marchionem e- « manata. Visis praesentationibus Literarum Regiarum, et Gu- « bernatoris dicti Capitis, et requisitionibus diversis, et mandatis, « sive praeceptis in scriptis factis dicto Marchioni per Alguatzi- « rium dicti Gubernatoris, et responsionibus improperiosis per « dictum Marchionem factis, proferendo verba vilia, et scan- « dalosa contra dictum Gubernatorem, et contra ejus Assesso- « rem, et minando se velle procedere de facto contra Portarium, « et Alguatzirium praedictas Literas portantes. Visisque poenis in « dictis Literis appositis in magna summa, dictisque poenis per « Fisci Procuratorem contra dictum Marchionem accusatis. Visa « capitulatione facta inter Majestatem nostram ex una, et di- « ctum assertum Marchionem ex altera, et investitura per Ma- « jestatem nostram facta eidem Marchioni in vim dictae capi- « tulationis, et pactis in dicta investitura contentis. Viso quodam « capitulo dictae capitulationis, in quo inter alia dictus assertus « Marchio, et fratres, et adhaerentes ei se adstringunt ad resti- « tuendum, seu restitui faciendum integriter omnes terras, ca- « stra, villas, encontratas, loca, vassallos, et res alias tam

« mobiles, quam immobiles, quae per ipsum, fratres, et adhae-
« rentes suos quomodocumque capta fuerunt, seu occupata, et
« quoscumque servos arma, artillerias, et alias res, et bona
« tam mobilia, quam immobilia, et per se moventia tam Re-
« giae Majestatis, quam quorumqumque vassallorum suorum,
« inter quae sit castrum de Montreal, quae spectabilis Vicerex
« tenere habet pro nostra Majestate, et restituantur alia suis
« dominis, quibus pertinent, singula singulis referendo, quae
« restitutiones fieri habeant intra spatium sex dierum etc. Visis
« diversis supplicationibus, et clamoribus factis nostrae Majesta-
« ti contra dictum assertum Marchionem, quia noluit restituere
« dicta bona juxta formam capitulationis: et visa informatione
« recepta jussu, et ex commissione majestatis nostrae per Ber-
« nardum Sentfores Legum Doctorem, et Assessorem Guberna-
« toris capitis de Logudor super dictis bonis integriter non
« restitutis, et super aliis inobedientiis, et insolentiis per di-
« ctum Marchionem factis; per quam quidem informationem
« detegitur quod dictus Marchio nedum renuebat facere dictam
« restitutionem integre juxta capitulationem, sed etiam suggere-
« bat aliis, qui de dictis bonis tenebant, ut non restituerent
« illa. Detegitur etiam qualiter dictus assertus Marchio dixit a-
« liquibus: *Que ell se poria far Rey de Serdena si s' volia.*
« Ulterius detegitur, et probatur quod dictus Marchio loquendo
« cum aliquibus dixit haec, vel similia verba: *Que lo que té*
« *nò es res, que mes te' à esser, è que ell ho ha guanyat,*
« *è ho defendra ab la espasa en la ma' contra lo Rey, è*
« *contra totes persones, è que lo dit Senor volia destrohir la*
« *casa Darborea as fi, que no hi agues dengun defendor de*
« *los Sards, è que puguès tractar aquells com à cativs.* Viso
« quodam processu misso per Gubernatorem capitis de Lugu-
« dor, in quo constat praedictum assertum Marchionem fuisse
« requisitum sub poena quinque mille ducatorum bonorum, qua-
« tenus retineret sibi quemdam vassallum Comitis de Quirra,
« qui accesserat pro recuperandis certis jumentis ad quamdam
« villam dicti Marchionis, quae quidem fuerant furata dicto
« vassallo, et dictus Marchio noluit dictae requisitioni parere.
« Viso quodam alio processu, in quo apparet qualiter dictus
« Marchio ex parte dicti Gubernatoris fuit requisitus, ut resti-

« tueret certos homines vassallos dicti Comitis de Quirra; qui
« quidem assertus Marchio nedum duxit in contemptum dictas
« requisitiones, mandata et poenas in dictis requisitionibus, ad
« jecta etiam poena fidelitatis, appositas; sed etiam protulit
« multa verba nefandissima contra dictum Gubernatorem, con-
« tempta etiam poena fidelitatis, propter quod dictus Guberna-
« tor protulit sententiam contra dictum assertum Marchionem;
« in qua fuit condemnatus in decem mille libris et ad restitu-
« tionem captorum, reservata poena fidelitatis, et aliis poenis,
« quas declaravit incurrisse. Viso etiam quodam alio processu
« in quo constat dictum Marchionem fecisse capi, et captos
« tenuisse, *è haver fets metre in galera* certos homines vas-
« sallos Regios, et dicti Comitis, videlicet *Nanni Seca Cap de*
« *guayta*, et alios in processu nominatos. Viso alio processu,
« in quo constat qualiter Alguatzirius mandato Gubernatoris ac-
« cessit ad dictum assertum Marchionem requirendum, ut sol-
« veret, et liberaret aliquos vassallos, quos tenebat captos *per*
« *metrels en galera*, eos dictus Marchio, prout Alguatzirius, et
« alii qui praesentes erant retulerunt, noluit liberare, quinimo
« verba nefandissima protulit contra Gubernatorem, et ejus As-
« sessorem, dicendo: *Del porch tal adobat de Governador etc.*
« Viso alio processu contra Salvatorem Guiso, qui tenet occu-
« patam Baroniam de Urusè cum alis, et potentia dicti as-
« serti Marchionis, et fuit lata sententia super possessorio,
« et mandatum dictum Comitem restitui in sua possessione:
« et requisitus dictus Marchio per Gubernatorem, ut non fa-
« veret, neque partem faceret cum dicto Salvatore Guiso,
« ipse respondit talia, vel similia verba: *Que pel ventre*
« *de Deu ell veuria com entrarien lo Governador, ni Al-*
« *guazir*: et finaliter dictus Gubernator habuit illuc accedere:
« et homines, qui erant ibi congregati, dixerunt sibi: *Que*
« *lu Marques los havia manat que stiguiessen à comanda-*
« *ment de Mossen Guiso*, *è que ells volien morir ab ell*,
« et dictus Guiso dixit: *que ell volia morir ab la espasa en*
« *la ma', e que aixi ho defensaria.* Visis aliquibus testibus,
« qui in alia informatione deposuerunt, ex quorum dictis
« constat qualiter vassalli dicti Marchionis congregati in co-
« mitiva de Nicolao de Montanaro Capitaneo, seu Procuratore

« dicti Marchionis cum maximo vilipendio clamantes dicebat
« talia, vel similia verba: *Arborea vaya suso, è Aragona,*
« *vaya à jusso donant del peu per terra etc.* Constat etiam
« ex eadem informatione qualiter dictus assertus Marchio
« contra capitulum dictae capitulationis receptavit homines de
« Partemontis, et de Monregal, et de Partivalença, et aliò-
« rum locorum prohibitorum per dictam capitulationem, si-
« gnanter *Lorenso Magre, Salvador Mata, Joan Capani,*
« et plures alios Caporales, et Principales dictae contentionis,
« et inobedientiae: et ulterius tenebat dictus Marchio impe-
« ditos passus, *porque los correus, è havisos, que per via*
« *de Sacer venian per el Visrey nò poguessen passar, per-*
« *que fossen levades les letres als qui passassen.* Visa qua-
« dam informatione recepta per dictum Gubernatorem de
« insultibus factis contra Alguatzirium Gubernatoris, qui dicti
« Gubernatoris mandato, et cum literis Regiis ibat ad locum
« de Marmilla, et in via publica fuit per certos vassallos
« dicti Marchionis, qui ibi stabant, insidiis invasus, taliter
« quod, nisi Deo sibi favente, et quia tenebat equum animo-
« sum, quo mediante evasit a furore dictorum insultantium,
« eum forte occidissent, et de facto ceperunt quemdam,
« quem dictus Alguatzirius pro dirigendo eum in via secum
« deferebat. Visa alia informatione recepta super aliquibus
« articulis oblatis per Fisci Procuratorem coram Vicerege
« dictae insulae, seu Regni Sardiniae contra dictum assertum
« Marchionem, et aliquos suos adhaerentes, inter quos fue-
« runt Artaldus Dalagò filius dicti Marchionis, et tres fratres
« dicti Marchionis, Vicecomes de Sentluri, et alii ex eo quia
« non obstante quod praenominati Barones, et milites tam
« per pragmaticas sanctiones, quam per certa capitula inita
« inter ipsos Barones, et milites, et Dominum Regem, nec
« non etiam per pacta, et conventiones feudales, debeant
« cessare ab omnibus congregationibus, nisi in illis sit prae-
« sens Vicerex, et Gubernator, et etiam Regius Procurator:
« tum et per Regias provisiones prohibitum sit dicto Marchio-
« ni, filiis, et fratribus ne accedant, neque intrent in ali-
« quibus locis Regiis dicti Regni, prohibitumque sit ne in
« locis Regiis proclamari valeat *Arborea;* dictis autem pro-

« hibitionibus non obstantibus, constet per informationem
« receptam quod dictus Artaldus Dalagò, et tres fratres dicti
« Marchionis, Vicecomes de Sentluri, congregato magno e-
« xercitu quatuor, vel quinque millium vassallorum Sardorum
« cum diversis generibus armorum obsederunt civitatem Cal-
« laris, devastando arbores, et panes, et alia ligna fructifera,
« quae erant in territorio, et terminis dictae civitatis, mo-
« ventes insultum contra Regios Officiales, et juratos dictae
« civitatis, et laborantes pro posse ad intrandum castrum
« Regale civitatis, destruendo etiam et vastando aliqua loca
« Regia, raupes, supellectilia, et omnia mobilia inventa usque
« ad ornamenta Ecclesiae inclusive, rapiendo, et secum a-
« sportando portam, et pallissatam civitatis, quae sub Regia
« protectione sunt, frangendo et duas triremes, sive galeras
« guidatas in dicto portu, ab eodem portu extrahendo, cri-
« men laesae Majestatis in primo capite, et rebellionis, com-
« mitendo ex eo quia cum gentibus coadunatis resistant cum
« armis Regiis Officialibus, et volunt loca Regia, et praeci-
« pue civitatem Callaris, in qua consistit status totius ipsius
« Regni, tyrannice occupare. Viso alio processu citationis fa-
« ctae Marchioni, et praesentationis eidem factae per Alguat-
« zirium Gubernatoris, et verbis contumeliosis prolatis dicto
« Alguatzirium contra ipsum Gubernatorem, dicendo talia,
« vel similia verba: *Ferge de Deu! quines tacanyeries son*
« *acquestes vostres, è de Mossen Pujades?* et dictus Alguat-
« zirius nollet dare copiam dicto Marchioni, dicens, quod
« non habebat talem commissionem, sed contentaretur, ut
« sibi legeretur dicta litera citatoria in presentia de don Ar-
« tal filii sui, praedictus Marchio cum maxima violentia fecit
« eripi literam citatoriam a manu dicti Alguatzirii, dicendo:
« *Per lo cul de Deu vos altres men dareu copia encara*
« *que non vullau.* Visa quadam litera dicti Marchionis dire-
« cta cuidam suo familiari in villa Alguerii, scribendo sibi,
« ut ostenderet dictam literam Michaëli Prats Vicario dictae
« Villae, et quod dictam literam haberet pro sua, suggerendo
« ipsi Vicario, ut attenderet ad privilegia, et quod Guber-
« nator non debebat recipi ut Officialis, attento quod reces-
« serat per mare, et non defferebat novam commissionem

« Regiam, et quod melius erat sibi: *Que ara pot esser Se-*
« *nor que seria esclau:* dicendo etiam sibi quod loqueretur
« cum quodam alio vocato *Cochi*, quod dictus Mossen Puja-
« des non acceptaretur pro Gubernatore, *è que y fes tota*
« *punta, que fer y poguès.* Visa quadam praesentatione cu-
« jusdam Literae Regiae facta dicto Marchioni, et aliis Ba-
« ronibus, *que nengun aploc nò fes de gent, ni moviments*
« *alguns*, et responsione, ac aliquibus verbis dictis per di-
« ctum Marchionem Portario, qui literam praesentaverat. Vi-
« sa quadam alia litera missa Majestati nostrae per dictum
« Marchionem. Visa quadam Regia litera, sive Provisione
« directa dicto Marchioni, cum qua fuit eidem injunctum sub
« poena fidelitatis, et decem millium florenorum auri, qua-
« tenus non obstantibus quibusvis literis eidem factis per Re-
« gium Thesaurarium generalem, et per Conservatorem Sici-
« liae, aut alios quoscumque Officiales nostros traderet in
« posse dicti Bernardi Sentfores Assessoris *Nicolaum Monta-*
« *naro*: qui pro dicto Marchione fuerat Capitaneus quatuor,
« vel quinque millium rebellium, et currebat usque ad portas
« castri de Caller; et licet, praesentata dicta litera praedicto
« Marchioni, praedictus Marchio respondisset, quod dictus
« Montanaro fugerat cum quinque aliis captis a captione,
« tamen, prout constat per informationem inde receptam,
« praedictus Montanaro non fugit; imo dictus Marchio eum
« detinuit, et nescitur quomodo in domo dicti Marchionis o-
« biit, et a rebus fuit humanis exemptus. Visa quadam in-
« formatione in hac praesenti civitate mandato nostrae Ma-
« jestatis recepta, per quam constat praedictum Leonardum
« assertum Marchionem contra Regias pragmaticas editas ob
« salutem totius Regni, et sub poena amissionis feudorum,
« disponentes ne aliqui Barones dicti Regni prohibeant exitus
« victualium ab eorum Baroniis pro portandis ad civitates, et
« villas Regias dicti Regni, ipse vero Leonardus assertus Mar-
« chio, dictis pragmaticis non obstantibus, et in contemptum
« ipsarum, et poenarum in eisdem appositarum, prohibuit
« carnes, sive bestiaria vendi regnicolis Regalibus, sive ha-
« bitatoribus civitatis Callaris, et aliis Regiis vassallis, et e-
« tiam per eamdem informationem constat dictum assertum

« Marchionem multa nefanda verba protulisse contra dictum
« Gubernatorem, et etiam contra nostram Majestatem, et do-
« minationem, quam habemus in dicto Regno, dixisse haec,
« vel similia verba in effectu: *Que ell renegare de si; que*
« *ell si l' annujaren faria que los, qui vendrien, dirien*
« *acì ere Sardenya?* Visis aliis videndis, consideratis consi-
« derandis, Deum prae oculis habentes, sacrosanctis Evange-
« liis coram Majestate nostra positis, illisque reverenter in-
« spectis, ut de Dei vultu nostrum procedat judicium, et
« oculi mentis nostrae cernere valeant aequitatem, pronun-
« tiamus, sententiamus, et declaramus in hunc qui sequitur
« modum.

« Quia per informationes praenarratas, et per testes plu-
« res numero in eisdem contentos, et alios clarissime constat
« Majestati nostrae de inobedientiis, et rebellionibus factis
« per dictum Marchionem nedum contra Officiales nostros,
« sed etiam quia contra nostrum honorem, et fidelitatem, et
« contra nostram, Regnique nostri prosperitatem continue,
« et notorie machinatus est: constat etiam ne dum ipsum as-
« sertum Marchionem, sed etiam filios, et fratres suos con-
« spirationes multas, seditiones, et illicitas congregationes
« suorum vassallorum, et aliorum secum adhaerentium contra
« Regias pragmaticas, contra vassallos, terrasque Regias fe-
« cisse: constatque dictum assertum Marchionem multas ino-
« bedientias Praesidi, et Gubernatori capitis de Logudor,
« suisque Officialibus fecisse, multasque resistentias, et male-
« dicta, verbaque nefandissima contra ipsum pro his, quae
« ad officium spectabant, protulisse, minasque, et diversos
« terrores contra suos Officiales, qui cum Literis Regiis, et
« aliis mandatis dicti Gubernatoris accedebant intulisse. Con-
« statque dictum assertum Marchionem auctoritatem praestasse
« Vicecomiti de Sentluri ad defendendum inobedientiam con-
« tra Viceregem, et alios Regios Officiales: constatque ipsum
« assertum Marchionem post veniam obtentam a nostra Regia
« Majestate, et capitulationem nobiscum factam, et juratam
« contra dictam capitulationem fecisse, et non servasse Ma-
« jestati nostrae pollicita, et conventa, ac etiam jurata.
« Constat etiam praedictum Nicolaum Montanaro cum exercitu

« quatuor, vel quinque millium vassallorum dicti Marchionis,
« et aliorum suorum adhaerentium contra nostros Regios vas-
« sallos, et contra villas, et civitatem nostram Callaris man-
« dato, et jussu dicti Marchionis, ivisse, et multa damna
« terris, locis, et vassallis Regiis intulisse. Constat etiam di-
« ctum assertum Marchionem mandasse Artaldo filio suo, et
« aliis suis adherentibus, et vassallis, ut cum magno exercitu
« quinque, vel sex millium irent, prout de facto iverunt ad
« obsedendum, et devastandum civitatem Callaris, terrasque,
« et villas Regias vicinas dictae civitatis, et multas villas, et
« loca Regia devastaverunt, et destruxerunt raupas, iocalia,
« aliaque bona mobilia, et supellectilia domorum, et etiam
« aedes sacras per violentiam, rumpendo res ipsarum Eccle-
« siarum hostiliter, secum adduxerunt, et asportarunt et duas
« triremes guidatas, et assicuratas in portu Callaris per Gu-
« bernatorem, et juratos dictae civitatis a dicto portu cum
« armorum impetu extrahendo, et secum per vim, et violen-
« tiam deferendo, non obstante quod per Officiales Regios,
« et juratos dictae civitatis fuissent requisiti ex parte nostrae
« Majestatis, ut recederent, et ne tanta damna terris, et vas-
« sallis Regiis inferrent, offerentes idoneam dare cautionem,
« quod dictas triremes, sive galeras, et homines, qui in ipsis
« erant, ponerent in posse nostrae Majestatis. Constat etiam
« per literam manu propria dicti Marchionis subscriptam,
« cum qua suggerebat Vicario Alguerii, et cuidam alio *que*
« *fessen punta que lo Governador nò entras, è que ara*
« *podia esser Senyor* etc. Et constat etiam dictum Marchio-
« nem contra Regias pragmaticas inhibuisse, et vetasse ne
« victualia suarum terrarum deferrentur ad civitatem Callaris,
« in quibus quidem pragmaticis contra Barones tales inhibi-
« tiones facientes apposita est poena amissionis feudorum. Ob
« quod dubium non est praedictum assertum Marchionem
« junctis poenis fidelitatis eis in diversis praeceptis impositis,
« quas incurrerunt, tamquam hostem publicum nostri Regni
« debere tractari, ipsumque, filios suos, fratres, et alios suos
« adhaerentes, sicut praedicitur, notorie rebelles, hostes, et
« perduelles, crimen laesae Majestatis in primo capite, et
« alia gravia crimina commisisse, ob quod secundum scripta

« approbatorum Doctorum tales, et similes puniri debere, et
« castigari tali poena, quod nulla alia major dari possit,
« permaxime in tam geminatis, et reiteratis criminibus, quae
« jam gentibus in exemplum perniciosius transire possent,
« attenta etiam contumacia praedictorum, qui legitime citati
« comparere coram nostra Majestate renuerunt ».

« Pro tanto cum hac nostra presenti sententia, et juxta
« nostri sacri Consilii deliberationem, pronuntiamus, sententia-
« mus, et declaramus praedictum Leonardum assertum Mar-
« chionem, filios, et fratres suos fore, et esse hostes nostri,
« et rebelles, et perduelles nostrae Majestatis, et per conse-
« quens ipsos ad mortem naturalem condemnamus, et tam
« dictum Marchionatum, quam etiam comitatum de Goceano,
« et omnia alia loca, castra, et feuda ubique infra nostram
« ditionem sita, mobilia, et immobilia, quae essent dictorum
« Leonardi asserti Marchionis, filiorum, et fratrum suorum,
« quorum bonorum omnium dominio eos occasione praedicta
« indignos facimus, Nobis, et seu nostri Fisci aerariis confi-
« scamus, aggregamus, et incorporamus sic quod eorum po-
« steritati prodesse non possint. Decernimus etiam, provide-
« mus, et mandamus, quod dictus Leonardo, filii, et fratres,
« qui per contumaciam absentes sunt, per omnes Officiales
« nostros, ac alios fideles vassallos ubique sciantur, et inve-
« niantur infra Regna nostra persequi, et insequi habeant;
« taliter ut vivi vel mortui ad manus curiae habeantur: adeo
« ut publice eorum grassantibus demeritis, ea, quae gesse-
« runt, luant, et aliis transeant in exemplum ».

« Lata, et publicata fuit hujusmodi sententia per nos etc.
« die 15 Octobris 1477 ».

Signum ✠ Joannis Dei gratia Regis Aragonum etc. qui hanc sententiam tulimus, eidemque sigillum nostrum opponi jussimus in pendenti.

Christi nomine invocato

Nos Joannes Dei gratia Rex Aragonum etc.

« Visa quadam informatione recepta contra Leonardum
« assertum Marchionem Oristani et Comitem Goceani, filios,

« et fratres suos, Joannem De-Sena Vicecomitem Sentluris et
« nonnullos alios super nonnullis conspirationibus, seditioni-
« bus, rebellionibus, hostilitatibus, inobedientiis, et aliis
« delictis per eos commissis, et signanter super obsidione si-
« tio et oppugnatione contra civitatem nostram Caralis, por-
« tum assecuratum, et palissatam ejusdem, cum numeroso quin-
« que vel sex millium vassallorum dictorum, asserti Marchionis,
« filiorum et fratrum, et Vicecomitis, contra Viceregem Officiales
« Regios et alios Regni Officiales ibidem commorantes, ex-
« trahendo a dicto portu, seu palissata, duas triremes assecu-
« ratas per Officiales Regios et Juratos dictae civitatis, ultra
« salvamguardiam regiam, super qua est dictus portus, et
« omnes naves et alia vasa maritima quae fuerant intra di-
« ctum portum ».
« Et visis invasionibus factis per praedictos contra aliqua
« loca regia, et regios vassallos in dicta informatione desi-
« gnatos, et depopulatione dictorum locorum, secum hostiliter
« asportando bona et supellectilia multa vassallorum et loco-
« rum regiorum usque ad fractionem Ecclesiae et auferendo
« et rapiendo res sacras ».
« Visis pragmaticis regni et capitulis brachii militariis, in
« quibus est specialiter dispositum quod Barones dicti Regni
« debent cessare ab omnibus congregationibus, nisi in illis
« interveniat Vicerex, Gubernator, et Regius Procurator ».
« Visa citatione facta praedicto Vicecomiti de Sentluri ex
« parte nostrae Majestatis, et praesentatione illius sibi facta:
« visis aliis videndis, et consideratis considerandis, Deum
« prae oculis habendo, et sacrosantis Evangeliis coram nobis
« positis ac reverenter inspectis, ut de Dei vultu rectum pro-
« cedat judicium, et oculi mentis nostrae cernere valeant ae-
« quitatem, ad hanc procedimus proferendam sententiam,
« prout sequitur ».
« Et quia per processum et informationem praenarratam
« satis constat Majestati nostrae dictum Vicecomitem commi-
« sisse crimen laesae Majestatis in primo capite, fuisseque
« hostem publicum et perduellem, attenta maxime contuma-
« cia in non comparendo coram nostra Majestate, dubium
« non est tractari debere ut notorium inimicum atque hostem;

« propterea cum hac nostra praesenti sententia condemnamus
« dictum Vicecomitem perduellem et hostem ad mortem na-
« turalem et bonorum omnium confiscationem, prout de prae-
« senti Vicecomitatum castra loca et feuda quae ubique
« possidet nobis seu sacris nostris aerariis confiscamus ».

Marchio interea bellum Sardiniae contra Dalmatium Carroz Comitem Quirrae, Propraesidem a Nicolao patre in insula relictum, acerrime prosequitur, et Caralitanos urget magnisque incommodis premit: Joannes etiam Vicecomes Salluris, et Artalis Alagon, et Besaldus, Quirrae Comitatum et omnes alias Proregis regiones longe lateque populantur. Quare Gulielmus Peralta, et Gulielmus Pujades cum triremi Comitis Cardonae Caralitanorum auxilio venere, et Joannes Rex, statim promulgata sententia, navem Olivariam dictam munire fecit, et Nicolaum Proregem cum quinquaginta fortissimis lancеariis et ducentis strenuis peditibus in Sardiniam misit; alias insuper naves per Ludovicum Peixum cum copiis in Sardiniam traducendis parari, et Joannem Raymundum Flocum Comitem Cardonae cum Siciliae equitatu atque peditatu, Joannemque Villamari cum omni classe praesto in Sardinia esse contra Marchionem, jussit.

Ceterum Ferdinandus Rex Castellae difficile et importunum bellum a patre ejus Joanne contra Marchionem hoc tempore susceptum judicabat, quando Rex Neapolis et Dux Calabriae eidem favere videbantur, et juvari poterat a Genuensibus, et Duce Mediolani, qui Sardiniae Regnum semper affectaverant, et copias maximas in Corsica ea tempestate haberent, tutiusque fore suadebat Marchionis et Proregis controversias jusso utroque ab armis discedere compromissariis interpositis componere, quod Marchio et Vicecomes Salluris maxime cupiebant, multisque literis Regi Castellae significarunt. Joannes tamen in sententia prolata et suscepto consilio permansit, et rebus suis praecavens inducias cum Genuensibus, Duce Mediolani, et Rege Neapolis inivit.

Ea tempestate saeviente peste in urbe Sassaris decem et octo millia hominum, teste Zurita, absumpta sunt, et oppidum Algarii eodem morbo afflictum, Antoniusque Leda a Rege laudatur, qui a tutela Algarii nunquam discessit; eodem

tempore Ambrosius Langascus a Duce Mediolani in Corsicam missus, Thomam Fregosum ex insula deturbavit, et Ragallam obsessam deditione cepit, Aug. Justinian. referente.

Anno deinde 1478 Artalis Alagon et Joannes de Sena Vicecomes regionem Capitis Loguderi cum exercitu ingressi populos incursionibus et populationibus vexarunt, omnes ad praestandum Marchioni fidelitatis juramentum compellendo. Cum autem castrum et oppidum Ardarae cum duobus millibus et quingentis strenuis militibus oppugnare coepissent V. kal. febr. oppidanis viriliter repugnantibus in oppidum Mores secessere, ubi a Sassarensium copiis; duce Angelo Marongio, cujus ea erant oppida, strenue ingressis gravi praelio superati et in fugam versi fuere centum ex illis caesis et quingentis captis.

Ex clade acepta Artalis Alagon et Vicecomes cum reliquo exercitu ad Comitatum Gociani confugiunt, et Sassarenses eos insequuti Boonum atque alia tria oppida capiunt excurruntque omnia usque ad castrum Gociani agros longe lateque populantes. Inde victoria laeti Sassarim revertuntur, quia Marchionem cum valido equitum peditumque exercitu adventare senserant.

Eo tempore Nicolaus Carroz Sardiniae Prorex in Capite Caralis bello necessaria contra Marchionem comparavit, et Siculi, inito a Comite Cardona eorum prorege conventu, exercitum ex Sicilia, duce Comite Sigismundo de Luna, Proregis Sardiniae auxilio transmisere, et viginti quinque millia florenorum eo bello impendere decreverunt, praemisso prius in Sardiniam eodem Comite Cardona, qui rem omnem scrutaretur. Miserunt statim Panormitanas copias, quibus duce Comite de Prades, Lapola et Castrum Caralis munita fuere, et navem commeatu onustam quo Algarium levaretur, cujus cives jam aliquot diebus solis herbis vescebantur. Praeterea Rex Neapolitanorum navem cum copiis et tormentis aeneis ad Proregem in Sardiniam misit. Comes autem de Cardona et Joannes Villamari cum omni classe Caralim de mense aprilis sunt profecti, ubi litteras Marchionis colloquia petentis accepere, qui de sua fidelitate, de rebus Sardois pacandis, et pace componenda agere cum eis, et mandata Regis Castellae referre

volebat. Multi etiam procurabant Joannem de Sena Vicecomitem Salluris et Besaldum ducem strenuum ad hanc gratiam Regis eorum opera reducere; quae tamen Nicolaus Prorex, cui gratum erat bellum, permittere nolens, statim re infecta Comitem Cardona, et Villamari in Siciliam dimisit, pecunias tantum a Siculis petens, quibus Sardos milites conducere posset, quos in eo bello Siculis et omnibus aliis, qui aëri Sardoo non erant assueti, praeferebat.

Eodem anno IV. id. maii septingenti strenui milites Sassarenses duce Angelo Marongio, urbe egressi cum aliis copiis Nicolai Carroz et Petri Pujades prius Gocianum, mox Macumelim versus, ubi Marchio cum exercitu erat, ire contendunt, oppidaque Dualchis et Nuracucumis praesidio Marchionis munita invadunt vi capiunt et diripiunt, quod ubi Marchio rescivit ab bellum se ex tempore accinxit, et contra advenientes hostes XIV. kal. julii exercitum in apertum campum eduxit, ubi ardentibus utrimque animis pugnae multa mora est facta. Primo concursu Arborenses superiores esse visi, postremo incumbentibus acriter Sassarensibus moti loco magnam cladem accepere: Artalis enim Alagon, Lemus et alii equites peditesque multi occisi, multi capti fuere, ceteris ad fugam versis. Prorex parta victoria castrum Macumelis deditione die sequenti habuit, et reseratis patentibusque januis clarissimo cum triumpho Oristanum ingreditur, eo die, quo SS. Corporis Christi festivitas fiebat, castrisque Gociani Salluris et aliis regionibus Marchionis et Vicecomitis brevi potiti Sassarenses, deinde Angelo Marongio eorum duce, et Petro Pujades Gubernatore spoliis opimis ditati in patriam se retulere victoriam omnibus rebus, quibus effusa laetitia significari solet, celebrantes, et in castri Sassaris custodia posuerunt Michaelem et alium filium Marchionis spurium, totidemque spurias, et alios plures in bello captos. Prorex etiam dispositis ubique praesidiis magna alacritate Caralim proficiscitur, ubi post paucos dies maximum in luctum incidit; nam gravi morbo correptum filium Dalmatium Comitem Quirrae vehementer aegrotantem amisit, et quidem malefica arte cujusdam veneficae mulieris, quae dicebatur inducta a Vicecomitissa Salluris, Antonio Erillo, et aliis multis propterea custodiae mancipatis.

Marchio vero Oristani ejusque duo filii superstites tresque fratres et Vicecomes Salluris fuga salutem quaerentes cymbam in littore Bosae repertam ingressi cursum Genuam versus dirigunt, sed ab una ex triremibus classis Villamari, duce Saragatta, intercepti Panormum prius ad Joannem Villamari, cujus ea triremis erat, deinde in Hispaniam ad Regem cum omni classe deducuntur, et in Xativae castellum detrusi sunt. Hic quanta letitia Rex perfrueretur, quibus gaudiis nobiles exultarent, quantaque voluptate Hispani omnes baccharentur, referre non est instituti operis: nunc tandem ex Sardinia centum quadraginta annos a decessoribus innumeris praeliis oppugnata victoriam partam, et bellum centum annis cum Arborensibus gestum aliquando finitum, insulamque pacatam et a tyrannis liberatam esse quisque intelligebat. Itaque Rex Marchionatum Oristani, et Comitatum Gociani regno Aragoniae perpetuo copulavit, eorum titulis sibi et successoribus ascitis, et possessione ex Juris praescripto de mense augusto, misso Joanne Lupo Gurrea, capta, quo tempore Raymundus Ruisech, Franciscus Gilbertus Centellas dictus, dotem Catharinae sororis suae absque prole defunctae ex Marchionatu, Comitatu et ceteris locis haereditariis Salvatoris Marchionis illius viri, repetiit.

Rogatus deinde Rex a multis Antonium et Joannem Alagon, Leonardi filios cum eorum patruis Joanne et Ludovico de Alagon ex carceribus Xativae liberos dimisit, ita tamen ut ab Aragoniae regno non recederent, Leonardum vero et Joannem de Sena nunquam custodia Xativae liberare voluit.

Tandem Rex ipse IV. kal. febr. anno 1479 senio confectus decessit Barchinone octogesimo secundo aetatis anno et apud Populetum tumulatus anno sui regni vigesimo. Eadem tempestate obiit etiam Nicolaus Carroz Prorex: et Leonardus Alagon eorum audita morte signa letitiae dedit, barbamque sibi abradere fecit, spem recuperandi Marchionatus frustra nactus; nam in arctissima custodia semper stetit, et angustiae carceris impatiens brevi tempore vitam finivit, et cum ipso Joannes de Sena.

His Joannis Regis temporibus infrascripti Praesules floruere.

Anno 1461 non. sept. Franciscus ex Epo. Segobiensi Archiepiscopus Caralitanus sedit annos sex: deinde translatus

ad Ecclesiam Majoricensem: fuit in Romana Curia Regis Orator.

1467 idib. febr. Ludovicus Can. Jacensis in Aragonia creatus Archiep. Caralitanus sedit annos quatuor et obiit.

1472 Ludovicus Nicosiae Eps. ad Ecclesiam Caral. translatus non cepit illius possessionem, sed eodem anno fuit ad Ecclesiam Anglonen. translatus.

1472 id. febr. Gabriel B. Mariae De-Verola Tarasconen. Dioec. creatus Archiep. Caral. sedit annos duodecim et obiit.

1479 XIV. kal. febr. Berengarius De Jos Decanus Ecclesiae Barchinonensis creatus Archiep. Turritanus; cujus tempore fuit Archipresbyter Joannes Mannus.

1460 Franciscus Arnati Archiep. Arborens.

1470 Joannes Cani Archiep. Arboren.

1459 VIII. kal. nov. Leonardus Abbas s. Michaelis de Salvenero Plovacen. Dioeces. Eps. Castren.

1470 Laurentius . . . . Eps. Castren.

1469 VII. id. oct. Nicolaus de Campo Canon. Emporien. creatus Eps. Emporien. sedit annos unum supra viginti.

1471 XIV. kal. febr. Jacobus Pogius Decretorum Doctor creatus Eps. Sorren. sedit annos quadraginta quatuor et obiit, sepultusque fuit in sacello s. Salvatoris Ecclesiae metropolitanae, quam ipse condidit, et per ejus obitum unio sortita est effectum.

1464 V. id. jan. Joannes De-La-Bona Canon. Calagurritanus creatus Eps. Usellen. sedit annos viginti.

1459 Joannes . . . . Eps. s. Justae qui fecit synodales constitutiones.

1465 Petrus . . . . Eps. s. Justae.

1467 XV. kal. aprilis Joannes Abbas Monasterii s. Mariae de Rota Caesaraugustanae Dioecesis creatus Eps. s. Justae sedit annos novem.

1476 id. martii Franciscus Archipres. Arborensis creatus Eps. s. Justae sedit annos quatordecim.

1467 V. id. maii Gregorius Pinna Ord. Camaldulensis creatus Eps. Galtellinen. sedit annum unum supra viginti.

1459 Bernardus Frasso creatus Eps. Bosanen.

1471 XIV. kal. jul. Joannes de Salvis aureis Ord. fratrum minorum Eps. Othanen. translatus ad Ecclesiam Bosanen. sedit annos quatordecim.

Eod. an. Antonius Melis creatus Eps. Othanen. sedit annos quatuor.

1476 idib. sept. Hieronymus de Seigi Ord. fratr. minor. magister in Theologia creatus Eps. Othanen. sedit annos sex.

Eod. an. XIV. kal. sept. Joannes Pellis Eps. Terralben. sedit annos novem.

1476 V. id. mart. Basilius Gambone ex Canon. Sorren. Eps. Plovacen.

Eod. an. non. julii Ludovicus s. Crucis Magister in Theol. Ord. fratr. Minor. creatus Eps. Bisarchien. sedit annos novem et obiit.

Eod. an. IV. kal. apr. Petrus Pilares Ord. fratr. Min. et Theol. professor Eps. Dolien. creatus, sedit annos octo, et translatus fuit ad Ecclesiam Caralitanam.

Praesides autem insignes eo tempore fuerunt.

Anno 1459 Joannes de Flos P. R. Sard. et Cors. et Guber. Logudori, Caralis et Gallurae.

1460 Nicolaus Carroz de Arborea Sard. et Cors. P. R.

1477 Dalmatius Carroz Comes Quirrae Propraeses Sardiniae absente Nicolao ejus patre.

1459 Raymundus Satrilla Pro-Gubernator Logudori.

1461 Antonius de Sena Caesaraugustanus Gubern. Log.

1464 Petrus Pujades Gubern. Logudori.

1458 Jacobus Aragall Gubernator Caralis et Gallurae.

FERDINANDUS II. REX.

Ferdinandus cognomento catholicus Joannis Aragoniae et Sardiniae Regis unicus filius ex Joanna Ludovici Almirantis Castellae filia procreatus, qui Isabellam Castellae regis filiam duxit uxorem, et mortuo Henrico Hispaniae ulterioris rex effectus regnum etiam Aragoniae et Siciliae, patre defuncto, inivit, et statim suscepto diademate de mense februarii an. 1479 animum cognitionemque applicuit in recuperandam Corsicam, quam Sardorum auxilio et Comitis Cinercae favore facile debellare sperabat. Quapropter expeditionem magno cum apparatu assumpsit, instructisque triremibus Joanni Villamari mandavit, ut ex-

pulsis ex Sardinia atque exturbatis omnibus Corsis, Bonifacianis praesertim civibus, qui rem pecuniariam in Gallura faciebant, Cinercae Comitem in Corsica alloqueretur, nobilium favorem sollicitaret. Sed dum profectionem Joannes parat fato concessit, Bernardo Villamari in urbe Bosae et omni hereditate successore relicto, quem Rex classi praefecit, et Ximenem Perez Escriva De-Romani Proregem in Sardiniam cum Joanne Sunierio misit de mense martio ab expeditione Corsicana supersedens, Lusitanis sibi rebellantibus, et ad Alphonsum Galliciae Regem deficientibus.

Eodem anno Angelus Marongius Sassaris Capitaneus, qui non vulgares inimicitias cum Gambellis in urbe exercebat, ab illis gladio transfixus occiditur in sacellis Ecclesiae s. Nicolai nulla superstite prole; omnibusque mirabile fuit infra annum consecutae victoriae Regem cum tribus Leonardi Marchionis hostibus e vita migrasse. Missi sunt confestim ad Regem Joannes Monterus Jurisconsultus, et Joannes Solinas, Sassarenses legati, qui multis privilegiis, ob res contra Marchionem et Vicecomitem Salluris a Sassarensibus gestas, fuerunt a Rege donati, et primus urbis consiliarius perpetuus Capitaneus creatus.

Eodem anno quoque Ferdinandus Rex Vicecomitatum Salluris cum oppidis Sebolles et Fluminalis reg. Campitani, aliisque oppidis Laconis, Nuraghi, Nurecis, Asuni et Venadis regionis partis Valentiae, quibus Joannes de Sena fuit privatus, Henrico ab Henriquez avunculo suo liberaliter in perpetuum dedit: quae statim magno dato pretio Petrus et Ludovicus Castelvi sunt ab Henrico consecuti.

Altero anno 1480 omnem regionem Costaevallis cum illius oppidis Bonorva Rebecco Semestene, et Terquiddo Marchionatus Oristani, nec non oppida Borutae Torralbae et Bunnannari, morte Angeli Marongii devoluta, eidem Henrico concessit: et Michaelem Margiense investivit oppidis Senis, Assoli, Ruinae et Mogorellae regionis partis Valentiae, a Paulo de Cardona Antonio Bernardino Margiensi venditis.

Anno deinde 1481 conjunctio insulae Sardiniae et Siciliae regno Aragoniae, olim a Rege Joanne facta, iterum in Aragonensium conventu in Calatayutana urbe congregato a Rege Ferdinandò, etiam nomine Joannis Principis adhuc impuberis,

jurejurando firmatur. Sub id tempus Gaspar Fabra obtinuit regiones Partis Baricati cum oppidis Busachi, Foro-trajani, Allai, Neoneli, Ullac, Ardaulis, Nuceti, Sorradilis, et Bidonì; et Galcerandus Requesens Palamosi Comes oppida Seduli, Orenac, Soddi, Ustedi, Tadasuni, et Domus novae regionis partis Guilcieris, Joannesque s. Crucis, in adquisitione Marchionatus Oristani insignis, oppidum Tuilis a Galcerando de Doni emit.

Eodem anno Ximen Perez Sardorum conventum, quem parlamentum appellant, in Castro Caralis habuit praesentibus Petro Pilares Archiep. Caralitano, Joanne Fonçeca, Jacobo Maraquis, Joanne Fabra, Andrea Suniero, Francisco Zunquello, Petro Martino de Ferraris, Berengario Ganello, Joanne Rodo, Joanne Andrea, Petro Cervellon, Petro Fortesa, Galcerando Juliano, Petro Maria de Lacono, Salvatore de Sena, Ludovico Castelvì, Jacobo Aragall, et Petro Gomez, Praesulum et Magnatum et Civitatum procuratoribus, nec non Arnaldo Roca, Bernardo Margiensi, Joanne Nicolao Aymerich, Antonio Martinez, Antonio Aymerich Jurisconsulto, Caralis Consulibus: quibus ex legibus dedit privilegia, et gratias concessit, omnibus, qui ob factum Leonardi de Alagon proscripti erant, absolutis.

Anno 1482 officium s. Georgii, sub cujus protectione Corsica a Genuensibus fuit redacta, coepit in ea insula condere oppidum s. Florentii, ut inquit Augustinus Justinian.; et anno proximo Genuenses, maxima instructa classe, in Oristanum aliave loca maritima imminere credebantur; quare omnibus Sardiniae locis Rex praecavens atque providens suburbium Lapolae multis immunitatibus et privilegiis, ut magis habitaretur, donavit, et ad refectionem portus Turrium pecunias cum Sassarensibus contulit.

Eodem tempore Ximen Perez Scriba de Romani Prorex simultates, partim obscuras, partim apertas contra Joannem Fabra, Jacobum Aymerich, Andream Sunierum et alios Caralitanos exercuit, majorique odio cum Sassarensibus certavit, quos in conventu Carali congregato adversos omnino habuit. Itaque Caralitani a Consulibus, contra jus a Prorege creatis, dissident, et armis se accingunt: et Laurentius Gambella

Pestilenza nelli Ital. sup. anno 1494-95. pari nel 1501.

Joannes Solinas, Joannes Gambella, et Leonardus Trumbitta cum quibusdam aliis Sassarensibus tumultuant, et veteribus abdicatis urbis consulibus, a Prorege datis, novi creantur: quamobrem illi quatuor fuerunt ad mortem damnati, et Ximen Perez Magistratu abdicatus insula excedere a Rege jussus, Gulielmo Peralta Prorege in ejus locum suffecto, et postea Petro Massa.

Anno 1484 Berengarius Ganellus, Joannes Fabra, Andreas Sunierus, et Petrus Martinez de Ferraris, Sardorum legati ad Regem Ferdinandum destinati confirmationem omnium fere gratiarum et privilegiorum in conventu Ximenis Perez concessorum largitione centum quinquaginta millium librarum obtinuere.

Anno sequenti Ximen Perez de Romani Prorex in Sardiniam restitutus Sardos plurimos, quos aemulos et contrarios habuerat, proscripsit, et laesae majestatis reos declaravit.

Eadem tempestate floruit Andreas Xisius Jurisconsultus celeberrimus, teste Zurita; et Antonius Albertus Sanjustus ex venditione curatricis Salvatoris Bellit adeptus est oppidum Noragui. Anno subinde 1488 Petrus Aymerich pariter habuit oppidum Marae Arbareae ab Antonia uxore Francisci Alagon sibi venditum.

His etiam temporibus Joannes Paulus Leca cum aliis Cinercae comitibus bellum in Corsica contra Genuenses ducebat; sed anno 1487, amissa arce Lucae oppidoque Chirici, in Sardiniam teste Aug. Justiniano secessit.

Anno deinde 1490 Jacobus Aragall habuit oppidum Villae Speciosae et Ici, et Galcerandus Botterus oppida s. Sperati, Sipontis, Susae, Sunnifeti et Arceti ex venditione Galcerandi Torrelloni, et ejus filii.

Anno sequenti Berius Justinianus quatuor triremibus duas Bernardi Villamari insequutus in deserto Sardiniae litore a propriis militibus destitutas nullo praelio cepit; nec multo post unam ex illis Villamari, ut inquit, Augustinus Justinianus, recuperavit.

Anno 1492 Ferdinandus Rex debellatis Mauris Granata provincia, quae Boetica dicitur, potitus est: et in Sardinia luminaria in signum laetitiae accensa, super iisque litatum et

gratiae actae. In eo Granatensi bello Jacobus Alagon, Leonardus Tola et multi alii Sardi claruere.

Eodem anno Judaei omnes qui sacro Christi lavacro ablui noluerunt jussu ejusdem Ferdinandi Regis ex Sardinia expulsi sunt, et Synagogae, quas Carali et Algario habebant, sub invocatione S. Crucis consecratae sunt Ecclesiae.

Eodem anno Vicecomitissa Gessa Villecclesiarum habuit oppida Guidilis et Seguris et Nicolaus Scargione oppida Marguentis et Petraelongae a Jacobo Aragall vendita.

Anno sequenti Salvator Alagon, Leonardi Marchionis Oristani frater, causa cognita, e custodia liberatur, et ab omnibus criminibus infrascripta sententia absolvitur.

Ferdinandus D. G. Rex Aragonum etc. Sardiniae etc.
Marchio Oristani et Comes Gociani.

« Cum contra vos nobilem et dilectum nostrum Salvatorem « Alagon objicerentur aliqua crimina fidelitatem et honorem « vestrum coinquinantia et gravi punitione digna, a quibus « vos immunem praetendebatis, et propterea fuistis a nobis « detentus; ad vestri instantiam et supplicationem commisimus « Francisco Mallet, quondam Regenti Cancellariam nostram, « et Gaspari de Aringo, quondam Secretario nostro, ut de « objectis criminibus se informarent, et veritatem inquirerent, « Nobis relationem facerent: qui mandatis nostris parendo de « praedictis inquisiverunt, et informationem receperunt, No- « bisque relationem fecerunt per processum ipsum satis in- « structum constare vos non solum ulla labe fidelitatem ve- « stram maculasse, et esse a crimininibus praedictis innoxium, « sed etiam in aliquibus majestati nostrae servivisse. Et cum « ita se veritas habet, quae submergi non debet; idcirco « praesentium tenore, et de nostra certa scientia, et consulto, « vos praefatum Salvatorem de Alagon ex meritis dicti pro- « cessus ab omni noxa et crimine, fidelitatem et honorem ve- « strum, deturpante insontem, bonumque et fidelem vassallum « Nostrum semper fuisse et esse declaramus, et pro tali te- « neri et reputari debere volumus et censemus, cum talis re- « vera repertus fueritis, ut praedicitur; et propterea absolvi-

« mus et liberamus vos ab omni arresto et detentione, sub « quibus ex causis praedictis jussu Nostro positus fueritis, et « in praesentiarum detinemini. Quocirca universis et singulis « officialibus et subditis Nostris, cujusvis praeminentiae aucto- « ritatis gradus et conditionis sint, praesentibus et futuris, ad « quos spectet, et cuilibet eorum firmiter mandamus quatenus « vos praefatum Salvatorem habeant teneant et reputent pro « bono et fideli vassallo, et Nostram hujusmodi declarationem « teneant et observant, et illi ad quos spectat cancellent et « annullent arrestum juramento et homagio vallatum, obliga- « tionem et detentionem, in quibus positus sitis, actaque et « procedimenta ratione praedicta contra vos et bona vestra « quomodocumque facta, sicuti habemus tenemus cancellamus, « et annullamus Nos cum hac eadem ex meritis dicti proces- « sus et justitiae debito; pro hujusmodi vero liberatione et « remissione nihil curiae nostrae solvatis. In cujus rei te- « stimonium praesentem fieri jussimus Nostro secreto sigillo « in dorso munitam ». Datum in civitate Barchinonae die XIIII. mensis octobris. Anno a Nativitate Domini MCCCCXCIII.

Io el Rey.

Dominus Rex mandavit mihi Ludovico Gonzalez. Visa per Generalem Thesaurarium, et per Regentem Cancellariam et per Ferrer progeneralem Conservatorem. Anno 1493.

Anno 1494 Eleonora Castani vendidit oppidum Caputerrae Annisae Torrellae: cui successit Nicolaus Torrella Ordinis s. Jacobi de Spata: et anno proximo Petrus Castelvì parvo pretio accepto cessit Ludovico ejus fratri vicecomitatum Salluris et oppida et regiones partis Valentiae communiter emptas: ac Jacobus Alagon habuit ex donatione Isabellae Besora matris suae regiones Trecentae et partis Hippis.

Eo tempore Ecclesia s. Nicolai Metropolitana Sassarensis, quae pro magnitudine populi satis angusta erat, amplissima ac magnifica structura ornata redditur: et Ecclesia Civitaten. unitur Ecclesiae Emporien ab Alexandro VI. Ferdinando Rege postulante.

Praeterea Gonzalus Ferrandus cum Hispaniensi classe Sardiniam appulsus cum multis Sardis subsidio Regis Neapolis contra Gallos proficiscitur.

Anno 1497 Princeps Joannes Ferdinandi Regis, filius unicus, heres et spes Aragoniae familiae, Salmanticae cum magno populorum moerore obiit, et in omnibus Sardiniae civitatibus celebratae sunt exequiae.

Anno etiam sequenti 1498 obiit Elisabeth, ipsius Ferdinandi filia et Emmanuelis Regis Portugalliae uxor, et in Sardinia peractae sunt exequiae.

Eo tempore Salvator Bellit habuit oppida Caxedis et Sogos ex venditione Bernardi Capitis de Villa; et Joannes Paulus de Leca ex Sardinia in Corsicam cum copiis Corsorum auxilio profectus urbes populosque omnes subigere frustra conatur, Ambrosio Nigro repugnante, qui in insulam cum Genuensium exercitu venerat.

Anno 1499 Raymundus Ruisech, alias Seraphinus Centella, habuit a Rege Ferdinando regionem Marginis de Macomele a Catharina Centella amita sua in dotem Salvatori Oristani Marchioni traditam sibique jure haereditario debitam, et Petrus Massa Carroz de Arborea oppida Mogoris, Satni et Siriu partis Ollae ex venditione Onuphrii Torrellonis aquisivit.

Anno 1500 Jubilaeus Romae aperitur: et Gandavi nascitur Carolus Philippi filius, et Regis Ferdinandi ex Joanna filia nepos.

Eo anno Franciscus Castelvinus uxorem duxit Joannam Seraphini Montagnani filiam, quae in civitate Plovace et aliis oppidis, bonisque paternis successit ex quibus orta est Seraphina, quae postea Friderico Cardonae nupsit, Plovacam et alia oppida, quae in ejus familia reperiuntur, offerens pro dote.

Anno deinde 1501 Petrus Massa Carroz de Arborea fuit a Rege donatus castro et portu deserto Longonis in regione Gallurae.

Anno sequenti 1502 Alexander Papa VI. serio attendens quod Doliensis et Caralitanae, necnon Turritanae, Sorrensis, Plovacen, Arboren, s. Justae, Othanen, Bisarchien, Castren, Usellen, Terralben, Emporien, et Sulcitanensis, Ecclesiarum regni Sardiniae, redditus et proventus adeo tenues et exiles erant, quod illarum Prelati ex eis statum suum juxta Pontificalis exigentiam dignitatis tenere non poterant; quodque Sul-

citanensis et Othanen et Emporien Ecclesiae praefatae in locis desertis consistebant: et quod si Caralitanae Ecclesia Doliensis, et Turrensi Sorrensis et Plovacen; necnon Arborensi Ecclesia s. Justae, et Othanensi Bisarchiensis et Castrensis, et parochialis Ecclesia, Rectoria nuncupata villa de Alguer; necnon Usellensi Terralbensis, et Emporiensi monasteria de Cerigo et s. Michaëlis de Plano, Ordinum s. Benedicti et Vallisumbrosae, Dioecesis Emporien et Turritanen, ac insuper parochialis Ecclesia s. Antonii Prioratus nuncupata de Castel Genoves: ac Sulcitanensi canonicatus de Villecclesia, perpetuo uniantur, annectantur, et incorporentur: et quod si Sulcitanensis ad Ecclesien, Othanensis ad Algarien, Emporiensis ad Castel Genovesien transferantur; profecto singuli, Caralitanus et Turritanus, ac Arborensis, Archiepiscopi, necnon Othanen, Usellen, Sulcitanen et Emporien Episcopi, non modico susciperent relevamen: propterea Pontifex cupiens praefatarum Ecclesiarum indigentiae subvenire, et Ferdinandi ac Elisabeth Regum Hispaniarum ac Sardiniae votis annuere, fecit praedictas uniones annexiones et incorporationes, transferens etiam praefatas sedes ad praedicta loca cum Capitulis dignitatibus sacerdotiis et ceteris annexis, ac pro potiori cautela easdem Ecclesien, Algarien et Castelgenovesien Ecclesias in Cathedrales cum Capitulis, mensis, et insigniis Cathedralibus erexit et creavit.

Haec Alexander decernebat pridie idus aprilis Pontificatus suis anno X.; sed ejus obitu superveniente literae Apostolicae confectae non sunt. Quare Julius II. sui decreti carta sub datum VI. idus decembris anno 1503 approbavit ea omnia quae decreverat Alexander.

Eodem anno Antonius de Sena Sardus insignis copiarum dux in bello Neapolitano a Gallis captus, teste Zurita, occiditur.

Anno sequenti Antonius Alagon, Leonardi Marchionis Oristani filius, strenuus et clarus est habitus in auxilio ferendo oppidanis Salses a Gallis acriter obsessis.

Anno deinde 1504 Isabella Regina excessit a vita in oppido Medinae de Campo, et in Sardinia exequiae fuerunt celebratae.

Eodem anno Ferdinandus Rex oppida Austis Tetis et Tianae morte Michaëlis Pujades devoluta Matthaeo Arbosich Algariensi viro strenuissimo in bello Neapolitano, ut debitum illi retri-

bueret concessit; et altero anno oppida Orani et Nugori, Univeri, Orotelli, Orgosuli, Sarulis, et Othanae reg. Curat. Dore, et oppidi Bithi, Garofai, Onanini, Encontratae Barbariae Bithis, oppidumque Isilis regionis partis Valentiae, et oppida Mamojadae, Fonnis et Gavoi, Ollolai, Lodini, Olzai, et Offodae regionis Barbariae Ollolai Petro Massa Carroz de Arborea liberaliter dedit.

Anno deinde 1506 de mense aprilis Philippus Maximiliani Caesaris filius ex Flandria transfretavit in Hispaniam cum Joanna uxore, Ferdinandi Regis filia, et regnorum Granatae atque Castellae dominium tenuit, Ferdinando Rege in Aragoniam prius, mox in Neapolim succedente: sed post quatuor menses rebus humanis eximitur, ejus obitum stella comata praedicente.

Eodem anno nonis junii Julius Pontifex attendens quod Dioeceses contiguae Ecclesiae Emporiensis et Civitatensis, ob redituum tenuitatem haberent aedes sacras deformatas, et ornamentis necessariis destitutas, et quod illarum Praesides ex fructibus singularum mensarum se commode sustentare non possent; hinc annuens votis Ferdinandi Regis Emporiensem et Civitatensem Ecclesias perpetuo univit annexuit et incorporavit, ita ut Episcopus Emporiensis et Civitatensis nominaretur, semper anteposito titulo alterutrius Ecclesiae, ubi versaretur, et neutra laederetur in spiritualibus vel in temporalibus.

Eodem anno Joanna uxor Petri Cardonae successit Petro Galzerando Requenses Comiti de Palamoso in oppidis Seduli Sisurri, Orenae, Soddi, Norguilli, Tadasunis, et Domusnovae regionis Gulcieris: Joannesque ac Perottus Commius Salvatoris filii fuerunt investiti oppidis Serdianae, Bacci, Turris, Segafae, Sipiolae, Noricati, Donoris, Moduli, Daminiae, Parasuli, Nexi reg. Doliae.

Eo tempore Francisca et Elvira Henrici Enriquez filiae vendiderunt regionem Costae Vallis cum oppidis Borutae, Torralbae, et Bunnanari regionis Mejuloci Alphonso Carrillo.

Eodem anno Jacobus Mari Dominus totius regionis Capitis Correxi in insula Corsicae a Genuensibus captus in carceribus arcis Ericis custoditur, eo quod Joannem Paulum de Leca tumultuantem cum aliis nobilibus Corsicae non invasit; cumque anno sequenti Genuenses pulsa nobilitate statum popularem induce-

rent, Paulo Novio viro plebejo ad summum honorem immodico populi favore evecto, eos Gallorum Rex armis subegit, et Corsicam coëgit Gallico parere imperio, Paulumque Novium e fuga rectractum capite plecti jussit, Justiniano et aliis referentibus.

His temporibus Franciscus de Sena militia claruit, et Michael Morenus Algarien. jurisprudentia insignis est habitus, de eoque meminit Philippus Decius in Conciliis.

Deinde anno 1510 Joannes Dusay juris utriusque Doctor Prorex Sardiniae conventus in Castro Caralis indixit, et habere coepit, eoque mortuo Ferdinandus Giron de Rebolledo Prorex suffectus a Ferdinando Rege continuavit, ac illius confirmationem Gaspar Fortesa legatus Hispaniam profectus a Rege obtinuit, qui multa privilegia concessit.

Proximo deinde anno uxor Consalvi Ferrantis ex Genua Terranovam vi tempestatis delata Sassarim cum filiabus itineri terrestri venit, et aliquamdiu recreata, inde Algarium profecta Malacam petiit.

Anno deinde 1512 Concilium Lateranense a Julio II. inchoatur, quod fuit a Leone X. postea absolutum et comprobatum. In quo praesentes fecerunt Petrus Serra de Munos Archieps. Arboren., Angelus de Leoninis, ejusque successor Franciscus Minorbetus de Medicis Archieps. Turritanus, et Joannes de Loysa Eps. Algarien.

Anno 1512 Jacobus Alagon fuit a Ludovico Bellit singulari certamine provocatus: quod ubi Prorex cognovit Monasterium et alia Salvatoris oppida sequestro subjecit, certamenque impedivit.

Nell'anno 1516 l'arcivescovo Ludovico Fregoso, il quale con 24 galere del Papa e quelle di Genova occupò Biserta e la bruciò, sconfisse la numerosa flotta di Cortogoli, tolse i ceppi a' cristiani, che li gemevano. Sino a quel tempo il Cortogoli avea infestato il mare e chiuso le vie anche al commercio di Genova. Folietta lib. XII.

Eodem anno Turcarum piratae Siniscolam invadunt, et multis captis diripiunt; vicinaque oppida Sarper et Sullai trepidant.

Anno autem sequenti eorum triremis in Portu Comitis a Sardis capitur: et anno 1516 decimo septimo kal. febr. aetatis suae 63 Ferdinandus Rex in Hispania decessit absque virili prole, stella comata ejus obitum per multos dies praesignante, et apud Granatam urbem tumulatus est.

His Ferdinandi Regis temporibus Pontifices infrascripti claruerunt in Sardinia.

Anno 1484 non. kal. martii Ferdinandus Romanus Clericus

Cesaraugustanus creatus Archiepiscopus Arborensis sedit annos octo.

1492 id. apr. Jacobus Serra Canon. Valentinus, sed ex Sardinia oriundus, magister in Theologia creatus Archiep. Arboren. sedit annum unum supra viginti et creatus Cardinalis tituli s. Clementis cessit Archiepiscopatum cum reservatione fructuum, et mortuus tumulatusque fuit in Ecclesia s. Jacobi ubi lapis adhuc cernitur. « Jacobo Serra Episcopo Praene-« stino S. Ecclesiae Cardinali Arborensi Antonius de Monte « Cardinalis s. Praxedis exequutor ex testamento posuit ».

1515 V. id. decembris Petrus Serra De-Munos creatus Archiep. Arboren. sedit annos sex. Hic synodum provincialem congregavit et constitutiones plures fecit, et Concilio Lateranen. sub Julio II. et Leone X. interfuit.

1484 XII. kal. aug. Petrus Pilaris Ordinis fratrum Praedicatorum ex Eps. Doliensi Archiep. Caralitanus sedit annos viginti novem, et cessit reservatis sibi fructibus.

1513 id. jan. Joannes Pilares Epis. Sulcitanus creatus Archiep. Caral. cum unione Ecclesiae Sulcitanae ad vitam sedit annos octo.

1490 Franciscus Pellicier Archiep. Turritanus creatus sedit annos . . . . Hic habuit etiam Ecclesiam Sorren. illius unione facta ab Alexandro VI. sortiente effectum post mortem Jacobi Pogii id. julii anno 1505; et VII. id. septembris ejusdem anni altare majus metropolitanae Ecclesiae Sassaren. Beatae Mariae sacravit.

1509 Tertio nonas Augusti Angelus De Leoninis Tiburtinus Eps. translatus ad Archiepiscopatum Turritanum sedit annos . . . et cessit. Hic in concilio Lateranen. sub Leone X. interfuit assistens suae Sanctitati; anno 1517 ab humanis decessit, conditusque fuit in sepulcro marmoreo in Ecclesia Tiburtina cum hoc epitaphio:

« Angelo, ex vetusta Tiburtina Leoninorum familia philo-« sophiae ceterarumque liberalium artium scientia eruditissi-« ma, gratissimoque aspectu, singulari facundia innumeris-« que animi dotibus praedito: Summis Pontificibus Alexandro « VI. qui eum ad Tiburtinam Ecclesiam promovit, Julio II. « qui ad Turritanam transtulit, Leoni X., qui grandiorem

« etiam dignitatem concessurus adfinitate et honestate charissi-
« mo: eorum nomine ad diversos Reges et Principes christia-
« nos legatione, magna omnium gratia et admiratione fideliter
« prudenterque perfuncto Camillus Episcopus Tiburtinus nepos,
« et Vincentius Pontificiae custodiae praefectus, frater patruo
« et fratri optimo faciendum curarunt (anno saluti, christia-
« nae MDXVII.) Vixit annos LX, menses . . . . . dies V. ».

Anno 1515 Franciscus Minorbertis de Medicis Florentinus Archiep. Turritanus creatus sedit annos duos et concilio Lateranen. sub Leone X. interfuit, deinde litteris non expeditis et possessione non capta cessit refervatis sibi fructibus.

Anno et regressu eodem, Joannes Sanna olim Eps. Usellen. et Terralben. fuit Archiep. Turritanus creatus, et sedit annos novem.

1479 id. octob. Christophorus Mannus ex Canon. Turritano creatus Eps. Castren. sedit annos quatuor.

1483 XVI. kal. martii Bernardus Joverius Sarraconen. creatus Eps. Castren. sedit annos octo.

1491 XIII. kal. jan. Joannes Crespo Cantor Prioratus B. M. de Pilari Caesaraugustae Ordinis s. Aug. heremitarum creatus Eps. Castren. sedit annos tres; et fuit translatus ad Ecclesiam Usellen.

1494 VI. non. oct. Melchior de Tremps creatus Eps. Castren. sedit annos tres.

1498 XII. kal. novembris Joannes Monacus Ord. s. Benedicti Eps. Castren. sedit annos quatuor.

1501 X. kal. aug. Antonius De-torro ultimus Eps. Castren. creatus, et per ejus obitum fuit Ecclesia Castren. Ecclesiae Algariensi seu Othanen. juxta bullam Julii II. unita.

1480 kal. sept. Ludovicus Joan. Ord. Fr. Min. Eps. Emporien. sedit annos septem.

1487 VI. non. octobris Didacus de Nava frater s. Sepulcri creatus Eps. Emporien. sedit annos septem.

1494 V. id. decemb. Franciscus Mannus ex Can. Turritano creatus Eps. Emporien. Ejus tempore fuit Ecclesia Civitaten. Emporiensi unita.

1481 id. febr. Ludovicus Camaynas Ord. fratr. Minorum Eps. Othanen. sedit annos duos.

1483 id. sept. Dominicus Millia Can. Turritanus Eps. Othanen. creatus, sedit annos decem et octo.

1501 Joannes Perez Rector Parochialis Ecclesiae de Castillo Conchensis Dioeces. creatus Eps. Othanen. sedit annos tres.

1504 Petrus Parente ex Can. Genuensi creatus Eps. Othanen. sedit annos decem. Ejus tempore fuit sedes Othanen. ad Algariensem Ecclesiam translata.

1514 Joannes de Loysa Can. Ecclesiae Zamorren. litterarum Apostolicarum Abbreviator Eps. Algarien. seu Othanen. creatus sedit annos undecim. Hic Concilio Lateranen. sub Leone X. interfuit, et ejus precibus Carolus Caesar anno 1519 a Leone X. petiit ut pro distributionibus quotidianis Ecclesiae Algariensis redditus quadringentorum ducatorum exquacumque parochiali Ecclesia dictae uniretur.

1483 XI. kal. martii Galcerandus Alba ex Canon. Eps. Bosanen. creatus sedit annos tredecim.

1496 prid. non. dec. Petrus de Sena Caralitanus creatus Eps. Bosanen.

Anno 1484 XII. kal. aug. Raymundus de Leonis Caesaraugustanus Episcopus Dolien. creatus sedit annos undecim.

1495 V. kal. martiis Petrus Ferie frater herem s. Aug. theol. professor creatus Eps. Dolien. sedit annos septem, et post ejus obitum fuit Ecclesia Dolien. Caralitanae unita.

1484 XII. kal. aug. Petrus Garzia Valentinus Eps. Usellen. creatus sedit annos sex, et fuit ad Ecclesiam Barchinon. translatus.

1490 XVIII. kal. julii Michael Archidiaconus de Calatayud in Ecclesia Tirasonen. creatus Eps. Usellen. sedit annos quatuor.

1494 VI. non. oct. Joannes Crespo Artium et theol. Magister Episcopus Castren. translatus ad Episcopatum Usellen. Sedet annos tredecim. Ejus tempore fuit Ecclesia Terralben. Usellensi unita.

1507 Joannes Sanna ex Archipresb. Episcopus Usellen. creatus sedit annos quatordecim.

1484 X. kal. oct. Jacobus Orient Ord. fratr. Min. Eps. Terralben. creatus sedit annos . . . . et per ejus obitum fuit Ecclesia Terralben. Usellensi unita.

1485 XVII. kal. junii Michael Lopez de la Sorva Ord. fr. Min. Episcopus Bisarchien. creatus sedit an. unum circiter et fuit translatus ad Ecclesiam Rubicen. in insulis Fortunatis.

1486 IV. id. apr. Garzia Quixada Or. fr. min. et theol. professor Eps. Bisarchien.

. . . . Martinus Episcopus Bisarchien. translatus ad Ecclesiam Vigilien.

1487 IX. kal. sept. Bernardinus Vigilien. translatus ad Ecclesiam Bisarchien. et post ejus obitum sortita est effectum illius Ecclesiae unio Ecclesiae Othanen. ab Alexandro VI. facta.

Anno prid. non. aprilis Simeon Vargius Ordinis fratr. Min. Epis. Sulcitanus creatus sedit annos circiter sexdecim.

Anno circiter 1505 Petrus Pilaris Archiep. Caralitanus unitam habuit Ecclesiam Sulcitanam et illius successor Joannes Villanova Archiep. Caralit. ejus unionem ad vitam solum habuit XV. id. januarii 1517: et deinceps Archiep. Caralen. veluti unitam retinuerunt.

1488 VI. id. jan. Gulielmus Abbas Monasterii s. Quirici Ord. s. Bened. Gerunden. Dioecesis creatus Eps. Galtellin. sedit an. sex.

1494 id. jan. Joannes Vinchi presb. Arboren. Eps. Galtellin. creatus sedit annos duos.

1496 III. id. septembris Petrus Pilares Archiep. Caralitanus creatus Eps. Galtellinen. cum unione perpetua illius Ecclesiae Ecclesiae Caralitanae ab Alexandro VI. concessa.

1490 XV. kal. jan. Antonius Roderici portionarius Ecclesiae Legionen. creatus Eps. s. Justae sedit annos quatuor.

1494 VI. id. jan. Gaspar . . . . decanus Ecclesiae Caralit. Eps. s. Justae.

1500 Joannes Deiana creatus Eps. s. Justae, et eo decedente temporibus Leonis X, unio illius Ecclesiae Arborensi Ecclesia facta sortita est effectum.

1488 Rodericus Aymerich Eps. Civitaten.

1491 non. nov. Petrus Stornel Ord. Fr. Praed. Eps. Civitaten., qui apud regem de tenuitate redituum questus prima fuit causa unionibus postea secutis. Eo mortuo non. jul. anno 1505 fuit illius Ecclesia cum duabus parochialibus s. Matthaei oppidi Caramontis, et . . . . . Ecclesiae Emporien. per Alexand. VI. ad postulationem Ferdinandi Regis unita.

1495 id. febr. Joannes Cardona frater Monasterii B. M. de La Murta Ord. s. Hieronymi sub regula s. Augustini, Valentinae Dioec. Eps. Plovacen. sedit annos circiter triginta, eoque tempore unio illius Ecclesiae Turritanae Ecclesiae sortita est effectum.

Praeterea infrascriptis Praesides insignes in Sardinia fuere.

Anno 1480 Ximen Perez Scriba de Romani P. R.

1483 Gulielmus Peralta P. R.

1484 Petrus Massa P. R.

1485 Ximen Perez Scriba de Romani P. R. secundum.

1487 Ignigus Lupus Mendoça P. R.

1491 Alvarus Carrillo de Albornoz P. R.

1497 Joannes Dusay J. U. Doctor P. R.

1511 Ferdinandus Giron de Rebolledo P. R.

1484 Joannes Gralla Gubern. Logudori et Joannes Fabra Progubernator.

1485 Andrea Biure Propraeses in Capite Logudori.

1486 Joannes Amat Gubernator Logudori.

1500 Philippus Boyllus Gubernator Logudori.

1514 Petrus Joannes Leon-Boy Gubernator Logudori.

1515 Franciscus Morrois Gubernator Logudori.

1485 Petrus Massa Gubernator Caralis et Gallurae.

CAROLUS CÆSAR HISPANIÆ ET SARDINIÆ REX.

Carolus Austriacus, Maximiliani Caesaris ex Philippo filio nepos, cum Joanna matre Ferdinando Regi Catholico avo defuncto in omnibus regnis successit: et anno 1518 ex Belgis in Hispaniam devectus regnorumque gubernaculis susceptis Angelum Villanovam Proregem in Sardiniam misit, et Franciscum de Sena Sardum Logudori gubernatorem creavit, quo tempore Eusebius Gerps Angelae Beltrami haeres oppida Villae Xirdi et Serramannae adipiscitur.

Anno deinde 1519 mortuo Maximiliano Caesare et Comitiis de more Francfordiae in Germania habitis, Rex Carolus creatus est Imperator Hispanis Sardisque omnibus congaudentibus: et Carolus Alagòn habuit in Sardinia regionem partis Baricati, Isabella Despe et Fabra vendente.

Altero anno Angelus Villanova Prorex convocatis de more Sardis conventus in Castro Caralis habuit, jusque omnibus reddidit, multa ordinavit, quae postea a Carolo Imperatore prima corona Aquisgranae insignito fuerunt, Carolo Alagon Sardorum legato postulante, confirmata.

Anno 1521 Honufrius Torrellas habuit oppida Piscinae et Gibae regionis Sulcis, venditione Eusebii Gerps, et anno sequenti Philippus oppidum Surrui regionis Aquae fridae a Lodovico Aragall venditum habuit: proximoque anno Hieronymus Sanjust emit oppida Mansi Simbilis et Mogori ab Antonio Serra et ejus uxore Anna Bernardi cum regia confirmatione, quia per mortem Hieronymi Bernardi Francisci filii devoluta censebantur.

Anno 1524 annonae caritas Sardiniam invasit, et Fregosi piratae Algariensem et Turritanam oram magnis incommodis affluere. Eos tandem Ludovicus Requesens parva triremium classe fudit atque fugavit, eorum myoparone capta.

Anno 1525 Franciscus Rex Galliae cum Rege Scotiae et Henrico Rege Navarrae a Caesarianis apud Papiam strenue pugnantibus captus, datis obsidibus pacem cum Carolo Imp. fecit, et Leonoram ejus sororem uxorem duxit, eoque tempore quadrigenti Corsi in obsidione Castri Petri, teste Cypriano, perierunt.

Anno deinde sequenti, Caesar ipse matrimonium cum Isabella Portugalliae Regis filia apud Hispalim contraxit, et Sardinia facibus accensis laetitiae operam dedit.

Eodem anno Clemens Pp., Franciscus Galliae Rex, Henricus Rex Angliae, Franciscus Sfortia Dux Mediolani, Veneti, Florentini, et ceteri Italiae Principes veriti ne Carolus Caesar totius Italiae imperium occuparet, praesertim quia in Insubribus victorem haberet exercitum, et regnum neapolitanum, Sardiniam, atque Siciliam possideret, foedus, quod Sanctum appellarunt, contra Carolum percusserunt, et eorum classis, classem Caesaream petentem Corsicam oppugnavit. Haec tamen repugnando fortiter in terram Laboris salva adnavigavit, una tantum navi amissa, et duabus in Corsica relictis, quorum milites in Sardiniam traducti ex labore et inedia refecti fuere, ut ex Aug. Justiniano et Maurolicio Abbate et Mambrino Rosseo constat.

Hoc anno XVIII. kal. sept. obiit Hercules Mancone Corsus, militia, et rebus ab eo prospere gestis clarus, qui Rinaldum Corsum virum litterarum scientia insignem filium reliquit, ut testatur frater Leander de Albertis.

Anno 1527 lumina et faces in Sardinia ob laetitiam natalis Philippi Principis Caroli Imper. primogeniti arsere.

Anno eodem Sassarenses coraliorum mercimonio intenti arcem in minori Herculis insula, a forma sua plana vulgo dicta, ad illorum tutiorem piscationem Regis impetrata licentia non sine magno discrimine condidere; nam prius inter eumdum tertio non apr. a piratis aggressi insulam ingredi impediti fuere: mox sexto kal. maj centum viri Sassarenses cum duce Francisco Cano ingressi ab octo turcarum triremibus obsessi etiam fuere, et cum quadringentis turcis in terram expositis parato aggere et vallo muniti strenue pugnantes obsidione se liberarunt, quinquaginta ex illis occisis multisque vulneratis. Obiit ea pugna Jacobus Sotgius cum aliis quatuor Sassarensibus, vulneratusque ab insula recessit Franciscus Cano, et in ejus locum Jacobus de Bossa, Seraphini de Calvia gener suffectus fuit, et illi Bernardinus Casagia.

Ea tempestate bona Sabatiorum in Sardinia reperta a Prorege sequestrantur, et lis inter Sassarenses et Algarienses super jure coraliorum in portu Ferri piscandorum orta fuit.

Eodem anno Francorum classis cum Veneta juncta terrorem Sardiniae injiciebant; nam insula inermis erat: et Angelus Villanova Prorex ceterique Sardiniae gubernatores Sardos armare, muros urbium reficere, et arces praesidiis munire non curarunt, sed oscitantes perinde ac si nihil mali insulae immineret, defensioni illius consulere neglexerunt. Sassarenses tamen interea, tormenta quibus insulae Planae et portus turrium arces munirent, misso Antonio Arca, ex Genua sibi compararunt.

Ceterum Andreas Auria et Joannes Maurus Venetus foederatae classis duces de mense octobris insulam Corsicae appulsi Sardiniam bello aggredi decrevere. Quapropter de mense novembris Rencius Ursinus cum exercitu quatuor millium peditum in Galluram propinquiorem Sardiniae partem exposito longe lateque populabundus Castrum Aragonense petit. Quod ubi Franciscus de Sena Logudori Gubernator certo nuncio

rescivit cum omni Sassaris et Logudori peditatu et equitatu urbe egressus Sursam petit, et Jacobum et Angelum Manca fratres cum Sassarensium copiis in Castrum Aragonense suppetias misit, quod erat satis immunitum, et ab omni plebe destitutum. Qui Castrum ingressi, et habito colloquio cum Melchiore Avendrasio ipsius castri duce, Joanne Pinto potestate, et omnibus consulibus atque primoribus populi, omnia quae fieri poterant curarunt, et milites ad murorum custodiam disposuerunt. Interim Rencius Ursinus id dec. cum exercitu terrestri itinere pervastatis passim agris ad Castrum Aragonense pervenit, et Andraeas Auria cum triginta triremibus, et aliorum navigiorum classe illius portum ingreditur, missoque Antonio Auria Castrum illud veluti sibi et familiae suae debitum repetiit, repulsamque tulit ab omnibus qui Castrum defendere paratissimi erant, adveniente praesertim eo tempore Joffredo Cervellono quiprimus erat ex consulibus civitatis Sassaris cum octoginta delectis virs, quos in Castrum induxit vidente Rencio et exercitu suo et Andrea Auria.

Qui hujus rei indignati terra marique vehementissime Castrum Aragonense postridie oppugnare coeperunt. Castellani vero selectique milites Sassarenses ubi plurimum periculi et laboris ostendebatur ibi vi majore obsistebant, ac missilibus lapidibus summovebant hostem. At triremes tormentis aeneis acrius feriebant muros, et jam quassatae multae partes erant, turrisque una cum ingenti fragore ceciderat; sed Sassarenses inter ruinas muri discurrunt ad omnia obeunda, multimodaque arte detinentur milites: et Castellani a suis ducibus ne pedem relicto a se loco emittant, hortantur. Atque ita Sardis fortiter pro moenibus pectora opponentibus et acriter repugnantibus nox advenit, quae Gallos a moenibus exturbavit, et in Castra redegit.

Dum quies certaminis fuit Sardi fessa corpora reficiunt, vulneratos curant, decem et octo mortuos sepeliunt, Castrumque ab ea parte qua patefactum ruinis erat, aggeribus et lapidum mole muniunt, nec tota nocte ab opere cessant, bellum illucescente die acrius aegre expectantes. Sed ea adveniente suborta tempestas triremes omnes in propinquam Herculis insulam Asinariam dictam expulit: et Ursinus spe Castri potiundi est

frustatus, eo quod erat in promontorio satis arduo excelso et praerupto non solum praesidio, sed etiam arte munitum. Ab eo itaque recessit, et Sursam insigne oppidum a Sassari sex milliaribus distans aggresus cepit, et diripuit, trium mensium commeatu ab eo comparato.

Interea Franciscus de Sena Logudori Gubernator, coacto ex urbe Sassaris et oppidis circumvicinis peditum equitumque exercitu, cui duces praeerant Joffredus Cervellonus, Jacobus et Michael Manca ex Castro Aragonensi reversi, Franciscus Satrilla, Joannes Anton. Milia dominus Romandiae, Petrus Gambella Sorsi dominus, Petrus Cariga Gubernator Status Olivae, Joannes Manca, Petrus Cedrelles Dominus Usinis, Franciscus Cedrelles, et Ludovicus Castelvinus, Sursam versus movet, ut hosti se opponeret: cumque eodem tempore quidam Sassarenses juvenes Sursanorum auxilio accurrentes quinquaginta palantes Gallos in agro Geriti trucidassent, et Sardi ea re prospere gesta animis crevissent, optimum Gubernatori visum est committere praelium cum adveniente Gallorum exercitu. Hinc Sassarenses primos in hostes misit, aliosque Sardos deinde sequi jubet, qui cum armato hoste pugnantes facile inermes caeduntur, perterritique ad signa refugiunt, et soli Sassarenses impavide pugnantes obsistunt, Joanne Florentino eorum duce, et aliis amissis. Et licet illis laborantibus Gubernator alia atque alia mitteret auxilia eorum Sardorum, qui satis parati animis et armis erunt; tamen quia nudo corpore et cuspide certabant cum hoste torta lancea et sclopetis pugnante parum proficiebant. Itaque Gubernator receptum cecinit, Sassarimque soluto exercitu rervertitur: deinde Algarium petit, et major pars civium in oppida se confert, quo eorum uxores et filii antea secesserant. Plures autem nobiles et primates in oppido Tissis coacti Proregis et Gubernatoris auxilium et consilium praestolantur.

Gubernator deinde cum paucis in urbem XIV. kal. jan. revertitur: sed Gallis ingredientibus per portam s. Antonii, ipse per portam Castelli sequenti die egreditur . . . . Villafranca et aliis paucis cum eis, tormenta in arce Sassaris relinquens. Itaque nullo repugnante XV. kal. jan. Galli urbe derelicta facile potiuntur. Trepidat ob id tota Sardinia, vicini

praesertim Algarienses et Bosani, qui coeno et lapidum mole ostium fluminis Temi clausere, ne triremes urbem appellerent.

Anno sequenti 1528 Prorex Villanova cepit milites Sardos cogere, quos non. jan. Sassarensium auxilio duce Philippo Cervellono misit, et simul cum eo Nicolaus Torresanus, Salvator Aymerich, Petrus Noffra de Alagon, Petrus de-Doni et Tomicus nobiles Caralitani cum suis subditis, atque Busquetus cum Sardis Comitatus Olivae advenerunt. Interea Blasius Alagon ducentos hispanos milites, qui forte ea tempestate Sardiniam appulerant, adduxit; cumque ipsis Gubernator Sassaris atque omnes nobiles et cives Sassarenses patria extorres, et circumvicini populi juncti, Plovacensem civitatem XII. M. P. a Sassari distantem petunt, ubi Gallos a progressu et populationibus coërcent, et per agros opprimunt palantes et caedunt. Sed non diu simul perstitere. Nam orto inter eos dissidio multi ex Caralitanis recesserunt; qui per regionem Mejuloci transeuntes a Torralbensibus velitati fuere et damno affecti. Interea Petrus Cariga in Castrum Osuli mittitur, Jacobusque Manca in oppidum Codrongiani, atque Petrus Cedrelles in oppidum Usinis, ut itinera omnia interclusa tenerent, et Gallos undique frumentum et vinum conquirentes in portum Turrium adsportare prohiberent.

Galli tamen quae in urbe Sassaris invenerant omnia abstulerunt, et exhaustas vastatasque domos relinquentes VII. kal. febr. classem in portu Turrium ingressi, insula decesserunt; ac statim omnis hispanus, sardusque miles, Sassarim ingressus urbem de novo commorando afficit maximis incommodis. Quare III. id. febr. conquerentibus Sassarensibus, exercitus a Prorege revocatur, Caralimque Philippus Cervellonus cum Sardis copiis revertitur, et Blasius Alagon cum Petro Noffra ejus patruo Hispanas copias Oristanum reducit vulnere in oppido Putei majoris inter populum et milites rixantes accepto.

Eodem etiam anno Roma a Borbonio, qui Caesaris partes sequebatur, praedae militum exposita totaque direpta et foedata.

Hoc eodem anno pestis funesta ab Italia Sardiniam pervasit, ubi prius in Gallura, et Castro Aragonensi, grassata est; mox a kal. maii in Algario, et a VIII. kal. novembris Sassari; deinde

in oppidis Mores, Banaris, Codrongiani, Cossaynis, s. Luxurii, et in civitate Bisarchii, et Comitatu Gociani. Ast magis, quam in alia parte insulae saeviit in Sassari, ubi ad sexdecim millia hominum interiere, et inter eos Petrus Cariga, et Ludovicus Castelvì, Franciscus Lledo Assessor, Joannes Solinas, Joannes Valdemussa et . . . . . . Palleris J. U. Doctor, Gavinus Canus, Angelus Pilus, Comita Contene, Petrus Marongiu, Petrus Travall, et Joannes Ant. Milia, qui sine legitimis liberis decedens oppida Sursae et Sennoris Francisco de-Sena viro strenuo testamento reliquit, qui super illis litem cum Joanne Pilo suscepit, magno cum detrimento proprii patrimonii.

Anno 1529 XII. kal. febr. quo natalia Fabiani et Sebast. mm. colebantur, et litaniae supplicationesque a populo Sassarensi fiebant ut Deum placarent, signa in coelo apparuere, omnibus misericordiam exposcentibus, et deinde pestis cessare coepit. Superstites qui patriam reversi . . . jus cudendi certam pecuniam, ut urbem Caralitanam aliquantulum levarent, a Rege obtinuere.

Anno 1530 Caesar magno cum apparatu a Clemente VII. Bononiae suscipitur, et coronatur, pace prius cum Francisco Gallorum Rege et Italiae principibus inita, Sardique ejus rei a litteris ipsius certiorati laetitiae signa publica dedere.

Anno eodem Martinus Cabrera Prorex in Sardiniam venit, et anno sequenti 1531 vocatis Sardis comitia in Castro Caralis habuit, jusque Sardis dixit, et privilegia multa de more concessit, et Regi ex iis pecuniam procuravit.

Anno 1532 Martinus Cabrera Prorex Sassari residens filios duos Joannem et Ferdinandum ad Regem Ferdinandum destinavit, quorum desiderio uxor in morbum incidens obiit, et ipse paulle post Caralim reversus decessit.

Eodem anno jus patronatus, seu praesentandi personas idoneas ad Cathedrales et Metropolitanas Ecclesias Sardiniae et Siciliae, Carolo Imper. quoties illas vacare contingeret, et quamdiu ille viveret, Clemens VII. reservavit; idemque juspatronatus ad easdem Ecclesias et Monasteria quaecumque dictorum regnorum Sixtus V. postea anno 1586 Regi nostro Philippo de Sede Apostolica benemerito, et ejus nato Philippo Principi eodem modo quamdiu vixerint concessit, ut ex litte-

ris Romae et in Regio Archivio Sardiniae reconditis apparet.

Anno 1534 Antonius de Cardona novus Prorex Sardiniam venit.

Eodem anno de mense aprilis flantibus Austris naufragium in portu Pini fecerunt undecim Turcarum triremes, quibus tres insignes Piratae Scacciadiabolus, Judaeus et Corsesus in terram cum omnibus fere aliis incolumes evaserunt, metu tamen Sardorum, qui contra eos advenerant tres biremes conscendunt, et relicta omni gaza, dimissisque liberis omnibus Christianis numero octingentis, Africam petierunt.

Eodem anno Solimanus Turca septuaginta triremium classe Tunetum Africae urbem Duce Ariadeno Barbarossa cepit, et Muleym Hasam fugavit dictitans velle in regnum restituere Haraschidum. Itaque quum arcem Goletam novis propugnaculis et Turcico praesidio muniisset, et eodem suarum triremium classem ad dubios casus subduxisset, ingentem metum non modo Sardiniae et Siciliae, sed etiam Hispaniae et Italiae incutiebat. Quare Carolus Caesar Turcas inde pellere volens ex Hispania, Lusitania, Germania, Sardinia, Sicilia, Neapoli, et Genua, milites ad quadraginta circiter millia, et classem sexcentarum ferme diversi generis navium comparavit, cum qua III. id. jun. anno 1535 ex Barchinone Caralim advenit, ubi Marchio Vasti dux electus copiarum terrestrium cum Neapolitana classe IV. non. antea appulerat; magnoque apparatu et decenti honore a Sardis fuit exceptus et a Joffredo Cervellono Sassarensium, legato, aliarumque urbium nunciis salutatus se transfert Imperator ad templum maximum Castri Caralis, et audito sacro in classem revertitur, atque die sequenti Africam petiit, ubi Goletam expugnavit, Barbarossam vicit et fugavit, Tunetum cepit, Regem in solium restituit, viginti duo millia captivorum liberavit, atque Utica, Hippone, Sface, et aliis vicinis locis est potitus.

Ea tempestate Franciscus de-Sena Gubernator lites et simultates cum Joanne Pilo, Joffredo Cervellono, Francisco Centelles, et Francisco Rebolledo, exercebat, laboresque plures in Sardinia et Hispania sustinuit, et facto calculo compertum fuit scutata Romana sexaginta duo millia esse debita Joanni Pilo.

Anno 1536 Caesar in Provincia bellum Gallis intulit. Samperus Corsus peditum dux cum aliis multis a Ferdinando Gonzaga, ut refert Cyprianus Manente, captus fuit.

Anno 1537 prid. kal. oct. Comitatus Villae-Sorris in regione Partis Hippis fuit a Caesare creatus, Blasio Alagon, ipsius Imperatoris alumno et oris ministro, primo Comite creato, qui Imperatorem ipsum Bononiam, Germaniam, Burgundiam et Flandriam proficiscentem est sequutus, ac in bello contra Solimanum Turcarum Principem gesto claruit, et contra Barbarossam in expugnatione Goletae et Tuneti insignis est habitus, Siciliamque et Neapolim, Romam et Provinciam cum Caesareo exercitu petiit, Genuamque reversus Hispaniam usque comitatus est Carolum, ut constat ex tabulis authenticis.

Eodem anno Sassarenses Algarienses et Bosani, impulsi ab Antonio Cardona Sard. Prorege, Bernardo Simoni Regenti Cancellariam Sardiniae vendiderunt castrum et regionem Montis Leonis, qui postea a Caesare licentiam castrum et alia oppida reficiendi obtinuit: et Ferdinandus Cardona magnus Siciliae admiratus oppida Seduli, Canalis, Norguilli, Zuuris, Suddi, Domus novae et Sedetzani Nicolao Torresano et Petro Mora vendidit.

Anno 1538 de mense martio duae Turcarum biremes in Turribus diripuere Ecclesiam ss. Gavini, Proti, et Januarii, et omnem praedam in portum Nymphaeum, Comitis dictum, reportarunt; inde tamen miraculose solvere nunquam potuerunt, nisi prius facta Ecclesiae omnium bonorum restitutione.

Eo anno fuit Sassari magna aquarum inundatio, et turbo vehemens tantam excitavit tempestatem ut arbores radicitus evulsae et domorum aedificia obruta et procul dejecta sint: eoque anno Barbarossa insigne fecit naufragium amissis viginti millibus hominibus, cum jam classe educta, malum in nostros cogitaret.

Anno 1539 Isabella Caroli Caesaris conjux mortua est, et Antonius Cardona Prorex exequias Sassari cum omnibus civibus solemniter peregit, Salvatore Alepusio Archiep. Turritano concionante.

Eodem anno Paulus III. Pp. vexillum *Confalone* dictum in duabus s. Gavini festivitatibus deferendum Archiepis. Turrit.

concessit; et ad Caroli Caesaris preces statuit Archipresb. et Canon. omnes Ecclesiarum Plovacen. et Sorren. Turritanae Ecclesiae unitarum in metropolitana residere et divinis deservire officiis, portione fructuum beneficiorum suorum pro distributionibus quotidianis applicata: quod tamen lite exorta effectum non obtinuit.

Eodem quoque anno ex biremi in mari contra ostium fluminis Thosae regionis Sarrabi, naufragata viginti tres turcae intercepti a Sardis fuere.

Anno 1540 dira annonae caritas Sardiniam adeo invasit, ut plures fame adacti canes et mures comederint, mulierque rustica filiae infantulae non pepercerit. Et Draguttus archipirata, qui Sardiniae et Corsicae maria infesta reddebat, fuit cum septem longis navibus a Joanne Auria captus, et Andreae traditus, Cypriano Manente et Maurolicio Abbate referentibus.

Anno 1541 Azanaga genere, ut refert Surius, et Fancellus Sardus, qui abjurato Christo Mahometanam superstitionem amplexus a Barbarossa obsequio Solimani apud Constantinopolim mancipatus, fuit Algerio cum praesidio Turcarum praefectus, et maximis damnis non modo Sardiniam atque Siciliam, sed Hispaniam atque Italiam afficiebat. Quare Carolus Caesar suorum subditorum querimonia excitatus ducentarum rostratarum onerariarumque navium classe triginta ferme millibus peditum instructa, Genua solvit, et in Corsicam vectus portum Syracusanum ingreditur; inde portum Nymphaeum in Sardinia appulsus a Sardorum effusa multitudine excipitur, et cum insigni equo Joannis Manca, qui postea equus Imperialis fuit appellatus, Algarium defertur, ubi a Francisco Rebolledo tunc Consiliario et Joanne Cariga viro primario Sassarensium nomine fuit salutatus, et omnis generis commeatibus liberaliter donatus.

Deinde Petrus Virde vir genere et militia clarus, atque Petrus Pilo, Joannes De-Lo-Sgrecio, et Joannes Galeacius fuerunt a Carolo equites creati, et militari cingulo decorati, aliique benemeriti privilegiis et gratiis honestati; atque ita gratus omnibus Sardis Algario discessit. Sed infeliciter classem Algerium (Juliam Caesaream) traduxit: nam saeva orta tempestate naufragium est passa, et ipse spe frustratus et despe-

ratis rebus in Hispaniam revertitur, aliis alio concedentibus qui superstites ex naufragio fuere. Alphonsus Urries cum tertio Neapolitano Sardiniam venit, et Sassari hyemavit, ubi milites omnes magna Sassarensium caritate et rerum omnium subventione fuerunt recreati. Carali tertium Siculum appulit et in hibernis non minori commodo stetit. Sed tam Sassarenses, quam Caralitani, et alii, ab iis hospitibus multa damna passi sunt, quae plurimi sunt aestimata.

Anno sequenti 1542 Franciscus Rex Franciae foedere cum Solimano Turcarum Rege inito bellum contra Caesarem in Hispania, Italia, et Flandriae finibus reparavit: quare milites omnes belli Africani, et Siculi, et Neapolitani qui erant in Sardinia revocati sunt.

Eo anno Antonius Cardona Prorex convocatis undique Sardis conventum in Castro Caralis habuit, in quo de muniendis maritimis civitatibus Caralis, Algarii, Castri Aragonen. et Oristani, reficiendisque insulae pontibus, praesertim ponte Soppo, ponte Oristaniete ponte Samassis vetustate dirutis, atque de aliis rebus insulae actum fuit, pluraque capitula a Blasio de Alagon Caesari porrecta fuerunt, et ab eodem concessa in oppido Antuerpiae die 29 aprilis anni 1548.

Anno 1544 classis Othomana duce Barbarossa, mare Tirrhenum navigavit, omnibus terrorem incutiens: et Blasius Alagona Comes Villae-Sorris cum septingentis strenuis equitibus oram maritimam custodivit, hostesque ita terruit, ut insulam inoffensam reliquerint; una tantum navi in sinu Oristani capta et in capite s. Marci combusta.

Eo tempore Paulus III. Concilium Tridentinum indixit: et Carolus Caesar navigaturus Philip. filium sextumdecimum annum agentem regni Hispaniae et aliorum regnorum Gubernatorem pronunciavit, eique omnes civitates Hispaniae per legatos sacramentum dixerunt.

Anno 1545 Pace inter Caesarem et Franciscum Francorum Regem inita et vulgata: Concilium Tridenti a Paulo III. inchoatur: et in eo praesentes fuerunt Salvator Alepus Archiep. Turren. et Baltassar de Heredia Epis. Bosanen.

Eo anno Monasterium s. Luciae civitatis Caralitanae sororibus secundi Ord. s. Francisci fuit consignatum: et Catharina

Flos Montagnans in civitate Sassaris domum suam Monialibus s. Clarae reliquit, ex qua insigne monasterium fuit postea conditum.

Aliud etiam monasterium fuit conditum pro Monialibus Hieronymitis, quod postea in Collegium fuit mutatum et habitatum a PP. Societatis Jesu: Moniales vero translatae fuerunt in domum, ubi antea Jesuitae degebant. Collegium illud primum fuit, quod Jesuitae colerent in Sardinia.

Anno 1548 Franciscus Laconus J. C. de rebus Sassaris coram Philippo Principe regnorum Gubernatore egit, et docuit quam expediret turrium aedificatio in Aenaria ad piratas repellendos: eoque tempore nupsit Maria Caesaris filia Maximiliano patrueli; illisque in Hispania regnorum Gubernatoribus relictis Philippus ad Patrem in Belgium proficiscitur.

Anno 1549 Turris montis Girati a Sassarensibus conditur, ut piscationi coraliorum tuti a piratis incumberent.

Anno 1550 post mortem Pauli V. a Julio III. Concilium intermissum fuit reassumptum juxta Caesaris desiderium.

Anno 1551 de mense majo celebrata fuit prima sessio post reassumptionem Concilii.

Sub ejusdem anni finem Philippus Caesaris filius ab Augusta Vindelicorum descendit in Italiam, inde in Hispaniam regnorum gubernationem reassumpturus.

Eodem anno Henricus Francorum Rex bellum in Caesarem reparavit: quare concilium rumpitur et paullatim Concilii Patres domum revertuntur, et Sardiniam repetunt Balthassar Heredia Arch. Car. et Salvator Alepusius Arch. Turr. qui fuerat concilii decanus, et praeclaram orationem habuerat in eodem.

Hoc eodem anno Ferdinandus Heredia Prorex, et praeses parlamenti deputatus ad conventum Sardos convocavit in Castrum Caralis; et jussum fuit Sassaris urbem et portum Turrium communiri.

Sub id tempus floruit Gavinus Sunierus poeta Sassarensis magnae expectationis juvenis, qui immatura morte fuit ereptus, ut testatum reliquit Sambiguccius ad Hermatenam Bacchiam.

Anno 1553 Turcarum classis Dragutto ductore una cum Ferdinando Sanseverino Salerni Principe, atque Gallicis triremibus, Corsicam de mense juni petiit, et portum Syracusanum

cum oppido Bonifacii in excelsa et praerupta rupe Sardiniam contra situm, sanctumque Florentium et omnem insulam, Calvo, et Bastia exceptis, deditione cepit, atque Henrico Regi subegit, Laurentio Surio, Thoma Fancello, et Maurolicio Abbate referentibus.

Corsica subacta Draguttus Sardiniam petit et Terramnovam urbem satis immunitam et populo infrequentem capit, diripit, et incendit. Itaque Sardi ad defensionem insulae se accingunt omniaque munire properant: et Ferdinandus ab Heredia PR. hostem tam propinquum veritus ad Sassarenses scribit, eorumque fidelitate, et rebus praeclaris contra Gallos Sassari et in Castro Aragonensi alias gestis, commendatis, opem auxiliumque postulat, ut quemadmodum eo tempore a Gallis tutati sunt insulam: ita etiam hac tempestate Gallum et Turcam immanissimum hostem ab insula arcere curarent, quae litterae in Archivio ipsius urbis apparent; propterea urbe Sassaris aggeribus vallata Gerardus Satrilla Logudori Gubernator littora septentrionalia, quae Corsicam spectant, cum equitatu lustravit et custodivit. Sed statim timore levati sunt populi: nam eodem anno de mense novembr. inimicorum classis insula Corsicae excessit, Jordano Ursino cum mille peditum praesidio, ut inquit Cyprianus Manente, relicto.

Anno autem sequenti 1554 cum nova aggressio formidaretur, Antiochus Bellit Logudori Gubernator, generis nobilitate et militia clarus, Castrum Aragonen. cum ducentis Sassarensibus, centum Gallurensibus, totidemque Sursanis, et multis Anglonensibus munivit. Praeterea Petrus Aymerich vir insignis, et Franciscus Casalabria Sassarenses oram Gallurae tutantur, et Gallis, qui septem triremibus in portum Figaris venerant, viriliter obstitere.

Eo tempore Andreas Auria cum classe et Genuensium exercitu oppidum s. Florentii in Corsica obsidet, et deditione capit, Bonifaciique defectionem quorumdam conspiratione frustra tentavit, Jordano Ursino in eo existente, cum quo deinde multis praeliis certavit.

Eodem anno Philippus, Caesaris filius, Mariam Angliae Reginam uxorem duxit, et ad eam de mense julio proficiscitur, Joanna ejus sorore regnorum Gubernatrice relicta.

Nel 1560 il Corsaro Occhiali fece degli sbarchi in Sardegna, saccheggiò paesi, e portò via molti schiavi.

Anno 1555 Turcica classis Corsicam repetens Calvum et Bastiam bello licet frustra tentavit, terroremque Sardiniae incussit, quamdiu illic stetit. Atque ita Antiochus Bellit Guber. Castrum Aragonen. et Logudori maritima loca praesidiis munire curavit; et Joannes Cariga vir prudentia, humanitate, et bellica disciplina illustris toti militiae provinciae Turritanae praefectus numeroso Sassaris et totius Logudori equitatu Sursam prius et Plovacam, mox Oskarim petiit, ut advenienti hosti facile occurreret, vocatus ab ipso Gubernatore, vel a Francisco Casalabria, qui Gallurensium copiis oram maritimam diligenter excubabat. Turca autem Sardiniae equitatum veritus, Sardinia relicta, in Corsicam secessit; nam qui pecora abigebant a Sardis repulsi cum damno fuere, teste Maurolicio.

Eodem anno Gavinus Sambiguccius Sassarensis Medicus Philosophus et Poeta praestantissimus edidit librum in Hermathenam Bacchiam, majora sui acerrimi ingenii testimonia editurus, si immatura mors eum non eripuisset.

Eodem anno quum Laurentius Ferdinandus De-Heredia Prorex convocatis undique Sardis, conventum in Castro Caralis habuisset, decessit; et pax inter Caesarem et Henricum Galliae Regem fuit scripta.

Eo quoque anno de mense octobri Carolus Caesar Sardinia et aliis omnibus regnis se abdicavit, Philippoque primogenito renunciavit; atque in Hispania inter religiosos Divi Hieronymi viros ad monasterium ss. Justi, et Pastoris coelibem duxit vitam usque ad annum 1558, quo fato concessit, Imperator pluribus victoriis quae raro aut nunquam alicui Romanorum contigerunt factus insignis.

Sub Carolo Caesare multi Sardi militia claruerunt, et inter eos Petrus de Oreta, Bernardinus Ferrali, Petrus Virde, Nicolaus Mancone, Nicolaus Vidini, Laurentius s. Caeciliae, Joannes Cortibaldus, Michael Canus, Franciscus Alis, Gavinus de-Livesi, Petrus Pala, Didacus de-Sotgio, Lucas Aurolus, et Gabriel De-Corrà Sassarenses viri fortes, et Joannes De-la-Camera Sursanus.

Eodem anno ab humanis decessit Alexius Fontana praeclarae memoriae vir Sassarensis, Caroli V. a secretis, in Sardiniae regno magister rationum, qui Sacerdotes Societatis Jesu

primus in Sardiniam vocavit, et mille aureis annuis testamento relictis celebre collegium Sassaritanum instituit, ubi plures viri pietatis, modestiae, et eruditionis laude insignes aluntur, qui adolescentes optimis moribus instruunt, grammaticam, rethoricam, philosophiam, et theologiam quingentorum auditorum frequentia liberaliter et gratis docent, per Sardiniam magno cum animarum fructu praedicant, sacramenta administrant, et alia multa pietatis opera exercent. Ipsius Collegii primi conditores fuerunt Balthassar Pigna Aragonensis et Franciscus Antonius Portugallensis ejusdem societatis patres.

His Caroli V. temporibus Pontifices infrascripti fuerunt in Sardinia.

Anno 1517 XI. kal. junii Joannes Eps. Beriten. translatus ad Episcopatum Arbor. sedit annos tres, et se abdicavit.

1520 XVI. kal. maii Joannes Lancherch Can. Cameracen. in vigesimo suae aetatis anno electus Archiep. Arboren. cum primum ad aetatem legitimam pervenit sedit annos decem.

Ind. Sass. 1524. I mori saccheggiarono i territori di Sassari

1530 V. kal. apr. Augustinus Grimaldus creatus Arch. Arbor. sedit an. septem.

1537 V. kal. jun. Carolus de Alagon creatus Arch. Arbor. sedit an. decem et septem.

1554 non. aug. Andreas Sanna Eps. Usellen. et Terralb. translatus ad Archiep. Arboreae sedit annum unum: hic fuit primus Inquisitor Ap. adversus haereses in Sardinia.

1521 Hieronymus Villanova creatus Archiep. Caralitanus cum unione Ecclesiae Sulcitanae ad vitam sedit an. terdecim.

1534 idib. nov. Dominicus Pastorellus Eps. Algariensis translatus ad Eccl. Cat. sedit an. terdecim.

1548 pridie kal. sept. Balthassar de Heredia Epis. Bosanen. translatus ad Ecclesiam Caralitanam sedit annos terdecim, et obiit.

1523 Salvator Alepusius creatus Archiep. Turritanus sedit annos quadraginta quatuor; hic fuit vir eloquentissimus et venustus, utriusque signaturae referendarius, et Concilii Tridentini sub Julio III. Decanus, ubi orationem insignem habuit. Decanatus dignitatem in Ecclesia Turritana erexit: compendium historiae ss. mm. Gavini, Proti, et Januarii, homiliasque scripsit, et anno 1552 mortuo Joanne Cardona habuit Ecclesiam

Plovacen. ex unione a Clemente VII. facta de novo pridie kal. aug. ejusdem anni.

1525 X. kal. julii Gulielmus Cassiodorus Rom. Rotae Auditor creatus Eps. Algarien. sedit anno tres.

1528 VI. kal. febr. Dominicus Pastorellus Eps. Algarien. sedit an. sex, et translatus fuit ad Ecclesiam Caralitanam.

Ind. Sas. 1535 I mori infestarono le coste di Sardegna.

1534 III. non. nov. Joannes Renna Venetus Eps. Algarien. sedit an. quatuor, et fuit ad Ecclesiam Pamplonen. translatus.

1538 Duras de Durantibus Archidiaconus et Cubicularius ac familiaris continuus commensalis Summi Pont. Eps. Algarien. sedit an. tres et fuit translatus ad Ecclesiam Cassanen.

1541 IV. non. julii Petrus Vagniek Can. Ecclesiae Jacen. creatus Episcopus Algarien. sedit annos viginti quinque: hic fuit Visitator in Sardinia a Carolo V. XII. kal. 1542 decembris ordinatus.

1533 idib. febr. Bernardus Gentilis Ord. fr. Praedicat. Episcop. Bosanen. hic fuit Capellanus Caroli V. Imperat.

Ind. Sas. 1541. Coquinas fu saccheggiata e distrutta dai Mori.

1538 Nicolaus Cano creatus Eps. Bosanen.

1541 pridie non. julii Balthassar de Heredia Ord. Praed. Eps. Bosanen. sedit annos octo, et translatus fuit ad Ecclesiam Caral. Hic synodo Trident. sub Julio III. interfuit.

1549 XVI. kal. decembr. Vincentius De-Leone Ord. fr. Carmelitarum Eps. Bosanensis sedit annos sex.

1555 IV. non. maii Antonius Pintor Caralitanus Eps. Bosanen. sedit annos decem et septem, et obiit Sassari in Concilio Provinciali existens. Hic omnes reditus Episcopatus pauperibus et Ecclesiae dum vixit distribuit vivens in paupertate cum parva familia inter suos clericos, non secus atque unus ex illas, sindonem nunquam indutus.

1529 Ludovicus Gonzalez Episcopus Emporien.

1538 non. junii Georgius de Arteca Eps. Lauden. translatus ad Epm. Emporien.: sedit annos septem.

1545 Ludovicus de Cotes Eps. Emp. sedit an. decem et septem.

1521 Andreas Sanna Eps. Usellen. sedit annos triginta tres, et translatus fuit ad Ecclesiam Arboren.

Infrascripti praesides fuere in Sardinia.

1516 Angelus de Villanova P. R. secundum.

1529 Martinus de Cabrera Sardiniae P. R.

1534 Antonius Cardona frater Ducis Cardonae Sardiniae P. R.

1549 Hieronymus Aragall Praeses Sardiniae.

1553 XVI. kal. apr. Laurentius Ferdinandus de Heredia Sard. P. R.

1551 Antonius Cardona Prorex secundum.

1524 Franciscus de-Sena Gubernator Logudori, et . . . . Gambella progubern. Francisco absente.

1530 Franciscus de Gerorde Rebolledo Proguber. Log. Franc. de-Sena absente.

1534 Onuphrius Cardona progubernator Logudori absente Francisco de-Sena.

1536 Franciscus Centella Logud. Proguber. decem dierum.

1538 Didacus De-Sena Progub. Logudori absente Francisco ejus fratre.

1546 Joannes Cariga Progubernator Logudori absente Francisco, et Didaco suspenso.

1552 Franciscus de Alagon Gubernator Logudori.

1553 Gueraus Satrilla Gubernator Logudori.

1554 Antiochus Bellit Guber. Logud.

Eod. anno de mense novembris Johannes Fabra Gubernator Antiocho Bellit absente.

Molti di sardi che andavano nella Lombardia per guerreggiare per Spagna, o congedati o disertori, prendeano come venturieri servizio sotto altre bandiere. Sappiamo che nel 1536 Torresano da Cuneo di parte guelfa saputi i disastri dell'imperat. nella Provenza ingrossò le sue bande conducendo a suoi stipendi Calabresi sardi corsi e Piemontesi tutta gente rotta ad ogni nequizia, e accozzatine due mila e partitili sotto 13 insegne si tenne come colonnello di Francia nell'esercito di Guido Rangone, capitano italiano in servigio di Francesco I. Il march. del Vasto comandò al mar. di Saluzzo di correr sopra il Torresano, il Saluzzo lo incontrò con le sue bande e lo sconfisse. Storia di Saluzzo e di suoi marchesi. Muletti.

INDEX

LIBER III.

LIBER IV.

			ERRATA	CORRIGE
pag. 8	lin.	23	in Sardiniam	in Sardinia
9	»	10	praebeatur ut	praebeatur, et
10	»	12	Sardorum	Sardoum
—	»	15	quosque	quousque
19	»	32	hostium	ostium
21	»	24	fideis	fidei
22	»	15	XII	XII millia
29	»	7	Barlai	Ballai
29	»	25	opes	ope
32	»	31	Comitatas	Comitatus
34	»	6	1340	1342
37	»	11	1330	1350
55	»	32	impeditis	impeditus
61	»	16	Pontius	Pancia
64	»	16	Ampurien	Emporien
79	»	11	Stragulentis	Stragulensis
85	»	27	minutissima	munitissima
92	»	1	defunctis	defuncti
95	»	26	Fride	Fridae
104	»	9	Arborae	Arboreae
106	»	21	perfruebatur	perfruebantur
109	»	29	anno	annum
111	»	6	1040	1440
113	»	37	jurare	jurare decrevit,
117	»	29	nepotibus	neptibus
131	»	11	copiis;	copiis,
136	»	2	pecuniariam	pecuariam
146	»	17	Sarraconen	Tarraconem
149	»	7	infrascriptis	infrascripti
152	»	17	delactis virs	delectis viris
159	»	18	Oristaniete	Oristani et

Ceteris quae typographus peccavit lector benignus indulgeat.

SUPPLIMENTO

ALL' ELENCO

DE' SIGNORI ASSOCIATI.

Torino

Ferrero Della-Marmora Alberto Cav. de' SS. Maurizio e Lazzaro ecc. Colonnello nel Corpo Reale dello Stato Maggiore.

Cagliari

Caboni D. Stanislao Giudice della Reale Udienza.
Collu Fra Vincenzo Lettore de' PP. Predicatori.
Cossu Teologo Demetrio.
Degiovanni P. Alberto delle Scuole Pie.
Mannu D. Francesco (eredi di)
Tore D. Ant. Raimondo Arcivescovo *per copie* 5.
Tuveri Gio. Battista.
Zucca medico Giovanni prof. di Clinica.

Barumini

Cancedda Pier Didaico Vice Parroco.

Bitti

Diana Domenico Pievano.
Satta Angelo Rettore d' Oruni.

Nuoro

Aru Avv. Giuseppe Regio Prefetto della Provincia.
Asproni Dott. in Leggi Giorgio.
Coronas Sacerdote Silvestro Baccell. in Teol. V. Presidente del Seminario.
Dore Canonico Melchiorre Rettore di Posada.
Floris Teologo Giovanni Canonico Teologale.
Pirori Pro-Dott. Pietro.

Oristano

Bua D. Gio. Maria Arcivescovo Cav. G. C. decorato del Gran Cordone *per copie* 3.
Floris Canonico Teologo Giovanni.
Floris Palmas Tomaso Avvocato Fiscale.
Scanu Giuseppe Vicario di Riola.
Scintu Canonico Teol. Salv. Angelo Segretario di Monsignore

Otzieri

Frassu Quirico Beneficiato.

Sassari

Caboni D. Giovanni Reggente della Reale Governazione.

Tempio

Scano P. Eduardo delle Scuole Pie.

Vincenzo Barelli

CIRCONDARIO DI SARDEGNA.

PROVINCIA DI SASSARI.

ISOLA ASINARA.

1. 27. Granito con feldspato bianco, quarzo bigio e mica nera, di grana di mezzana grossezza, e di apparenza un po' *alterata.*

2. 55 —— Di grossi elementi, colla mica bianca argentina in grandi lamine e feldspato bianco.

3. 75. —— Con feldspato bianco, quarzo bigio e mica bianca argentina, di grana più fina di quello indicato al N.º 1-27 e un po' *alterato*.

4. 385. —— Con grossi elementi, colla mica bianca di larghe lamine, cristalli di tormalina, uno dei quali contiene un piccolo cristallo di quarzo, e questo ne racchiude un altro piccolissimo di titano rutile?

5. 334. Gneiss colla mica argentina, mista alla nera, ed in piccole scaglie.

Il granito ha una parte distinta nelle formazioni dell' isola di Sardegna e delle adiacenti, e si mostra a scoperto sopra una gran porzione della catena principale, ove ei forma masse considerabili verso la parte settentrionale dell' isola, e lungo la costa orientale e meridionale.

Questa roccia si trova pure nella massa occidentale, mostrandosi, di preferenza, nei dintorni di Pula, Arbus, Villacidro, Guspini e Gonnos.

Gli elementi che compongono il granito sono assai variati. Il colore del feldspato sta tra il bianco ed il rosso, mentre il quarzo conserva costantemente l'ordinario suo aspetto bianco-livido. La mica, comunemente nera, rendesi poco sensibile alla vista per la somma sua scarsezza: alla quale particolarità si vorrebbe da taluno attribuire la quasi totale mancanza del gneiss nelle montagne della Sardegna.

Invece della mica vedesi sovente l' anfibola, raramente il talco, e quando ciò accade, il feldspato finisce per scomparire, dando luogo ad una roccia quarzo-talcosa, generalmente poco comune. Nel percorrere la pendice orientale della catena principale si osservano, oltre a molte brecce feldspatiche, delle rocce di quarzo compatto, di sienite, di grünstein, e di porfido euritico, rosso e verde in banchi intercalati nel granito.

Fra queste diverse rocce le più comuni sono quelle di porfido euritico, le quali si presentano sotto la forma di banchi; accade pur talvolta che il porfido cambiasi in granito, e si rimane subordinato. Questi porfidi sono reputati da taluno come immensi filoni paralelli, che volgendosi da maestro a scirocco si propagano per lunghe distanze. Le sostanze che si trovano contenute nel granito si riducono alle seguenti. Il calcareo in masse sovrapposte al granito; il quarzo che vi forma vari filoni nell'isola della Maddalena ed a Villacidro; i graniti in massa nelle montagne di Pula e nella Val d'Oridda: l'anfibola, unita sovente al feldspato, la quale si mostra sotto forma di filoni d'uno o più decimetri di spessezza, i quali, posti a piccola distanza l'uno dall'altro, mostrano una quantità di zone paralelle come a Guspini e Gonnos: il talco: l'epidoto granellare, che accompagna i filoni metallici di Patada e quelli del monte Oro nell'Ogliastra.

La mica che trovasi col minerale ferrifero di Spinarda, montagna di Pula, il serpentino, l'ar-

gento a Bari in un colla pirite di rame, nel porfido rosso, che fa parte del terreno granitico di quelle montagne: il rame allo stato di pirite in Arzana ed in Bari: il ferro ossidulato ad Arzana, Pattada, Orani in Val Oridda, e nelle montagne di Pula e finalmente le acque termali a Benetutti.

Veggasi anche l' opera del signor cav. Alberto della Marmora *Voyage en Sardaigne*, cap. 4.

I graniti suddetti sono atti a bei lavori, e possono adoperarsi nella fabbricazione. Pare che i Romani gli abbiano impiegati nella formazione delle colonne del Panteone, presso Luongo-Sardo, ove se ne vedono ancora due, *sopra luogo*, abbozzate, non per anco totalmente staccate dal masso. La vicinanza di questo granito al mare, dà un mezzo facile per trarne partito, e trasportarlo in Terra Ferma.

MONTI DELLA NURRA.

6. 208. Scisto talcoso.

Forma l' ossatura dei monti della Nurra; è soprapposto al granito, e volgesi talvolta in *filade*, in scisto-ardesia, ed è sovente attraversato da numerosi filoni di quarzo, che sono così vicini gli uni agli altri, che danno, talora, allo scisto l'aspetto del gneis.

7. 307. —— Che cangiasi in ardesia.

Dell'*Argentiera*.

8. 422. —— Talcoso-ardesiaco, d'ottimo uso per i tetti.

Della cava esistente a poca distanza dal mare, già accennata dal Fara e rimessa in coltivazione nel 1829; promette ottimi risultamenti. Essa è situata sulla costa occidentale dell' isola, nel sito denominato il *Fornello*, tra *Capo Negretto* e la punta dell'*Argentiera*. La concessione fu accordata dalla città di Sassari, alla quale appartiene quel distretto, ai fratelli Fogu, per lo spazio d' anni 10, mediante un'annua retribuzione del 6 per cento, salva la franchigia pel primo biennio. Gli strati inclinano di 45 gradi circa verso greco, e sono attraversati da una vena di quarzo bianco opaco della spessezza di metri 0,22 che li taglia ad angolo retto.

9. 283. Piombo solforato, argentifero, e zinco solforato, in una matrice di quarzo e ferro ossidato; diede all' analisi docimastica da once 1. 1/3 a 3 1/2 di argento per ogni quintale di piombo, peso di marco.

Trovasi presso il porto di s. Nicola, montagna detta dell'*Argentiera*. V' hanno due antiche escavazioni, una affatto ripiena e l' altra aperta fino ad una certa profondità, e ripiena verso il fondo: nelle pareti di quest' ultima si mostra il minerale suddetto. Verso l' imboccatura dello stesso Porto si vede una fonderia rovinata, e si riconosce, che a malgrado della mancanza dell' acqua, vi si operarono fondite considerabili: si suppone perciò che si approfittassero del vento per dar moto ai mantici.

Questo minerale, in altre analisi successive, ha dato uno svariato prodotto dal 9 al 27 per cento in slicco, dal quale si è ricavato il 72 per cento in piombo metallico, con un tenore variabile da once 1/2 a 3. 1/2 d'argento per ogni quintale (peso di marco). La vicinanza del mare ne renderebbe agevole il trasporto altrove.

10. 301. Ferro solforato.

Si trova sul rovescio della punta dell'*Argentiera*, nel luogo denominato *Rocca dell'Oro*.

CASTELSARDO.

11. 90. Calcareo madreporitico, detto pietra *stellaria*,
12. 93. col cemento calcareo, bigio scuro e le madrepore allungate.

CASTELDORIA.

13. 167. Calcedonio bruno-rossigno.

SASSARI.

14. 250 Agglomerato di noccioli di quarzo in una pasta calcareo-terrosa, soprapposto al terreno di trachite.

Dei dintorni di Sassari.

15. 253. Calcareo conchiglifero, terroso, di colore bianco-lívido, immediatamente soprapposto all' agglomerato suddetto, e più o meno terroso (*ivi*).

16. 254. —— Conchiglifero, terziario, in cui gli enti organizzati sono ben conservati.

Della collina di Sassari.

Il calcareo conchiglifero, più o meno terroso e che passa, talvolta, alla marna, formando masse considerabili, principalmente nei dintorni di Sassari e di Cagliari, ricopre ordinariamente un agglomeramento della stessa natura, coi noccioli quarzosi, trachitici, ecc. secondo le qualità delle rocce, più o meno antiche, che lo avvicinano. Serve, questo calcareo, di pietra da calce e da scalpello.

ÒSILO.

17. 222. Trachite di color fosco, tendente al basalte.

18. 223. Porfido trachitico, rosso, terroso.

PÈRFUGAS.

19. 242. Tufa di trachite, soprapposta al trachite porfiroide.

Trovasi tra Pèrfugas e Martis.

20. 243. Selce piromaca, bigio-scura.

Si trova a zolle ed in banchi nell'arenaria suddetta e se ne fanno le pietre focaie.

21. 244. —— Come la precedente e ridotta a pietre focaie.

MARTIS.

22. 245. Selce piromaca, bianco-livida.

Trovasi presso la sopraccennata, sul territorio, però, di Martis.

23. 306. —— Piromaca bruna, attraversata dalla selce idrofana.

Bellissimo esemplare.

24. 539. Breccia di selce piromaca rossa e bigio-scura, in cemento della stessa sostanza.

La selce piromaca trovasi nei terreni trachitici come il diaspro, ed in abbondanza nei dintorni di Martis e di Pèrfugas e il più sovente in massi rotolati di colore nero, bigio, rosso, bianco e talvolta tendente all'azzurrognolo. Non è raro il vedere riuniti insieme questi colori, come nel precedente saggio, e formare una bellissima breccia. A Martis se ne fabbricano le pietre focaie, ma la consumazione è poca: esse dimostrano ancora la rozzezza degli artefici.

Il trachite poi si lega, da una parte, quasi al granito, mentre dall' altra va a perdersi sotto ai terreni calcarei. Le rocce trachitiche sono forse quelle, che, dopo il granito, prendono maggiore estensione in Sardegna. Le masse loro arrivano sovente a 1000 metri d'elevazione sopra del livello del mediterraneo: esse si distinguono per la bizzarria della loro forma allungata, e per l'uniformità dei loro gioghi, molti dei quali vengono ristretti da ripidi fianchi, e da difficili, e talvolta inaccessibili balze, terminate da vasti piani orizzontali, che posti pressochè a uno stesso livello, percorrono spazi considerabili: sovente ancora formano soluzione di continuità, oppure si alzano a guisa di coni sopra del fondo delle valli, ove giacciono. Le rocce trachitiche si mostrano d'ordinario in massa, ed offrono un gran numero di varietà, cioè il granitoide, il porforoide, il quale forma dei prismi assai bene terminati nell' isola di s. Pietro; il grossolano, che serve come pietra da scalpello, il cellulare, la pietra pomice, il terroso, la breccia, che forma per lo più le falde delle montagne trachitiche, aumentandone la mole; il tufa e forse ancora una specie d' arenaria, della quale si veggono in alcuni luoghi delle masse di qualche riguardo.

Il trachite contiene, inoltre, la calce cristallizzata, le selci piromache suddette, le agate, il quarzo resinite, il calcedonio, il ialite, i diaspri, le ossidiane nere e le perlate di color verde e rosso, la stilbite, la cabasia cristallizzata e filamen-

tosa, l' analcima, il mesotipo, il ferro micaceo, ed il solforato, il solfato d' allumina e quello di ferro e parte delle acque acidule e solforose di quel regno.

25. 246. Diaspro fasciato, col fondo di colore pavonazzo e le linee bige, d' un bellissimo effetto.

26. 255. Calcareo conchiglifero

Dei dintorni di Martis.

27. 224. Roccia porfirica, oscura, con noccioli di feldspato bianco, e colla pasta che sembra essere di fonolite.

Di *s. Anatolia*, chiesa rurale, che trovasi tra Pèrfugas e Martis.

28. 225. Porfido colla base di retinite, con cristalli di feldspato, in una roccia porfiroide, il tutto formante un agglomerato di grossi pezzi.

Si trova colla roccia precedente.

29. 226. —— Come il precedente, ma più celluloso (*ivi*).

30. 227. Porfido terroso dei terreni di trachite, accollato al porfido trachitico.

Questa è la pietra, di cui servonsi per fabbricare le case, cioè pietra da scalpello.

Le rocce porfiriche euritiche sono abbondantissime nei terreni trachitici, variano di forma e di colore: talvolta presentano l'aspetto prismatico come il basalte. Nella parte settentrionale dell' Isola diviene meno duro, ed è la così detta *Pietra da Cantone* ossia da scalpello per la fabbricazione delle case: passa quindi ad un tufa della stessa natura di color vario, ed avente la forma d' un agglomerato a noccioli più o meno grossi. (Vedi N.° 19-242, arenaria di trachite di Pèrfugas).

PLOAGHE.

31. 381. Legno petrificato, selcioso e bituminoso.

Trovasi in un calcarco terziario, simile a quello di Cagliari.

CODRONGIANUS.

32. 261. Tufo calcareo ossia *travertino*, d'onde escono quelle acque acidule.

ITERI.

33. 100. Diaspro fasciato, di colore tendente al pavonazzo.

34. 103. Calcedonio dendritico manganesiaco.

Nel tufa trachitico, ossia agglomerato, indicato al N.° 14-250 (Sassari) ed accennato nella nota sottopposta al N.° 24-539 (Martis) trovansi in istrati subordinati, il diaspro, in abbondanza, nei dintorni di Martis, d' Iteri, d'Alghero, dell'isola s. Pietro, ecc.; le agate, i calcedonii, e le cornaline *alla Speranza* presso Alghero, a Bosa, ecc.; le stilbiti e gli analcimi a Monastir; le agate i calcedonii e le cornaline presentano un bellissimo ramo d' industria, ove si volesse trarne partito; imperocchè sono in massi grossi e suscettivi di qualunque bel lavoro: mostrano talvolta nell' interno, dendriti manganesifere, d' un ottimo effetto.

35. 113. Diaspro di colore verdiccio, che varia nel rosso-cupo.

36. 114. —— Di colore rosso-bruno.

37. 117. —— Di colore rosso-carico.

38. 140. —— Fasciato, di colore tendente al pavonazzo, con linee paralelle sottili, più chiare e di un bellissimo aspetto.

39. 152. —— Di colore verde d'*olivo*.

40. 153. —— Rosso bruno, più chiaro del precedente N.° 36-114.

41. 158. —— Fasciato, di colore pavonazzo tendente al bigio.

42. 247. —— D'un colore rosso, sommamente cupo e quasi nero.

43. 337. Diaspro dendritico, d'un rosso molto carico.

44. 446. —— Rossigno, di cui s'è scoperto un masso grandissimo.

45. 256. Calcareo conchiglifero, grossolano, con efflorescenze saline, detto, perciò, *Rocca del Sale.*

Trovasi tra Sassari ed Iteri e distante un'ora da questo villaggio.

46. 547. Calce carbonata alabastrina, stalattitica.

Della grotta di Nettuno.

CAMPO GIAVESE.

47. 251. Agglomerato con base calcarea e con noccioli di trachite.

Di Campo Giavese, sopra di *Giave*, sulla strada nuova.

CIRCONDARIO DI SARDEGNA.

PROVINCIA DI OZIERI.

ISOLA DELLA MADDALENA.

1. 202. Granito con feldspato roseo, quarzo bigio, e mica nera, struttura quasi porfiroidea.
Forma il massiccio dell' isola della Maddalena e circostanti.

LUONGO SARDO.

2. 360. Lava porosa, antica (pezzo trasportato dal mare, e rotolato).

ISOLA TAVOLARA.

3. 32. Granito con feldspato roseo, quarzo bigio e mica nera, di struttura quasi porfiroidea.
Trovasi nella parte verso Levante.

TEMPIO.

4. 85. Granito con base di feldspato roseo.
5. 203. —— Con feldspato rosso e bianco, quarzo bigio e mica nera.
Forma la catena dei monti *Lìmbari.*
6. 107. —— Molto micaceo, colla mica argentina, di larghe lamine e poco feldspato.
Dei monti *Lìmbari.*
7. 333. —— Con mica bianca, argentina, in belle lamine.

8. 396. Granito con mica bianca argentina e grossi noccioli di feldspato bianco, di struttura consimile al granito grafico.

9. 221. Porfido trachitico con cristalli di feldspato.

Trovasi di là dal fiume *Coghinas*.

10. 267. Terra talcosa, bianca.

Di Argius, presso Tempio, e che sta sovrapposta al granito.

11. 268. —— Talcosa suddetta, preparata per imbiancar tracolle, bandoliere, ecc.

TULA.

12. 378. Calce carbonata, concrezionata, incrostante.

Della grotta di Tula.

OZIERI.

13. 77. Diaspro rossigno, in mezzo a due scorze quarzose.

14. 182. Calce carbonata, concrezionata.

15. 520. —— Carbonata rossigna, ossia marmo.

16. 240. Tufa di trachite, bianco.

Di Bisarcio, presso Ozieri.

17. 241. —— Di trachite, verde (*ivi*).

PATADA.

18. 298. Ferro ossidulato con quarzo ed epidota verde

Trovasi in filoni nel granito.

Questa miniera forma un filone di metri 0,50, circa, di spessezza, che attraversa il villaggio, mostrandosi allo scoperto presso la casa di Gianni Senis, a metri 50, a tramontana, della parrocchia ed in altra casa demolita, appartenente a Francesco Mandu. La sua direzione è da greco a libeccio. I numerosi ciottoli che si vedono sparsi sul terreno, e la prolungazione, che il filone sembra avere, fanno supporre che il minerale sia assai abbondante. I nativi del paese assicurano, che si mostra allo

scoperto dalla parte inferiore della montagna, nella possessione di D. Antonio Elias, luogo denominato *Su-e-signor-Perdu*, distante 20 minuti circa dal villaggio. Essendo questa miniera vicina alle estesissime foreste del Goceano, ed il minerale assai puro, perchè non è misto con altro, tranne piccola quantità d' epidoto granellare giallo-verdognolo, ed alquanto quarzo, pare che si potrebbe, perciò, coltivare con profitto.

CIRCONDARIO DI SARDEGNA.

PROVINCIA D'ALGHERO.

TERRITORIO DI PUTIFIGARI.

1. 47. Diaspro rosso, un po' screziato della stessa tinta, ma più cupa.
2. 341. Selce piromaca oscura.
3. 342. Quarzo concrezionato in decomposizione, tinto in verde dal rame carbonato.

ALGHERO.

4. 14. Calcedonio ricoperto dal quarzo resinite bianco ed opaco.

Del luogo denominato *La Speranza*, un miglio e mezzo distante da Alghero, verso Bosa. Vedasi la nota apposta al N.° 34-103 (Iteri, provincia di Sassari).

5. 17. —— Mammillare, semitrasparente, di tinta bigia che pende verso la cerulea (*ivi*).
6. 19. —— Mammillare, di tinta più rossigna della precedente e ricoperto dal quarzo resinite, bianco-livido (*ivi*).
7. 20. —— Stalattitico, d' un bigio che volge al ceruleo: bellissimo e grosso saggio (*ivi*).
8. 76. —— Stalattitico, dello stesso colore del precedente, aggruppato in forma di fascio (*ivi*).

9. 142. Calcedonio ricoperto da un leggerissimo strato di cristalli di quarzo (*ivi*).

10. 189. —— Varietà *perigonale* ossia a zone quasi circolari e tratto tratto angolate, formante una specie di geode ripiena della stessa sostanza, e che da taluni fu chiamata calcedonio di *fortificazioni*, perchè offre talvolta, sebbene imperfettamente, l'aspetto della pianta di una fortezza (*ivi*).

11. 191. —— Rossigno mammillare (*ivi*).

12. 198. —— In massa, pulito, ad uso delle arti (*ivi*).

13. 200. —— Incassato in un' arenaria quarzosa (*ivi*).

14. 248. —— Sopra cristalli di calce carbonata (*ivi*).

15. 336. —— Mammillare, colla superficie cosparsa di muriato di soda (*ivi*).

16. 352. —— Pseudomorfico, della forma della calce carbonata *metastatica* (*ivi*).

17. 354. —— Con indizi di corniola (*ivi*).

18. 390. —— Avvolto ad un nocciolo di calce carbonata cristallizzata (*ivi*).

19. 400. —— Sottoposto al quarzo cristallizzato ed alla calce carbonata *romboidale* (*ivi*).

20. 141. —— Dendritico, manganesiaco (*ivi*). Vedasi
21. 249. la nota apposta al N.° 34-103 (Iteri).

22. 146. —— Dendritico, manganesiaco, ricoperto da minuti cristalli di quarzo, levigato da un lato, e di rara bellezza (*ivi*).

23. 369. —— Dendritico, manganesiaco, radiato (*ivi*).

24. 29. Selce piromaca, diasproide, oscura (*ivi*).

25. 34. —— Piromaca, che cangiasi nel calcedonio roseo (*ivi*).

26. 120. —— Piromaca nera con calcedonio (*ivi*).

27. 438. —— Piromaca, d'un bellissimo colore verde. Trovata nel fiume Cantaro presso Alghero.

28. 78. Quarzo in cristalli *dodecaedri* isolati, composti di due piramidi opposte base a base.

Si trovano in un campo, presso Alghero.

29. 96. —— In minuti cristalli sopra il calcedonio.

30. 160. Bellissimo esemplare.

Del luogo suddetto *Della Speranza.*

31. 199. —— Resinite, ricoperto da cristalli di quarzo ialino (*ivi*).

32. 324. —— Oscuro, colorato forse dal manganese e di aspetto terroso, posto fra due strati o croste di calcedonio (*ivi*).

33. 350. Corniola d'un bel rosso carico (*ivi*).

34. 346. Barite solfata, concrezionata.

Della Speranza.

35. 370. Geode calcarea.

Trovansi queste geodi nella terra dell' estinto volcano di *Poligna*, a poca distanza *della Speranza.*

36. 156. Selce piromaca rossa, ricoperta da un lieve strato di calcedonio.

Del luogo di *Poligna.*

37. 345. Barite solfata, cristallizzata, lamellare.

PORTO CONTI.

38. 355. Calce solfata, granellosa (gesso) di grana fina e niveiforme.

Dei monti presso a Porticciolo.

39. 139. —— Solfata, fibrosa, lucente come seta (*ivi*).

40. 367. —— Solfata, bianca, che varia nel roseo, ma di forma scistosa e contenente alcuni cristalli di quarzo (*ivi*).

41. 312. —— Solfata, rosea, granellare (*ivi*).

42. 313. —— Solfata, rosea, granellare, ma più compatta della precedente (*ivi*).

43. 315. —— Solfata, rosea, mista alla bianca (*ivi*).

44. 316. —— Solfata, rosea, fibrosa e lamellare (*ivi*).

45. 317. Calce solfata, bianca e fibrosa (*ivi*).

46. 318. —— Solfata, bigio-scura, struttura scistosa, mista alla bianca, con efflorescenze di muriato di soda (*ivi*).

La calce solfata o gesso non fu trovata finora in altri siti della Sardegna, fuorichè in un terreno della Nurra, non lungi dai luoghi suddetti: se ne rinvennero però dei pezzetti lenticolari nell' asciugamento dello stagno di Serenti, e che sono accennati al N.° 7-571 (Serenti, provincia di Cagliari).

47. 524. —— Carbonata alabastrina, screziata come quella di Busca, provincia di Cuneo, a cui somiglia perfettamente anche nelle varietà dei colori, che sono il rossigno, il lionato, il bianco, il bruno, ecc.

Questo alabastro è di un bellissimo effetto, e non di rado trasparente, come l'agata.

48. 37. Ferro ocraceo.

49. 61. Porfido decomposto?

VILLANOVA MONTE-LEONE.

50. 292. Diaspro scuro, dendritico.

Simile a quello d' Iteri accennato al N.° 43-337 (Sassari).

BONORVA.

51. 252. Agglomerato di calcareo conchiglifero, con noccioli di trachite.

Forma la parte inferiore del calcareo grossolano, sovrapposto al trachite, presso Bonorva.

52. 540. Stigmite bigio-chiara con lamelle *esagone* di mica e feldspato vitreo.

53. 537. Basalte coll' olivina in cristalli.

Del monte *Rosso* e di un cratere moderno presso Bonorva.

In alcuni siti il basalte ricopre la calcarea terrosa, cioè, trovasi al termine delle *formazioni* superiori (Veggasi la già citata opera del cavaliere

della Marmora, cap. IV. pag. 145). Le ossidiane trovansi specialmente in questi basalti con altre sostanze volcaniche. Finora però non si rinvenne ancora l' anfigene. Esse sono vitree a Pau, e perlate a s. Antioco, a Bonorva , ecc.

MONTE PETRA.

54\. 554. Lava porosa antica.

PADRIA.

55\. 163. Ferro ossidato geodico (etite o pietra aquilina).

CHERÈMULE.

56\. 179. Lava porosa con cristalli di ferro ossidato e rame carbonato.

TORALBA.


57\. 264. Lava con noccioli di feldspato bianco ed olivina d' un bel colore verde-chiaro.

Di *Monte Rosso.*

58\. 263. Basalte del monte *Simeon* con l' olivina.

59\. 264. Lava moderna , rossiccia.


Del monte *Simeon* , e che ricopré il basalte antico.



CIRCONDARIO DI SARDEGNA.



PROVINCIA DI NUORO.



ILLORAI.

1. 500. Scisto talcoso maclifero.

ORANI.

2. 391. Rame e ferro solforati.

FONNI.

3. 290. Piombo solforato con barite solfata.

Della montagna detta di *Corru-Boi.*

Sulla serra di *Corru-Boi*, che mette in comunicazione le due pendici della grande catena orientale, si scorge una vena di barite, di due metri, circa, di spessezza che, incassata nel calcareo di quella montagna, segue la direzione generale della stratificazione da greco a scirocco, senza inclinazione apparente.

Essa contiene galena di larghe scaglie, assai disseminata nella massa. S'intraprese, non è molto, la coltivazione di questa miniera da un concessionario, che fu poscia costretto di abbandonarla, a cagione d' uno scoscendimento, che ne ha sotterrati i lavori. V' ha chi assicura che vi si trova un filone di qualche riguardo.

MAMOJADA.

4. 347. Calce carbonata, lamellare, perlata.

Trovasi alla madonna di *Gonnara*, tra Nuoro, Mamojada e Sarule.

5. 398. —— Carbonata, tavolare, aggruppata in vari

versi, cosparsa di cristalli di quarzo, con altri di calce carbonata, alcuni dei quali appartengono alla varietà *prismatica lamelliforme*. Bellissimo esemplare.

Della madonna di *Gonnara*.

6. 469. Steatite bigia, d' apparenza alquanto scistosa (*ivi*).

DORGALI.

7. 542. Calce carbonata, oolitica, compatta, bianca.
8. 543. —— Carbonata, stalattitica, fistolare.

CIRCONDARIO DI SARDEGNA.

PROVINCIA DI CUGLIERI.

TERRITORIO DI BOSA.

1. 111. Agata di color pavonazzo chiaro, screziata di bigio e talvolta di tinta rossigna.
2. 413. Calcedonio con cristalli di quarzo.
3. 442. —— Cornioloide.

Di *s. Giorgio*, presso Bosa, ove se ne trovano pezzi di enorme grossezza.

4. 464. —— Bigio.
5. 161. Legno petrificato, come quello accennato al N.° 31-381. (Ploàghe, provincia di Sassari).
6. 388. —— Petrificato, che sembra appartenente ad una specie di pino e ridotto in petrificazione dalla calce carbonata.

SILANUS.

7. 116. Bardiglio d' un bigio che volge all' azzurro. Questo calcareo è d'ordinario assai compatto e di tinta azzurrognola.

Nei dintorni di Quirra, Mandas e Silanus s'incontra frequentemente.

8. 216. Calcareo.

Trovasi frapposto allo scisto micacco ed al bardiglio.

9. 219. —— Compatto.

Si vede sopra del castello di Quirra e varia in bardiglio.

10. 170. Antracite.

Trovasi in filone nello scisto sottoposto al bardiglio suddetto.

11. 209. Scisto talcoso, antracitoso.

In esso si trova l' antracite suddetta.

12. 210. —— Come il precedente, ma più antraci-
13. 382. toso (*ivi*).

14. 228. Arenaria verde, di trachite.

Dei dintorni di Silanus e della montagna *Santo Padre*, sopra di Bortigali.

15. 521. Steatite bigia.

SANTO LUSSURGIU.

16. 265. Lava porosa.

17. 266. —— Meno porosa della precedente.

18. 536. Domite bigia, o lava feldspatica, coi cristalli di feldspato vetroso (veggasi la nota apposta al N.° 24-539, Martis, provincia di Sassari).

CUGLIERI.

19. 270. Breccia di quarzo con noccioli di diaspro.

Presa fuori luogo, vicino alla *Cartiera*, presso Cuglieri.

20. 361. Lava porosa.

Del luogo denominato *s. Catterina di Pittinuri.*

21. 399. Agglomerato conchiglifero.

Trovasi in vicinanza del lido (*ivi*).

22. 569. Argilla bianca proveniente da una domite decomposta.

Del monte sopra Cuglieri.

SÈNEGHE.

23. 291. Ferro oligista, micaceo, argentifero.

Di *Monte Ferro.*

24. 236. Roccia di trachite.

Forma il *Monte Ferro*, ove trovasi la miniera suddetta.

25. 237. —— Di trachite, come la precedente, ma più decomposta.

Formante la roccia che tocca immediatamente il minerale (*ivi*).

26. 238. —— Alluminifera, contenente solfuro di ferro.

Forma il letto ed il muro della miniera suddetta e mostra efflorescenze d' allumina solfata.

27. 239. Allumina solfata raccolta dalla roccia precedente e contenente un po' di ferro solfato.

La miniera suddetta è situata nelle montagne trachitiche di Sèneghe, distante brevi ore dal villaggio e ad egual distanza dal porto di *s. Catterina di Pittinuri*.

Il minerale consiste in ferro micaceo: esso si mostra a scoperto sulla diritta d' una piccola valle accessibile ai carri, e bagnata da un piccolo ruscello che non rimane però mai a secco.

La vena metallica ha da' due ai tre metri di spessezza ed è stata saggiata in tre diversi punti. Il punto inferiore, che è al tempo istesso il più conseguente, consiste in una galleria di 10 metri di lunghezza su due di larghezza, e 4 a 5 di altezza, stata effettuata nella spessezza istessa del filone, la cui direzione a maestro, in una posizione pressochè verticale, sembra paralella ai banchi della montagna, quivi poco apparenti; gli altri due punti non offrono alcun vantaggio. Il *cadente* ed il letto sono formati dal quarzo, sovente ricoperto da un' efflorescenza di solfato di ferro, cui ne sovrasta, d' ordinario, un' altra di solfato di allumina. La pirite marziale non si scorge nell' interno delle fosse, essa si trova, però, sulla sinistra della valle, pochi passi distante dalla miniera.

Il minerale si mostra assai puro: esso vi è sotto la forma di piccolissime pagliuole che volgono alla forma lenticolare. I lavori che si vedono sembrano di qualche importanza, avendo potuto alimentare

le fabbriche che vuolsi sianci state in quei dintorni.

Il minerale di *Monte Ferro* darà sempre un cattivo metallo, siccome però può venir esso trattato con poca spesa, con il metodo *Brossasco*, il quale, oltre all' essere di una gran semplicità, richiede una piccolissima quantità d' acqua ed un capitale di 10 a 12 mila lire nuove al più per le fabbriche; sarebbe perciò utile il procurarne la coltivazione, se si potesse trovare facilmente a Cuglieri od altrove, una società di azionisti , che ne assumesse l' impresa.

Il piccolo ruscello che scorre a piè della miniera sarebbe sufficiente per questa specie di lavoro.

I numerosi boschi, che ricoprono quelle montagne, possono agevolmente alimentare più opifizi di tal sorta , ognuno dei quali impiega appena cinque o sei operai.

CIRCONDARIO DI SARDEGNA.

PROVINCIA DI BUSACHI.

TERRITORIO DI TONARA.

1. 25. Lignite con efflorescenze di solfato di ferro.
Trovasi presso alla montagna di *Genargentu*, fra due strati d' argilla, che riposano sopra un agglomerato quarzoso, sovrapposto al micascisto.
2. 272. Argilla.
Trovasi sovrapposta alla lignite suddetta.
3. 273. Arenaria calcarea compatta.
Sta sovrapposta all' argilla suddetta.
4. 519. Calcareo magnesiaco, appartenente alla formazione secondaria.
Forma masse considerabili e riposa sull' arenaria sopr' indicata, e domina in quel *sistema*.
5. 176. Scisto argillo-talcoso.

SAMUGHEO.

6. 28. Roccia trachitica, contenente vene di diaspro.
Trovasi poco distante da *Laconi*.
7. 508. Trachite verde, terroso.
8. 509. Agglomerato trachitico verde.
9. 511. Trachite bruno tendente al bigio.
10. 517. Roccia euritica, rossa, quarzosa, con cristalli di quarzo e forse di zirconi.
11. 127. Lava bigia.
12. 50. Scisto lamellare, talcoso.
13. 177. Calcedonio che volge alla tinta pavonazza.

14. 201. Calcedonio bigio.

15. 178. Quarzo cristallizzato sul calcedonio.

16. 178. Granito talcoso.
bis Trovasi prima d' arrivare al castello.

17. 181. Calce solfata in pezzi che paiono poliedri.
Trovasi di là dal fiume.

18. 501. Porfido verde.
Di esso è formato il selciato del castello di Samugheo. Pare antico e trasportato colà al tempo che si fabbricò quel castello.

BAULADU.

19. 311. Rame metallico o rosetta.
Rinvenutosi nel formare la gran strada che attraversa da un capo all' altro la Sardegna. Sottoposto all' analisi diede un minimo indizio d' argento. Questo metallo proviene, forse, da qualche antica *ramiera* che trovavasi colà nei tempi andati.

VILLA URBANA.

20. 499. Calce carbonata, *romboidale*, coperta da cristalli di quarzo.
Trovasi presso Villa Urbana.

SIA-PITIA.

21. 538. Ossidiana porosa, bruna, con cristalli di feldspato.
Forma il passaggio dall' ossidiana alla lava, e trovasi colà in istrati.

NARBOLÌA.

22. 302. Ferro solforato.
Del luogo denominato *Rocca di Fra Matteo*, nelle vicinanze di Narbolìa.

OGLIASTRA.

23. 104. Bardiglio (calce carbonata bigia).
Della cava vecchia di Monte Santo.

24. 105. —— Come il precedente.
Della cava nuova (*ivi*).

25. 303. Ferro solforato.

Del luogo detto *Salti di Villa Grande.*

PAU.

26. 22. Ossidiana vitrea, nera.
27. 526. Retinite.

Passa nello stato di ossidiana.

MORGONGIORI.

28. 448. Calcedonio bianco, opaco, sopra calcedonio trasparente.

Passa nella varietà *perigonale.*

29. 454. Quarzo ialino giallo, con cristalli informi e colorati dall' ocra.
30. 455. —— Ialino, giallo, con calce carbonata, cristallizzata, *romboidale*, colorato dall' ocra.
31. 458. Calce carbonata, *romboidale*, di bella trasparenza.
32. 495. —— Carbonata, avvolta in una crosta di calcedonio.

CURCURIS.

33. 553. Lava porosa antica, con cristalli di ferro ossidulato.

ALES.

34. 475. Ossidiana vitrea, nera.
35. 555. Retinite che passa nello stato d' ossidiana.
36. 453. Calce carbonata, *romboidale.*

POMPU.

37. 498. Diaspro scuro.

MASULLAS.

38. 387. Calcedonio bigio, mammillare, sopra il calcedonio ceruleo in massa. Grosso pezzo.

39. 389. Calcedonio ceruleo, in grosso masso, ricoperto da bei cristalli di quarzo ametistino e dal quarzo bianco. Bellissimo esemplare.

40. 428. Geode di calcedonio coi cristalli di quarzo
41. 411. ametistino.

42. 429. Quarzo in cristalli che volgono al violaceo sopra il calcedonio.

Del luogo detto *il salto di Masulla.*

43. 412. Geode di cristalli di quarzo sul calcedonio (*ivi*).

44. 415. Quarzo ametistino, cristallizzato sopra il calcedonio.

45. 417. —— Giallognolo, cristallizzato sopra il calcedonio.

46. 434. —— Cristallizzato sul calcedonio.

47. 435. —— Cristallizzato sul quarzo resinite.

48. 463. —— In cristalli gialli sul calcedonio.

49. 476. —— In grossi cristalli sopra la base di calcedonio. Pezzo colossale.

50. 481. —— Rubiginoso, fra due scorze di calcedonio, con impronte d' altri cristalli.

51. 488. —— Nericcio, polito, e naturalmente levigato, simile a quello che trovasi nella valle d' Aosta, al Gran s. Bernardo.

52. 433. —— Diasproide, oscuro, ricoperto da una corteccia terrosa.

53. 461. —— Diasproide verde.

54. 502. —— Diasproide rossigno, chiazzato di verde.

55. 421. Geode di cristalli di quarzo sul calcedonio oscuro.

56. 427. —— Di cristalli di quarzo, con nocciolo di calce carbonata, *romboidale*.

57. 462. —— Di cristalli di quarzo giallognolo sul calcedonio.

58. 419. Calcedonio ceruleo in bei pezzi.
59. 420. —— Ceruleo tendente più al bigio, ricoperto da cristalli di quarzo. Pezzo colossale.
60. 456. —— Ceruleo che volge al pavonazzo, in forma tavolare.
61. 480. —— Che racchiude un gruppo di calce carbonata, cristallizzata e quarzo rubiginoso.
62. 537. —— Mammillare, bianco, opaco.
63. 530. —— Rossigno, che volgesi in selce piromaca.
64. 447. —— Bianco, opaco, sopra il calcedonio più oscuro e trasparente e che passa nella varietà *perigonale*.
65. 452. Geode di calcedonio, con cristalli di quarzo e calce carbonata.
66. 533. —— Grossa di calcedonio di varie tinte, con cristalli di quarzo ialino.
67. 532. —— Di calcedonio con cerchio interno rosso, che s'assomiglia al colore di corniola ed intonacata, internamente, di cristalli di quarzo.
68. 477. Diaspro verde.
69. 478. —— Che volgesi in selce piromaca.
70. 484. Agglomerato diasproide, di colore óscuro, con macchie piccolissime, rosse, bianche e bige.
71. 440. Selce piromaca, ricoperta da cristalli di quarzo ametistino.
72. 545. —— Piromaca, diasproide, bigia, a zone.
73. 531. Corniola ricoperta dal quarzo.
74. 424. Calce carbonata, mista al calcedonio.
75. 425. —— Carbonata, *romboidale*, gialla, trasparente.

Trovasi verso Gonoscodina.

76. 426. —— Carbonata, mista a cristalli di quarzo.

77. 449. Calce carbonata, *romboidale*, ricoperta dal quarzo cristallizzato, rossigno.

78. 450. —— Carbonata, *romboidale*, mista al quarzo cristallizzato ed al calcedonio.

79. 451. —— Carbonata e quarzo, colorati ed avvolti in una corteccia di calcedonio.

80. 457. —— Carbonata *romboidale*, giallognola, diafana.

Trovasi tra Uras e Masullas.

81. 496. —— Carbonata, lamellare, bruna.

Trovasi verso Gonoscodina.

ORISTANO.

82. 118. Lava porosa.

Si rinviene dalla parte d' Uras.

83. 514. —— Porfirica.

84. 304. Ferro solforato.

Si trova nei dintorni d' Oristano.

URAS.

85. 363. Lava spugnosa.

86. 522. —— Porosa, bigia e rossigna.

87. 405. Ossidiana vitrea, nera, in pezzi arrotolati.

Dei dintorni d' Uras, in Campidano

88. 408. Calcedonio in forma tavolare.

Del Campidano.

89. 409. —— Con quarzo.

Dei campi d' Uras.

90. 436. —— Bigio della varietà *perigonale*.



CIRCONDARIO DI SARDEGNA.

PROVINCIA DI LANUSEI.

TERRITORIO DI TALANA.

1. 60. Concrezione quarzosa con rame carbonato, che le dà l'aspetto di malachite.

2. 288. Piombo solforato, argentifero, con zinco solforato in una roccia talcosa.

Si suppone essere quella che arricchì certo Vicario Pisano.

3. 289. Roccia da granati e talcosa.

Accompagna il minerale suddetto.

La miniera trovasi nel sito chiamato *Su zipiri*, distante un' ora a ostro di Tàlana e sul pendio d' una montagna, alle cui falde scorre un ruscello che va ad unirsi con quello detto *Rio di Tortoly*, un po' sopra di Orcesia. Il filone di galena a piccole faccette, mista all'anfibola ed alla blenda, in una matrice talcosa, è incassato nello scisto micaceo, che sembra tagliarne uno più grande, di un metro circa di ampiezza, ad angolo retto. Il minerale diede il 19 per cento in slicco, da cui si ricavò il 75 per cento in piombo, ed oncc 4. 4/5 in argento per ogni quintale, peso di marco.

4. 473. Piombo solforato, con zinco solforato, ferro ossidato e granati.

Questa miniera trovasi a Orcesia, due ore distante, a libeccio di Tàlana. Il minerale è una galena di piccolissime faccette, mista di blenda e di ossido di ferro, in una matrice di granati. Il filone è incassato nello scisto micaceo ed inclina a greco

La sua ampiezza è di 3 a 4 metri e potrebbe essere coltivato con tanto maggior vantaggio, in quanto che la sua ricchezza in argento è considerabile. Egli è ben vero che i campioni non hanno dato oltre al 3 per cento in slicco per mezzo della lavatura; ma oltrechè non si è tenuto conto delle perdite, alle quali si va soggetti in tale operazione, il minerale così lavato ha somministrato il 74 per cento in piombo, da cui si sono ricavate once 16 d' argento per quintale, peso di marco.

Il filone pare essere stato messo a scoperto per mezzo di una escavazione di 4 a 5 metri, fatta sui pendio di una collina che ha di là dai 30 gradi d' inclinazione, come la maggior parte delle pendici orientali di quelle montagne. Siccome però questa ricerca è insufficiente, per esaminarlo, fa d' uopo di lavori più vasti e più profondi.

La riduzione del minerale potrebbe operarsi nel sito ove sono gli avanzi della fonderia, stata incominciata nel 1767 per la fusione del ferro ossidulato di Arzana, mettendo in comunicazione questi duo luoghi per mezzo d' una strada facile a praticarsi lungo il ruscello, che scorre a piè della miniera e che porta il nome di *Rio di Tortoly*.

5. 305. Ferro solforato in roccia quarzosa.

6. 331. Del luogo di *Zippìri*, distante un'ora da Tàlana. Anche questa miniera pretendesi essere stata la sorgente della ricchezza del fu Vicario Pisano, di cui si parlò al N.° 2-288. Sottopostosi questo minerale all' analisi non produsse che un indizio da nulla d' argento.

7. 472. Rame piritoso con pirite magnetica.

ARZANA.

8. 58. Ferro ossidulato, con ferro solforato ed in-
9. 294. dizi di talco in filoni, nel granito roseo decomposto.

Nel luogo denominato di *Arredabba*, territorio d' Arzana, nell' Oliastra, un' ora distante dal villaggio, vi è un filone di ferro ossidulato magne-

40

tico d' uno a tre metri d'ampiezza, che alterna coi banchi del terreno granitico, ed inclina leggermente a greco in una posizione pressochè verticale.

Il minerale vi è d' ottima qualità, quantunque misto di alquanta pirite di ferro (quadrisulfuro) e di poca materia terrosa della stessa natura della montagna, nella quale la sostanza metallica sembra insinuarsi.

Pare che questa miniera sia stata lavorata dagli antichi, e venne saggiata a cielo scoperto dalla Compagnia R. nel 1766.

La scavazione, in parte profondata, mostra una apertura di 8 a 10 metri di largo in 5 a 6 di profondità, dalla quale si è estratto il minerale tuttora esistente in prossimità, ove si scorgono pur anco gli avanzi dei forni destinati per la sua abbrostitura. A piccola distanza, sotto del luogo ov' è l' *attacco*, il filone si divide in due rami, che si propagano ad una gran distanza, ricomparendo di fuori alle falde della montagna.

La fonderia stata incominciata nel 1767 trovasi a *Muduleu*, distante un' ora dalla miniera, sulla sinistra d' uno dei rami del torrente *Tortoly*.

Questi due luoghi potrebbero facilmente venir messi in comunicazione tra di essi ed anche colle abbondanti foreste di Villa-grande-Strisaili, ove sussiste tuttora un pezzo di strada stata aperta verso la metà del secolo scorso, all' occasione in cui una compagnia di maltesi, intraprese un taglio importante in quelle montagne.

Dal fin qui detto si può dedurre l' importanza di questa miniera, la quale richiede le cure del Governo per trarne partito.

Evvi inoltre, un' ora e mezza distante da Arredabba, nel luogo chiamato *Sos-Frailes*, un letto di roccia di granati e di anfibola (di cui al N.° 13-197) che potrebbe venire impiegata qual fondente.

10. 190. Ferro solforato, molto talcoso.

Diede, all' analisi, un indizio d' argento.

11. 299. Rame piritoso, accompagnato dalla pirite magnetica.

Trovasi al *Monte Oro*.

12. 300. Roccia d' epidoto con ferro ossidulato granellare, disseminato nella massa, in piccolissime particelle e che si accoppia al minerale *ramoso* suddetto.

A tre quarti d'ora da Arzana, nel luogo denominato *Nardalei*, al *Monte Oro* vedesi nel granito un' efflorescenza di circa metri 0,66 di larghezza, che sembra una mescolanza di ferro e rame piritosi, di galena, e di blenda. Essa è racchiusa in un' altra vena di circa 2 metri di spessezza di epidoto in massa.

13. 197. Granati con anfibola.

Del luogo sopraccennato, il *Sos-Frailes.*

VILLANOVA STRISAILI.

14. 295. Roccia d' anfibola, accompagnata da granati.

Forma con questi uno strato assai esteso nello scisto micaceo di Villanova Strisaili.

15. 296. —— D' anfibola come la precedente, ma più lamellosa e radiata (*ivi*).

16. 297. Granati in massa.

Provenienti dallo strato suddetto. Queste tre rocce contengono indizi di ferro ossidulato (*ivi*).

LANUSEI.

17. 205. Roccia talcosa, porfiroidea, con cristalli di feldspato e molto argillosa, contenente piriti disseminate.

Essa è comune a tutta la catena di quei monti.

18. 310. Porfido euritico.

Proveniente dal sito stesso della roccia precedente.

VILLA PUTZU.

19. 271. Antracite.

Trovasi sulla strada di Tertenia. I combustibili fossili si trovarono, finora, in piccole quantità.

Quest' antracite, come quella di Silanus, sta in uno scisto, che cangiasi nel grauwacke a grana fina.

MURAVERA.

20. 108. Quarzo cristallizzato.

21. 212. Grauwacke quarzoso.

Sovrapposto allo scisto nel Sarabus e nell' Ogliastra.

CIRCONDARIO DI SARDEGNA.

PROVINCIA D' ISILI.

TERRITORIO DI SINIS.

1. 534. Ferro solforato nel quarzo.

S. GIOVANNI DI SINIS.

2. 490. Argilla plastica bianca.

SEUI.

3. 157. Lignite fibrosa.
Trovasi in piccoli pezzi su quel territorio.

4. 376. Scisto dendritico con impronte, che si credono di felce.

GONOSCODINA.

5. 497. Diaspro scuro.

LACONI.

6. 274. Argilla bianca.
Trovasi sovrapposta a un grande strato di podinga quarzosa, fragile, a cui serve di letto il micascisto.

7. 325. Calce carbonata, concrezionata o piuttosto tufo calcareo.

8. 356. Argilla.
Dei dintorni di Laconi.

9. 359. Tufo calcareo o *travertino* dell' Arcidano di Laconi, detta, colà, volgarmente *Pietra di Nicola Pinna.*

MOGORO.

10. 95. Steatite verdognola.

11. 459. Geode di cristalli di quarzo ricoperti, da un lato, dalla calce carbonata *romboidale*, e dall'altro dal calcedonio che tende verso il violaceo.

12. 479. Quarzo diasproide che fa passaggio alla selce piromaca.

13. 466. Diaspro verde, contenente un nocciolo di selce piromaca bruna.

GONASTRAMAZZA.

14. 559. Lignite terroso di cattiva qualità, essendo attraversato dal calcedonio.
Del luogo detto di *s. Miali.*

ISILI.

15. 26. Lignite sopra matrice d'arenaria argillosa.

16. 40. Selce piromaca con cristalli di quarzo, che ricoprono il calcareo madreporitico.

17. 196. Calce carbonata, cristallizzata, sopra un agglomerato calcareo.

18. 193. Quarzo ialino sopra uno strato di calcedonio: e questo ricopre il calcareo madreporitico (piuttosto raro).

19. 319. —— Ialino sovrapposto alla selce piromaca ed alla calce carbonata grossolana, madreporitica.

20. 368. —— Ialino, cristallizzato e calce carbonata *romboidale*, sopra matrice di calcedonio.
Dell'Arcidano.

21. 195. —— Cristallizzato, che avvolge un nocciolo di calcedonio.

22. 332. —— Ialino bianco, semitrasparente.

23. 321. Calcedonio stalattitico, che ricopre il calcareo madreporitico.
24. 526. —— Bruno, sul calcareo madreporitico.
25. 340. Pietra cornea (Hornstein di Werner) con quarzo cristallizzato.
26. 183. Argilla cellulosa? rossigna, con rame carbonato verde nelle cellule.

GERGEI.

27. 96. Calcaria madreporitica, bigio-chiara, ossia *pietra stellaria*, che volge al giallognolo, suscettiva di bella levigatura.
28. 93. —— Come la precedente, un po' traente al bigio scuro.
29. 94. —— Simile alle suddette, ma di colore assai cupo.
30. 172. —— Simile, di una tinta bigia più chiara.
31. 482. —— Come le precedenti, ricoperta di cristalli prismatici di quarzo, sulla selce piromaca.
32. 432. Calce carbonata cristallizzata sopra uno strato di selce piromaca che riposa sopra un calcareo madreporitico.
33. 81. Quarzo cristallizzato ed aggruppato sul quarzo in massa; grosso esemplare.
34. 344. —— Cristallizzato, sovrapposto alla barite lamellare e radiata.
35. 549. Calcaria madreporitica come le precedenti, in cui veggonsi alcune conchiglie agatizzate (pezzo colossale).
36. 345. Barite solfata, cristallizzata lamellare.

MANDAS.

37. 169. Bardiglio (calce carbonata bigia). Veggasi la

nota apposta al N.° 7-116, Silanus (provincia di Cùglieri).

Il sig. dottore Federico Gessa, rettore di Mandas fece eseguire a sue spese molti lavori di questo marmo, il quale, mercè le indefesse cure di questo benemerito pastore, comincia ad essere conosciuto nell'Isola. Il pulpito, la balaustrata ed altri oggetti della chiesa di Mandas sono fatti con questo marmo, a spese del medesimo rettore, ed il presente saggio fu lavorato in Mandas e per cura dello stesso.

38. 335. Lignite fragile.

FORRO.

39. 403. Calce carbonata, *romboidale.*

SARDARA.

40. 82. Geode di cristalli di quarzo, racchiusi nel calcedonio.

41. 394. —— Di calcedonio con cristalli di quarzo.

42. 176. *bis* Calcedonio che volge al ceruleo, racchiuso in altro oscuro, che varia in selce piromaca.

43. 414. —— Che pende verso il colore roseo.

Rinviensi verso tramontana.

44. 416. —— Bianco.

Trovasi verso Mogoro. Da Sardara a Masulla si osserva una continuazione di calcedonio.

45. 465. —— Che volge al ceruleo.

Trovasi tra Sardara e Mogoro.

46. 493. —— Sopra il trachite.

47. 528. —— Della varietà *perigonale.*

Della montagna di Sardara, ove passa la strada d'Ales.

48. 529. —— Della varietà e luogo suddetto (grosso esemplare).

49. 194. Agata fasciata che varia dal bianco al bigio-scuro.

50. 441. Diaspro verde, fasciato di color roseo.

Del *salto* di Sardara.

51 87. Calce carbonata, *romboidale*.

52. 437. —— Carbonata, compatta.

NURRI.

53. 544. Piombo solforato di scaglia larga.

54. 546. Argilla ocracea, rossa, ossia *bolo armeno*.

CIRCONDARIO DI SARDEGNA.

PROVINCIA D'IGLESIAS.

TERRITORIO D' IGLESIAS.

Raccolta geognostica e metallurgica della miniera di piombo argentifero di Monteponi.

La miniera di *Monte Poni* fu coltivata da tempo antichissimo e ad intervalli. Il terreno, in cui si trova, forma un monticello di 340 metri di altezza sopra del livello del mare e distante una mezz'ora a libeccio da Iglesias. Esso si rattacca colle vicine colline di *Monte Perdosu* e *Monte Finocchio*. La montagna di *Monte Poni*, come le altre ad essa attigue, è composta di un calcareo dendritico di color giallognolo, il quale riposa immediatamente sullo scisto argilloso ed è attraversato da un gran numero di filoni di calce carbonata romboidale e di barite, tutti paralelli tra di essi e coi filoni metallici di quei dintorni. Una salita assai ripida conduce alla galleria detta di *s. Vittorio*, che dà accesso ai lavori. Essa è a 50 metri, circa, d'altezza, e quantunque protratta a soli 200 metri ha intersecato un gran numero di filoni, quasi paralelli, che volgendosi pressochè verticalmente da greco a libeccio, tagliano la galleria principale sotto un angolo assai acuto. Il minerale consiste in una galena di lamine di mediocre volume, che si divide facilmente in cubi, dando luogo a gruppi considerabili di una gran purezza, i quali si mostrano a foggia di veri filoni. Sovente e specialmente nelle fessure, e presso alle pareti delle case, esso

è misto a sostanze estranee che ne variano, più o meno la qualità, e queste sono la calce carbonata, la barite solfata, il quarzo, il sulfuro di piombo antimonifero, il piombo carbonato, il ferro ossidato, il zinco carbonato, e raramente il ferro solforato.

Le pareti dei filoni sono della stessa natura della montagna, la quale viene attraversata da frequenti strati argillosi, alcuni dei quali sono bianchissimi, intonacano talvolta le pareti dei filoni e sembrano accompagnarli. Le scavazioni, che si diramano dalla galleria di s. Vittorio, sono in numero di nove, oltre la galleria di *ribasso* detta del cavaliere s. Real ed altra intrapresa posteriormente.

Il minerale si divide in tre qualità, le quali sottomesse all' analisi docimastica senz'essere state prima lavate, hanno dato i seguenti risultamenti:

La *galanza* (come si chiama colà) ossia minerale di prima qualità diede l'80 per cento in piombo, e 5/8 d'oncia d'argento per ogni quintale, peso di marco.

La seconda qualità produsse il 56 per cento in piombo, e 3/4 d'oncia in argento per ogni quintale.

La terza qualità o *minudiglio* offrì dal 52 al 56 per cento in piombo, e dai 3/4 ai 3/5 d' oncia in argento per ogni quintale.

Il minerale di prima qualità soleva vendersi in natura e quelli di seconda e di terza qualità si fondevano, talvolta, negli opifizi metallurgici di *Domusnovas* e di *Villacidro*. Questa miniera ch' era da qualche tempo coltivata da un impresaro, ne è ora, per conto del Governo.

1. 67. Piombo solforato, argentifero, di prima qua-
2. 275. lità, che in Sardegna, come dissi, chiamasi *galanza*.

Della miniera sopradescritta.

3. 4. —— Solforato, argentifero, di seconda qualità, contenente piombo e zinco carbonati (*ivi*).

4. 2. —— Carbonato rossigno.

Del filone detto di s. Antonio.

5. 3. Gruppo di cristallini limpidissimi di piombo carbonato nel piombo solforato.

Del filone stesso.

6. 279. Piombo solforato, argentifero.

Del *ribasso* denominato del cavaliere di s. Real.

7. 1. Barite solfata in cristalli tavolari radiati, sopra matrice di piombo solforato.

Trovasi accoppiata a questo nella miniera di cui parliamo.

8. 276. —— Solfata in massa, mista al piombo solforato ed al carbonato (*ivi*).

9. 277. —— Solfata, tavolare, cristallizzata e sommamente lucente (*ivi*).

10. 278. —— Solfata, in massa, che volge al romboide (*ivi*).

11. 468. —— Solfata, tavolare, bianca (*ivi*).

12. 217. Calcareo giallognolo.

Forma in alcuni siti la matrice della miniera.

13. 218. —— Bigio.

Costituisce la parte superiore della montagna che racchiude la miniera.

14. 561. Piombo metallico mercantile.

Ricavatosi dal minerale accennato ai NN. $\frac{1\text{-}67}{2\text{-}275}$ fuso ed appurato negli opifizi metallurgici di Conflans (Savoia).

15. 562. —— Metallico, laminato per coperture, ricavato dal piombo suddetto.

16. 563. —— Lo stesso del precedente, ma laminato sottilmente ad uso dei bossoli da tabacco.

---

17. 88. Calce carbonata.

Della grotta di *s. Giovanni*, presso Iglesias.

18. 174. —— Carbonata in vene, in altra calce carbonata.

Della cima del monte di *Margana*, presso Iglesias.

19. 407. Scisto talcoso, d' apparenza alterata.

20. 470. Porfido verde cupo.

Di *s. Giovanni* suddetto.

21. 550. Breccia di pasta rossa, piuttosto tenera e con noccioli di vari colori e di natura differente, cioè di calce carbonata bigia (bardiglio) bianca, e rossigna, di alabastro colorato come quello di Busca o per meglio dire come quello di Buonaria, presso Cagliari (N.º 29-144), ed altre varietà. La mollezza della pasta ossia del cemento fa sì che difficilmente si può levigare.

MARTIADA.

22. 285. Piombo solforato.

Trovasi tra Iglesias e *Domus-Noas.*

GUSPINI ED ARBUS.

Raccolta della miniera di piombo solforato argentifero delle miniere di Guspini ed Arbus.

Le miniere dette di Guspini ed Arbus giacciono sul territorio di quest' ultimo villaggio e si distinguono sotto vari nomi, quantunque appartenenti tutte ad uno stesso filone, il quale prende origine a poca distanza di Guspini, e dopo aver attraversate le montagne d' Arbus, va a gettarsi nel mare occidentale dell' isola, volgendosi da ponente-maestro a levante-scirocco. La base della montagna, dalla parte di Guspini è formata da un granito fragile, il quale veste sovente l'aspetto terroso.

Il minerale si è il piombo, solforato, argentifero, con faccette variabili, il quale è spesse volte d'una gran purezza e talvolta misto col piombo carbonato aciculare, bianco, opaco, col zinco solforato, colla pirite, col rame, col perossido ed idrossido di ferro, col quarzo carioso e cristallizzato, colla barite, ecc. ecc. Il filone è incassato tra due pareti di roccia quarzosa, mista colla barite, formando in alcuni luoghi una vera breccia insieme col quar-

zo: la sua ampiezza varia dai due ai quattro metri ed in qualche sito esso va sino a sette metri, la lunghezza del filone, giusta le osservazioni del cavaliere Belly, dee oltrepassare le sei miglia geografiche.

Molti furono gli scavi, ossieno lavori, fatti a quella miniera, nei tempi andati, alcuni a cielo scoperto, ed altri a galleria. I più importanti sono quelli denominati *Sa Frincia de s' arriu* dalla parte di Guspini, ove sembrano stati eseguiti i primi lavori *sa Fraiga*, *Monte Vecchio*, e *sa Fossada manna.* Pare che queste miniere offrano tuttora un vantaggio sulla loro coltivazione.

Il minerale *lordo* di *sa Fraiga*, che trovasi d' ordinario in larghe faccette, ha dato all' analisi dal 73 all' 80 per cento in piombo ed once 1. 1/8 per quintale, peso di marco, in argento; ed il minerale lavato di *sa Frincia de s' arriu* e *Monte Vecchio* dal 73 all' 80 per cento in piombo, ed once 2. 1/2 per quintale in argento. Il prodotto della lavatura poi ha variato dal 49 al 73 per cento in slicco. Sembra che nei tempi antichi questo minerale venisse fuso in una fonderia posta nelle vicinanze d' Arbus ed in quelle di Guspini situate sul territorio d' Urrudili e denominate *Scalladrosgiu* ossia *Squagliatoio*, ove si veggono vestigia di fabbrica con attiguo canale che rassomiglia ad una fonderia.

23. 280. Piombo solforato, argentifero, di prima qualità.

Della miniera sopra descritta.

24. 281. —— Solforato, argentifero, di seconda qualità.

Della miniera stessa.

25. 282. Scisto talcoso che varia in quarzoso.

Riposa sul granito e forma la sommità della montagna in cui giace la miniera suddetta, che si estende dalle alture di Guspini fino al mare, dalla parte d' occidente, ed ha perciò un' estensione di varie miglia.

26. 235. Agglomerato di trachite.

Della punta del monte *Arcuentu*, vicino alla miniera sopr' indicata.

27. 358. Calce carbonata (marmo) rosso-carico.

Fa parte d'una podinga o breccia calcarea presso *Sos-Frailes.*

BRABUSI.

28. 570. Calce carbonata (marmo) variegata di bigio e di turchino.

Del luogo detto *Combeddu*, presso Brabusi.

ARBUS.

29. 292. Ferro ematite nel granito in decomposizione.

Il banco ha una spessezza di un metro circa, che ricopre il granito. Questa miniera trovasi un'ora distante dal villaggio d'Arbus, sulla strada di Flumini Maggiore. Essa merita attenzione, trovandosi in sito abbondante di boschi, ed essendo, di natura, atta a produrre un eccellente minerale.

FLUMINI MAGGIORE.

30. 284. Piombo solforato, argentifero.

Della miniera che trovasi nel luogo detto di *Saperd-e s' ollu*, distante mezz' ora dal villaggio.

31. 211. Scisto talcoso che varia nel *cotticolare.*

Trovasi presso la miniera suddetta.

Nel luogo sopraccennato di *Sa-perd-e s' ollu* v'ha una piccola vena di piombo solforato, argentifero di grosse lamine : il filone ha da 5 a 7 centimetri d'ampiezza ed inclina a maestro. Esso è rinchiuso nello scisto che ricopre il granito, variando sovente nel *cotticolare.* Il minerale non lavato, ha dato il 60 per cento in piombo, e mezz' oncia di argento per ogni quintale, peso di marco. Il villaggio di Flumini maggiore mostra uno dei più bei corsi d' acqua della Sardegna ed i suoi dintorni hanno non pochi indizi di opifizi antichi nelle abbondanti scorie di cui è cosparso ovunque il terreno: alcune di queste avendo dato all'analisi il 27 per cento in piombo, meritano che se ne tenga buon conto.

32. 379. Calcareo conchiglifero con *orthoceretiti* ed altre

conchiglie che sembrano appartenere al genere *productus*.

VILLA MASSARGIA.

33. 507. Trachite con cristalli d' anfibola.

Della cima del castello di Villa Massargia.

DOMUS-NOAS.

34. 293. Ferro ossidulato.
35. 128. —— Ossidulato con quarzo e sommamente magnetico (*calamita*).

Della miniera di ferro ossidulato suddetto.

GONNESA.

36. 185. Scisto argillo-talcoso , di color vinato.
37. 186. —— Argillo-talcoso , di colore bigio.
38. 375. —— Talcoso , bigio , lucente.
39. 557. Breccia bellissima con piccoli noccioli, di colore infinitamente variati , col cemento calcareo di colore rosso-cupo. Potrebbe coltivarsi con vantaggio , essendo suscettiva d' ottima levigatura.

ISOLA S. ANTIOCO.

40. 565. Stigmite rossa.

Dell' isola di s. Antioco.

41. 566. —— Brecciolata rossa (*ivi*).
42. 567. —— Rossa con calcedonio (*ivi*).
43. 30. Perlite rossa e verde (*ivi*).
44. 357. —— Bigia e verde che varia in retinite (*pechstein*) ed in pomice.
45. 430. —— Nera, attraversata da venule verdi e che forma una specie di podinga.
46. 541. —— Nera, con nuclei concentrici di feldspato rosso alla superficie.

47. 386. Trachite vitrea, perlata (forse *perlite*) di colore bigio-verdognolo scuro.

48. 404. Ialite mammillare, limpidissima, sopra una specie di tefrina.

Del luogo detto *Perdas de fogu.*

49. 518. Calcareo compatto.


Trovasi presso il sito denominato *Cannai.*

50. 560. Porfido rosso col feldspato in discioglimento.


CAPO TEULADA.

51. 328. Marmo rossignolo (calce carbonata) atto a prender ottima levigatura.

CIRCONDARIO DI SARDEGNA.



PROVINCIA DI CAGLIARI.



TERRITORIO DI SEGARIO.

1. 231. Roccia di trachite brecciforme.
Serve di passaggio alla roccia alluminifera seguente: trovasi vicino al territorio di Serenti.

2. 232. —— Alluminifera.
Forma delle grotte nella roccia precedente e nella calcaria marnosa (*ivi*).

3. 149. Allumina solfata che si raccoglie in efflore-
4. 233. scenze.
Nelle grotte suddette (*ivi*).

5. 260. Calce carbonata, dendritica che si avvicina al trachite.

6. 308. —— Carbonata, dendritica, con qualche varietà della precedente.

SERENTI.

7. 571. Calce solfata, in frammenti di cristalli di gesso.
Trovati negli scavi dello stagno di Serenti.

PIMENTEL.

8. 168. Calce carbonata, dendritica.

MONASTIR.

9. 54. Roccia pirossenica, rossigna, di cui si costruì un ponte sulla nuova strada.

Il villaggio di Monastir riposa su questa roccia.

10. 516. —— Pirossenica come la precedente, ma più bigia.

11. 162. —— Pirossenica con clorite, ialite e noccioli
12. 229. d'analcima.

Del monte *Sara* (pezzo di rara bellezza e colossale).

13. 234. Cabasia accoppiata all' analcima, alla calce carbonata ed al quarzo, che ricopre un agglomerato trachitico.

Della cava di Monastir. Bellissimo saggio.

14. 487. Stilbite rossa, lamellare, sopra matrice trachitica verde.

15. 548. —— Bianca, lamellosa, mista alla cristallizzata,
16. 230. nell'agglomerato di trachite.

Del monte *Sara*.

17. 551. —— Bianca, cristallizzata, della varietà *dodecaedra*, in una roccia trachitica (*ivi*).

18. 259. Roccia pirossenica con l' analcima, e che ricopre cristalli di quarzo e di feldspato.

SILIQUA.

19. 512. Porfido dei trachiti, con cristalli d'anfibola.

20. 513. —— Dei trachiti, di colore pavonazzo, con cristalli di pirossena.

21. 515. Roccia porfirica, con anfibola e cristalli di feldspato.

Del *Castello* di Siliqua.

ASSEMINI.

22. 269. Porfido dei trachiti, con cristalli d'anfibola.

Trovato fuori luogo, ad Assemini, e che sembra

appartenere, piuttosto, alla roccia di Siliqua, di cui al N.° 19-512 suddetto.

CAGLIARI.

Raccolta mineralogica della collina di Buonaria.

23. 38. Calce carbonata, concrezionata e stalattitica.
Della collina di *Buonaria*, presso Cagliari.
24. 39. —— Carbonata, concrezionata sul calcareo grossolano (*ivi*).
25. 43. Marmo d'un bel giallo (calce carbonata) con piccole brecce, e di colore più vivace di quello di Verona.
26. 44. —— Bianco che volge al bigio (calce carbonata) in piccole brecce come il precedente.
27. 56. Calce carbonata, concrezionata, con ocra gialla.
28. 98. —— Carbonata alabastro, bianca, di zone colorate in giallo più o meno cupo, in bigio, ecc.
29. 126. Calce carbonata, alabastrina, colorata.
Come quella di Busca, nella provincia di Cuneo.
30. 144. —— Carbonata, alabastrina.
Come la precedente, ma della cava superiore.
31. 145. —— Carbonata, alabastrina.
Come le due precedenti, della cava inferiore.
32. 257. —— Grossolana, compatta, conchiglifera, bianca e gialla.
33. 258. Ferro idrato.
Si trova nelle spaccature del calcareo precedente.
34. 322. —— Ocraceo.
Trovasi nel calcareo indicato al numero seguente.

35. 323. Calcareo, compatto, grossolano, contenente il ferro idrato suddetto ed indizi di ferro spatico.

36. 326. Calce carbonata, concrezionata, che varia in alabastro, e contiene una piccola prominenza che si suppone essere un dente fossile del *pesce lupo*.

37. 327. —— Carbonata, cristallizzata sopra la calce carbonata gialla.

38. 348. —— Carbonata, cristallizzata, della varietà *metastatica*.

39. 400. —— Carbonata stalagmitica.

40. 401. —— Carbonata, stalagmitica, *a fiori*.

41. 444. —— Carbonata che avvolge frammenti calcarei d'altra formazione, sopra un'ocra ferruginosa.

42. 484. Calcareo compatto, grossolano, conchiglifero, con impronti di madrepore, e di ostriche.

43. 552. Calce carbonata, conchiglifera sul marmo o breccia accennata al N.° 25 - 44. V' ha molta varietà nelle conchiglie e sopra taluna vi si vede la calce stessa confusamente cristallizzata.

Il calcareo di *Bonaria* appartiene ai terreni terziari; esso riposa sui banchi marnosi e sabbiosi: le masse di questi terreni sono in generale poco alte, e la collina di Cagliari, che è una delle più alte, oltrepassa appena i cento metri d' altezza. Il calcareo suddetto racchiude una breccia ossea simile a quella di Nizza, Antibo, Gibilterra, ed accennata ai numeri seguenti. Essa è evidentemente posteriore alla formazione calcarea e la sua parte inferiore è terminata da un piccolo deposito di ferro oolitico. Una parte del littorale della Sardegna è ricoperta da una formazione marina assai recente,

che il cav. della Marmora crede propria del bacino del mediterraneo, e questa sembra appartenere alla medesima epoca della breccia ossea di *Bonaria*. In questa breccia v' ha un gran masso di ossa di piccoli animali rosichiatori, della grossezza sottosopra d'un topo.

44. 62. Breccia ossea in grosso masso, mista alla calce carbonata di *Bonaria* di cui parlasi al N.° 25-44, ed appartenente ad un quadrupede del genere sopraccennato dei *rosichiatori*.

45. 74. Ferro globulare in piccoli grani.

46. 349.

Trovasi nella parte inferiore della breccia, nelle fessure del calcareo grossolano indicato al N.° 31-257.

47. 406. —— Globulare ferruginoso di grani un po' più grossi del precedente, e posto sopra la calce carbonata stalattitica, detta di *Bonaria*.

48. 402. —— Globulare ferruginoso, di grossi grani (*ivi*).

49. 106. Quarzo cristallizzato sopra il calcareo concrezionato.

50. 489. Breccia ossea, con grosse ossa racchiuse nel calcareo grossolano.

Di *Bonaria* (1).

51. 467. Geode calcarea.

Si rinvengono nelle escavazioni di *Monte Reale*.

52. 523. Calce carbonata con indizio di ferro spatico (*ivi*).

---

53. 49. Arenaria ricoperta da piccoli cristalli di calce carbonata.

(1) Sulle brecce ossee della Sardegna, e della spiaggia di Nizza, si consulti la Memoria del sig. cav. Alberto della Marmora, inserita nel vol. 3 del *Journal de Géologie*, pag. 309.

Si rinvenne in profondità di 145 metri, nell' escavazione d' un pozzo, nella polveriera di Cagliari.

54. 89. Arenaria calcarea, di grana fina, serve di pietra da scalpello.

55. 418. Agglomerato conchiglifero.

Trovasi presso Cagliari.

56. 445. Calce carbonata, madreporitica, di tinta scura.

Del selciato dell'università di Cagliari.

57. 65. Piombo solforato, argentifero (forse lo stesso di cui al numero seguente).

58. 66. —— Solforato, argentifero.

Del monte *Santo di Pola*, presso Cagliari. Diede all'analisi docimastica il $\frac{25}{100,000}$ in argento, ed il 62 per cento in piombo.

59. 492. Arenaria quarzosa.

Trovasi nelle vicinanze del castello di *s. Michele*.

60. 320. Breccia calcarea, conchiglifera.

Della collina di *s. Michele*.

61. 33. Scisto micaceo.

Della montagna di *Capoterra*, vicino a Cagliari.

62. 51. Granati in massa e cristallizzati (*ivi*).

63. 146 *bis*. Roccia quarzosa di base talcosa, lisciata e levigata naturalmente (*ivi*).

64. 397. Ferro magnetico.

Si trova arrotolato in quantità nei dintorni di *Capoterra*.

65. 173. Calce carbonata con caselle di *dattoli* marini (mytilus lithofagus).

Di s. Elia presso Cagliari.

66. 147 —— Polverolenta, terrosa.

Di *s. Avendrace*, sobborgo di Cagliari.

67. 525. Arenaria calcarea, concrezionata.

Del luogo detto *Fangario*, burrone che trovasi un'ora distante da *s. Avendrace*, sulla strada che mette a Iglesias.

68. 46. Silice piromaca scura, con calcedonia di varii colori.

69. 483. Feldspato ed anfibola.

Del selciato di Cagliari.

QUARTO.

70. 204. Roccia porfiroidea, molto argillosa, con base di feldspato, cristalli di quarzo, anfibola, indizi di talco, ecc., del monte *Figunieddu* (*fico nero*).

Trovasi sulla strada che da Quarto mette a Muravera, verso l' estremità a ostro della grande Catena.

71. 206. —— Porfiroidea come la precedente, ma più compatta.

Si vede in istrati sottostanti al granito, ossia alla roccia del monte suddetto.

72. 207. —— Porfiroidea, con noccioli di feldspato rosso, che varia in breccia.

Trovasi verso la cima del monte suddetto, ascendendo da Quarto.

73. 362. Lava porosa.

Della fortezza vecchia, rada di Quarto.

S. ROCCO.

74. 286. Piombo solforato, compatto, di scaglia mezzana, assai puro.

Della miniera che trovasi alla distanza di due ore dal villaggio di s. Rocco, in un vallone che si avvicina a quello del fiume di Pula, al piede della montagna detta la *Stidiosa*, che fu coltivata per cinque o sei mesi da certo cav. Bosingo. Il minerale non ha più là che metri 0,10 a 0,15 di spessezza e trovasi disseminato in una matrice di quarzo e di barite solfata. La roccia che circonda questa miniera è quarzosa e durissima, ed è questo uno dei motivi per cui la coltivazione di essa riesce assai dispendiosa e che perciò fu abbandonata.

75. 287. Roccia quarzosa.

Forma l' incassamento della miniera suddetta.

PULA.

76. 35. Piombo solforato, argentifero.

Nel luogo chiamato *Spinarba*, dipendenza del monte *Sebura*, montagne di Pula, si scorgono degli indizi di minerale di piombo in un filone di ferro ossidulato magnetico, che dopo d' avere attraversato il granito, si mostra all' aperto in una roccia calcarea sovrapposta a quel terreno.

La vista del minerale piombifero sembra aver causata la ricerca fattasi sopra un' erta della roccia. Siccome però la galena non si protrae di là dal calcareo, è probabile che questa particolarità abbia fatto abbandonare l' impresa. Questo minerale lavato ha dato il 25 per cento in slicco, il quale ha reso il 60 per cento in piombo, ed un quinto d' oncia, per quintale, peso di marco, in argento.

77. 64. —— Solforato, argentifero, di una escavazione antica.

Trovasi a' piedi del monte *Santo* di Pula in una roccia calcarea sovrapposta al granito, e che sembra una conseguenza della precedente miniera. Il minerale è di ottima qualità, avendo dato il 73 per cento in piombo, senza lavatura precedente, e 2/5 d'oncia d'argento per ogni quintale.

78. 578. Stilbite compatta.

Della punta di s. Effisio di Pula.

79. 36. —— Radiata (*ivi*).

80. 486. —— Cristallizzata, della varietà *unitaria* d' Hauy.

Delle rocce trachitiche.

81. 171. Roccia pirossenica.

82. 485. Del luogo suddetto.

83. 220. —— Quarzosa, che varia nella *pietra lidia*.

Delle montagne di Pula.

ISOLA S. PIETRO.

84. 23. Diaspro terroso, fasciato di giallo e bigio.
85. 24.
86. 83. —— Rosso cupo, ricoperto da una leggerissima crosta di calcedonio.
87. 86. —— Giallo fasciato.
88. 99. —— Rosso macchiato in giallo.
89. 110. —— Rosso scistoso.
90. 150. —— Rosso, con quarzo ed ocra ferruginosa.
91. 151. —— Rosso-cupo, vivacissimo e lucidissimo.
92. 155. —— Rosso fasciato, di zone verdi ed altri colori.
93. 187. —— Rosso cupo, macchiato di giallo.
94. 329. —— Scistoso, rosso-scuro.
95. 371. —— Giallo fasciato.

Di Carloforte.

96. 373. —— Rosso bruno (*ivi*).
97. 374. —— Verde ricoperto da un leggerissimo strato di calcedonio (*ivi*).
98. 564. —— Fasciato, bigio e pavonazzo.
99. 380. Quarzo resinite giallo, frammisto al calcedonio (*ivi*).
100. 52. —— Diasproide, ricoperto dall'ocra.
101. 102. —— Rubiginoso.
102. 372. —— Diasproide, misto all'ocra gialla.
103. 41. Porfido trachitico, prismatico, ricoperto in parte da una tinta rossa.
104. 377. Trachite.
105. 503. —— Rossigno che volge al violaceo.
106. 504. —— Bigio.
107. 505. —— Compatto, violaceo.
108. 506. —— Porfirico, con feldspato vetroso.
109. 59. Lava argillosa con mica ed altre sostanze.
110. 443. —— Bigia, litoide.

111. 383. Ossidiana perlata, contenuta in una specie di podinga.

112. 384. —— Perlata, di color verde scuro.

113. 423. —— Perlata, di colore verde che passa in decomposizione.

114. 431. Perlite.

115. 57. Argilla smettite.

116. 69. Arena cristallifera di quarzo.

117. 395. Ocra di ferro arrotolata, con nocciolo di calce carbonata.

PAULI GEREI.

118. 491. Lignite nell'arenaria.

PODIGHE.

119. 72. Geode calcarea in cui v' hanno cristalli della varietà *equiasse.*

120. 73. —— Calcarea di cristalli *metastatici* volgenti all'*equiasse.*

121. 112. Breccia selciosa, rossa, con noccioli bianchi e rossi della stessa sostanza.

N. B. L'indicazione di Podighe si crede essere di qualche poco nota regione dell' isola di Sardegna, non essendovi Comune che abbia un tal nome.

SAGGI DELL'ISOLA DI SARDEGNA

Di cui però non si hanno particolari indicazioni di territorio.

---

1. 46. Selce piromaca con calcedonia.
2. 309. —— Piromaca verdognola.
3. 63. Marmo brocatello ossia brecciato di verde e rosso.
4. 184. —— Nero.
5. 68. Ferro solforato, supposto aurifero.
6. 122. Calcedonio.
7. 70. Geode calcarea piccolissima.
8. 123. —— Calcarea più grossa della precedente.
9. 193. Calce carbonata, cristallizzata sopra un agglomerato calcareo.
10. 543. —— Carbonata, stalattitica, fistolare.
11. 124. Quarzo cristallizzato sopra matrice di selce piromaca.
12. 342. —— Concrezionato in decomposizione, e tinto in verde dal rame carbonato.
13. 439. —— Diasproide, con cristalli di quarzo ialino e di calcedonio.
14. 227. Porfido terroso, dei terreni di trachite, accollato al porfido trachitico e che serve come pietra da scalpello nelle fabbricazioni.
15. 339. Legno impietrito: forse lo stesso di Ploaghe accennato al N.° 31-381.
16. 494. Geode di selce piromaca.
17. 535. Ossidiana bigia.


UNIVERSITY OF ILLINOIS-URBANA
3 0112 076453502